BIBLIA SACRA

CUM

COMMENTARIIS

J. S. MENOCHII

—

TOMUS SECUNDUS

BIBLIA

SACRA

VULGATÆ EDITIONIS

CUM

COMMENTARIIS

J. S. MENOCHII

SOCIETATIS JESU

TOMUS SECUNDUS



ALOSTI

EXCUDEBANT SPITAELS ET VAN RYCKEGEM

MDCCCXXVI

SUPERIORUM PERMISSU

LIBER NUMERI,

HEBRAICE

VAJEDABBER.

CAPUT PRIMUM.

Numeratis duodecim tribuum bellicis viris, filii Levi ad deferendum tabernaculum instituuntur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens:

2. * Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini (* Exod. 30, 12.)

3. A vigesimo anno et supra, omnium virorum fortium ex Israel, et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron.

4. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis,

---

Caput I. 1. *In deserto Sinai.* Omnia enim hæc a c. 1 usque ad c. 10, num. 11, facta sunt in 12 mansione, quæ fuit in Sina.

In tabernaculo. In sancto sanctorum et propitiatorio.

2. *Tollite summam.* Alius etiam census populi initus fuerat in deserto ante fabricam tabernaculi pro contributione ad eamdem excitandam, Exod. 38, 25. Nunc secundo numeratur populus ad castra melius et ordinatius instruenda, et ut exactius populi numerus constaret, aptiusque castra circa tabernaculum disponerentur.

Filiorum Israel. Nulli enim proselyti, aut Ægyptii, aut ex aliis gentibus oriundi numerati sunt; licet non exigua horum esset multitudo inter Hebræos, ut patet Exod. 12, 38.

Quidquid sexus est masculini. Nam feminæ et pueri ad bella inepti: hic autem ineunda erat summa virorum fortium, quorum usus in bello esse poterat.

3. *A vigesimo anno et supra.* Quia hæc ætas militiæ apta.

Omnium virorum fortium. Omnes plane numerati, et omnes fortes erant divino beneficio; nam ut est in Psalm. *non erat in tribubus eorum infirmus.*

4. *Principes tribuum.* Princeps tribus erat primogenitus, qui ab ipso capite tribus sive a patriarcha, verbi gratia Juda, directe per lineam primogenitorum descendebat. Simili modo principes fami-

5. Quorum ista sunt nomina: De Ruben, Elisur filius Sedeur;
6. De Simeon, Salamiel filius Surisaddai;
7. De Juda, Nahasson filius Aminadab;
8. De Issachar, Nathanael filius Suar;
9. De Zabulon, Eliab filius Helon:
10. Filiorum autem Joseph; de Ephraim, Elisama filius Ammiud; de Manasse, Gamaliel filius Phadassur;
11. De Benjamin, Abidan filius Gedeonis;
12. De Dan, Ahiezer filius Ammisaddai;
13. De Aser, Phegiel filius Ochran;
14. De Gad, Eliasaph filius Duel;
15. De Nephthali, Ahira filius Enan.

16. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israel:

17. Quos tulerunt Moyses et Aaron cum omni vulgi multitudine;

18. Et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, et domos, ac familias, et capita, et nomina singulorum, a vigesimo anno et supra,

19. Sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai.

20. De Ruben primogenito Israelis per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum,

21. Quadraginta sex millia quingenti.

22. De filiis Simeon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singu-

---

liarum erant primogeniti familiæ illius.

5. *De Ruben.* Tribus et patriarchæ ordine thori numerantur: primo filii uxoris Liæ, tum filii Rachelis, tandem filii ancillarum.

16. *Nobilissimi.* Vox hebræa *invitatos*, vel *vocatos* significat: sæpe tamen pro magnatibus, nominatis, illustribus, aut fama inclytis accipitur.

17. *Quos tulerunt.* Quorum nomina tulerunt, et in tabulas census retulerunt.

20. *Per generationes.* Generatio hic latius patet quam familia aut domus, et una generatio, sive ut Latini loquuntur *gens*, plures familias, domosque amplectitur. * In hebræo est, *fecerunt eos generari*, id est, in publicas tabulas descripserunt eorum origines. LXX habent ἐπηξονοῦσαν, id est, in ἄξονας *tabulas*, retulerunt.

lorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum,

23. Quinquaginta novem millia trecenti.

24. De filiis Gad per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bella procederent,

25. Quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

26. De filiis Juda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

27. Recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti.

28. De filiis Issachar, per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui ad bella procederent,

29. Recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti.

30. De filiis Zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

31. Quinquaginta septem millia quadringinti.

32. De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

33. Quadraginta millia quingenti.

34. Porro filiorum Manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

35. Triginta duo millia ducenti.

36. De filiis Benjamin per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

37. Triginta quinque millia quadringenti.

38. De filiis Dan per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

39. Sexaginta duo millia septingenti.

40. De filiis Aser per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

41. Quadraginta millia et mille quingenti.

42. De filiis Nephthali per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

43. Quinquaginta tria millia quadringenti.

44. Hi sunt quos numeraverunt Moyses et Aaron, et duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum.

45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos et familias suas a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere,

Exod. 38, 25. 46. Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta.

47. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis.

48. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

49. Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel:

50. Sed constitue eos super tabernaculum testimonii et cuncta vasa ejus, et quidquid ad ceremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus: et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.

51. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; cum castrametandum, erigent: quisquis externorum accesserit, occidetur.

52. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas et cuneos atque exercitum suum.

53. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne

---

47. *Levitæ .... non sunt numerati.* Quia in castrorum metatione non collocabantur cum aliis tribubus, eo quod circa ipsum tabernaculum ejus ministeriis deputati versabantur, ut patet num. 50; ideoque a duodecim tribubus secreti fuerunt tanquam pars et tribus Domini, ejus obsequiis dicata. * Erat autem tribus hæc a militia exemta, quamquam a militando non arcebantur Levitæ si aut necessitas id postularet, aut ipsi sponte vellent, ut patet in Machabæis. Vide Josephum lib. 3 antiq. cap. 11, et lib. 4, cap. 4.

50. *Et quidquid ad ceremonias pertinet.* Omnia vasa, omnemque supellectilem tabernaculi.

Per gyrum tabernaculi. Et etiam atrii. Quo ordine circa tabernaculum consederint, habes infra cap. 3.

51. *Cum castrametandum.* Cum castra locanda et figenda erunt.

Externorum. Qui non sint de tribu Levi.

52. *Per turmas et cuneos.* Heb. *per vexilla sua.*

fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii.

54. Fecerunt ergo filii Israel juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

CAPUT II.

Quæ tribus ad quamvis mundi plagam ordinentur, recensitis familiarum principibus.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:
2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla, et domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis.
3. Ad orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui; eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab:
4. Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti.
5. Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar:
6. Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti.
7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon.
8. Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti.
9. Universi qui in castris Judæ enumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: et per turmas suas primi egredientur.

---

53. *Excubabunt in custodiis.* Diligenter custodient excubantes.

Caput II. 2. *Singuli per turmas, signa, atque vexilla etc.* Heb. *singuli juxta vexillum suum in signis domus patrum suorum castrametabuntur.* Tradunt Hebræi Israelitas castrametatos fuisse circa tabernaculum, ut ab illo per unum milliare abessent ex omni latere, quod non est intelligendum de Levitis, qui proximi erant tabernaculo et atrio, quippe illius excubitores.

Vexilla. Dicunt Hebræi in vexillo Judæ fuisse leonem; Ruben hominem; Ephraim bovem; Dan aquilam. De hoc nihil certo constat, et crediderim esse hebræorum rabbinorum figmenta.

9. *Per turmas suas primi egredientur.* Cum movenda erunt castra, hi primi relicta statione procedere debebant, nec mirum, siquidem ut plurimum orientem versus ibant, et hæc castrorum ac tabernaculi fœderis pars erat anterior.

10. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur:

11. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti.

12. Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon; quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai:

13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti.

14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel:

15. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

16. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia et mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur.

17. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum et turmas eorum; quomodo erigetur, ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos proficiscentur.

18. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud:

19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti.

20. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur:

21. Cunctusque exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti.

22. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis:

23. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti.

24. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur.

25. Ad Aquilonis partem castrametati sunt filii Dan; quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai:

26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti.

---

17. *Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum.* Tabernaculum dissolutum portabitur a Levitis, secundum distincta eorum ministeria, quæ capite sequenti singulis Deus distribuit. *Quomodo erigetur, ita et deponetur.* Hoc est, iidem qui officium erigendi habuerint, iidem habebunt et deponendi.

27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser; quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran :

28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia et mille quingenti.

29. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan :

30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti.

31. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti : et novissimi proficiscentur.

32. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum et turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.

33. Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel : sic enim præceperat Dominus Moysi.

34. Feceruntque filii Israel juxta omnia quæ mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, et profecti per familias ac domos patrum suorum.

CAPUT III.

Levitæ in tabernaculi ministerium assumti numerantur cum suis principibus ac ministeriis, et loco primogenitorum Israel suscipiuntur, reliqua primogenita numerum Levitarum excedentia pretio redimuntur.

1. HÆ sunt generationes Aaron et Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai.

2. * Et hæc nomina filiorum Aaron : primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu, et Eleazar, et Ithamar. * Exod. 6, 23.

3. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, et quorum repletæ et consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur.

CAPUT III. 1. *Generationes Aaron et Moysi.* Filii Aaron, et Mosis. Licet autem videantur tantum numerari filii Aaron, tamen utriusque generatio recensetur n. 27 et 28 hujus capitis, ubi sermo est de Levitis amramitis; hi enim sunt filii Aaron et Mosis, qui patrem Amram habuerunt. Et quidem initio capitis hujus peculiaris mentio fit filiorum Aaron, quia hi sacerdotium sunt adepti : posteri vero Mosis, qui in inferiori Levitarum gradu hæserunt, cum reliquis Levitis caathitis numerati sunt.

3. *Repletæ et consecratæ ma-*

* Lev. 10, 1, 2. 1 Par. 24, 2. 4. * Mortui sunt enim Nadab et Abiu cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar et Ithamar coram Aaron patre suo.

5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, et excubent,

7. Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii,

8. Et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.

9. Dabisque dono Levitas

10. Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei:

* Exod. 13, 2. Inf. 8, 16. 13. * Meum est enim omne primogenitum; ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus: mei sunt. Ego Dominus.

---

nus. Replere manus est illas ad sacerdotium consecrare; nam sacerdotum novorum manus tum donis et sacrificiis, tum unctione olei implebantur.

6. *Applica*. Accedere fac.

Excubent etc. In hebr. est *custodient custodiam ejus, et custodiam omnis synagogæ*. Particula *ejus* Aaronem refert, cujus custodiæ omnia erant in tabernaculo, quippe sacrorum princeps. Eædem etiam erant custodiæ totius synagogæ et totius populi, quia omnes erant partes reip. et quilibet pro suo virili parte sacra tueri etiam suorum laterum objectu debebat, si quis illa temerare ausus fuisset.

9. *Dabisque dono Levitas etc.* Levitas offeres Aaroni et sacerdotibus, ut iis serviant, idque gratis et sine pretio.

10. *A filiis Israel.* Ut hac donatione Aaroni facta, a Deo primogenitos suos redimerent, ut patet num. 45.

Externus. Non sacerdos.

Morietur. Judicum sententia occidetur, sic chaldæus.

13. *Meum est enim omne primogenitum*. Non tantum jure creationis, sed peculiari liberatione et redemtione, cum eos ab angelo percutiente eripui, Exod. 12, 23. Rursus mea sunt primogenita, quia justo hoc meo præcepto, ita fieri jubeo.

Sanctificavi mihi. Mihi sanctificari, offerri, et consecrari volo.

14. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens:

15. Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, omnem masculum ab uno mense et supra.

16. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus,

17. * Et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson et Caath et Merari. *Exod. 6, 16.

18. Filii Gerson: Lebni et Semei.

19. Filii Caath: Amram et Jesaar, Hebron et Oziel.

20. Filii Merari: Moholi et Musi.

21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica et Semeitica:

22. Quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra, septem millia quingenti.

23. Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem,

24. Sub principe Eliasaph filio Lael.

25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis,

26. Ipsum tabernaculum et operimentum ejus, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, et cortinas atrii; tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, et quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi et omnia utensilia ejus.

27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas et Jesaaritas, et Hebronitas, et Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua:

---

15. *Ab uno mense et supra.* Ratio cur ab hac ætate sumta sit Levitarum dinumeratio est, quod etiam primogeniti post unum mensem redimerentur, ut habetur infra cap. 18, 16.

17. *Inventi sunt.* Non in vita, nam pridem obierant, sed in censu hoc et numero.

25. *Habebunt excubias in tabernaculo.* Habebunt custodienda ea quæ sequuntur, hoc est, ipsum tabernaculum et operimentum etc.

26. *Ipsum tabernaculum.* Non tabulas columnas aut bases, nam hæc ferebant Meraritæ, sed velum interius sive infimum, quod ex decem cortinis constabat, cui alia vela injiciebantur.

Operimentum ejus. Sagum cilicinum, et sagum ex pellibus arietum rubricatis, et sagum ex pellibus ianthinis, de quibus Exod. 26.

Quod trahitur ante fores. Tabernaculi, et est quasi illius janua.

In introitu atrii. Illud velum quod erat veluti janua totius atrii.

Quidquid ad ritum altaris pertinet. Quidquid scilicet velorum huc facit; nam de his est sermo.

28. *Habebunt excubias.* Custodiam sanctuarii, quoad vasa quæ sequuntur.

28. Omnes generis masculini ab uno mense et supra, octo millia sexcenti, habebunt excubias sanctuarii,

29. Et castrametabuntur ad meridianam plagam:

30. Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel.

31. Et custodient arcam, mensamque et candelabrum, altaria et vasa sanctuarii, in quibus ministratur, et velum, cunctamque hujuscemodi supellectilem.

32. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis erit super excubitores custodiæ sanctuarii.

33. At vero de Merari erunt populi Moholitæ et Musitæ recensiti per nomina sua:

34. Omnes generis masculini ab uno mense et supra, sex millia ducenti.

35. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga septentrionali castrametabuntur.

36. Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi et vectes, et columnæ ac bases earum, et omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent:

37. Columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, et paxilli cum funibus.

38. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam, Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israel; quisquis alienus accesserit, morietur.

39. Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno et supra, fuerunt viginti duo millia.

40. Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense et supra, et habebis summam eorum.

41. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, ego sum Dominus; et pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel.

42. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel;

---

31. *Et velum.* Quod oppanditur sancto sanctorum: huic enim involvenda erat arca portanda a Caathitis. Alia vela omnia a Gersonitis portabantur.

37. *Paxilli.* Qui figebantur ad funes intendendos, et firmandas columnas et vela atrii ne vento nimium agitarentur.

41. *Tolles .... pecora eorum etc.* Separabis, ut mihi cum ipsis Levitis quasi dedicentur, sintque

43. Et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres.
44. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
45. Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum Dominus.
46. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israel,
47. Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarii. * Siclus habet viginti obolos. * Exod. 30, 13. Lev. 27, 25. Inf. 18, 16. Ezech. 45, 12.
48. Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus, pretium eorum qui supra sunt.
49. Tulit igitur Moyses pecuniam eorum qui fuerant amplius, et quos redemerant a Levitis
50. Pro primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus sanctuarii,
51. Et dedit eam Aaron et filiis ejus juxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

CAPUT IV.

Ritus et officia Levitarum juxta cujusque familiam distribuuntur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:
2. Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et familias suas,
3. A trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum an-

---

mea, sicut ipsi Levitæ mei sunt: non est tamen facta ista pecorum separatio, ut Domino cederent per sacrificia.

46. *In pretio autem.* Omnes Levitæ fuerunt viginti duo millia ducenti septuaginta tres. Cum ergo Levitæ dati essent Deo pro primogenitis, supererat ut pro illis 273 satisfieret, qui Levitarum numerum excedebant. Jubet ergo Deus ut hi primogeniti redimantur, quinque siclis in singula capita persolutis. Horum pretium Aaroni dari jubetur num. 48.

48. *Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus, pretium.* Pecunia primogenitorum 273 se redimentium ascendit ad 1365 siclos.

* 49. *Qui fuerant amplius.* Qui sorte facta restabant.

Caput IV. 3. *Trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum.* Hic enim numerantur tantum viri, qui graviora onera et partes tabernaculi ferre possent, cum movenda erant castra. * Mi-

num, omnium qui ingrediuntur ut stent et ministrent in tabernaculo fœderis.

4. Hic est cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis et sanctum sanctorum

5. Ingredientur Aaron et filii ejus, quando movenda sunt castra; et deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii,

6. Et operient rursum velamine ianthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, et inducent vectes.

7. Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola, cyathos et crateras ad liba fundenda; panes semper in ea erunt:

8. Extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento ianthinarum pellium, et inducent vectes.

9. Sument et pallium hyacinthinum quo operient candela-

---

nores tamen operas quasdam videntur præstitisse ab anno vigesimo, 1 Paral. cap. 23, 24, 27. Deinde paulo majores ab anno vigesimo quinto. Vide infra cap. 8, 24.

Ut stent. Statio hic vocatur ipsa ministratio Levitarum in tabernaculo. Sic num. 30 dicitur de Meraritis: *omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui.* Utrobique in hebræo sunt eædem voces.

4. *Hic est cultus.* Hoc est ministerium, hæc functio Caathitarum.

5. *Aaron et filii ejus.* Etiam minores sacerdotes ingredi poterant sanctum sanctorum ad illud deponendum, cum movenda erant castra.

Deponent velum. Quod dividit sanctum sanctorum a sancto.

6. *Velamine ianthinarum pellium.* Non illo quo tabernaculum tegebatur, sed alio proprio; nam et mensa, et candelabrum, et cætera suum habebant etiam velamentum ex ianthinis pellibus.

Pallium totum hyacinthinum. Aliud velamen proprium, non ex pellibus, sed e filis hyacinthini coloris compositum, ut patet ex hebræo, in quo est תכלת *thechelet,* quod hujusmodi fila significat, non תחש *tachas,* quod pelles eo colore tinctas significat.

Inducent vectes. Non in arcam, quia jam inducti erant, et nunquam extrahebantur, ut patet Exod. 35, 11. Inducere ergo est componere intra eadem velamina quibus arca contegitur, præter eas tamen vectium partes quæ humeros bajulantium præmebant, et ab arca hinc inde longius excurrebant.

7. *Mortariola.* Erant scutellæ quibus simila in sacrificiis excipiebatur.

Cyathos. Ad vina et libamina; idem usus eorum vasorum quæ appellantur *crateres.*

Panes semper in ea erunt. Pa-

brum cum lucernis et forcipibus suis et emunctoriis et cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt:

10. Et super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, et inducent vectes.

11. Nec non et altare aureum involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes.

12. Omnia vasa, quibus ministratur in sanctuario, involvent hyacinthino pallio, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes.

13. Sed et altare mundabunt cinere, et involvent illud purpureo vestimento,

14. Ponentque cum eo omnia vasa quibus in ministerio ejus utuntur, id est, ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium, et inducent vectes.

15. Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt * filii * 1 Par. 15, 15.
Caath ut portent involuta: et non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis:

16. Super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, et composi-

---

nes propositionis in mensa, etiam cum deportatur, et de loco ad locum transfertur.

10. *Inducent vectes*. Etiamsi candelabrum non haberet annulos quibus immitterentur vectes, ut patet ex ejus constructione, quæ describitur Exod. 25 et 37. Vectes tamen adhibebantur cum erat transferendum, et ad illos alligabatur candelabri sarcina, vel super eos imponebatur; quod indicant LXX, *καὶ ἐπιθήσουσι αὐτὴν ἐπ' ἀναφορέων*, *et imponent illud super vectes*.

11. *Altare aureum*. Thymiamatis, quod aureis laminis erat obductum.

13. *Sed et altare*. Holocaustorum.

Mundabunt cinere. Ex victimis et lignis combustis.

14. *Fuscinulas ac tridentes, uncinos*. In hebræo est unica tantum vox מזלגות *mizlegot*, quæ fuscinulam significat, sive unum tantum dentem habeat, ut uncini, sive plures.

15. *Non tangent vasa*. Nuda scilicet et non operta.

16. *Super quos*. Caathitas.

Erit Eleazar. Utpote ex Caath oriundus. Gersonitis vero et Meraritis præerat Ithamar junior Aaronis filius: sed ita ut omnibus Eleazar præesset, generalem quamdam in omnes providentiam exercens.

Ad cujus. Eleazari.

tionis incensum, et sacrificium quod semper offertur, et oleum unctionis, et quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum quæ in sanctuario sunt.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

18. Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum:

19. Sed hoc facite eis, ut vivant, et non moriantur, si tetigerint sancta sanctorum. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et divident quid portare quis debeat.

20. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur.

21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias et cognationes suas,

23. A triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur et ministrant in tabernaculo fœderis.

24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum,

25. Ut portent cortinas tabernaculi, et tectum fœderis, operimentum aliud, et super omnia velamen ianthinum, tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,

26. Cortinas atrii, et velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, et vasa ministerii,

27. Jubente Aaron et filiis ejus, portabunt filii Gerson: et scient singuli cui debeant oneri mancipari.

28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

29. Filios quoque Merari per familias et domos patrum suorum recensebis

30. A triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta,

Incensum, et sacrificium etc. Non quod solus Eleazar sacrificaret aut adoleret incensum, sed quod ejus esset prospicere, ne simila, oleum et incensum, sacrificiorum materia deesset.

Sacrificium quod semper offertur. In heb. est *mincha;* intellige ergo similam illam quæ asservabatur ad offerendum cum jugi holocausto.

18. *Nolite perdere populum Caath.* Ne permittatis Caathitas perdi et occidi a me; quod fiet si tangant sancta sanctorum, id est, vasa tabernaculi sanctissima.

28. *Hic est cultus.* Ministerium hebr. עבדת *gnabodath.*

omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui et cultum fœderis testimonii.

31. Hæc sunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi et vectes ejus, columnas ac bases earum,

32. Columnas quoque atrii per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis: omnia vasa et suppellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt.

33. Hoc est officium familiæ Meraritarum et ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

34. Recensuerunt igitur Moyses et Aaron et principes synagogæ filios Caath per cognationes et domos patrum suorum

35. A triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis:

36. Et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta.

37. Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses et Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi.

38. Numerati sunt et filii Gerson per cognationes et domos patrum suorum

39. A triginta annis et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis:

40. Et inventi sunt duo millia sexcenti triginta.

41. Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta verbum Domini.

42. Numerati sunt et filii Merari per cognationes et domos patrum suorum

43. A triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis:

44. Et inventi sunt tria millia ducenti.

45. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses et Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi.

46. Omnes qui recensiti sunt de Levitis, et quos recenseri fecit ad nomen Moyses, et Aaron, et principes Israel per cognationes et domos patrum suorum

---

37. *Sermonem Domini per manum Moysi.* Sermonem et imperium Domini qui per Mosen, ut ita fieret, significavit.

47. A triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, et onera portanda,
48. Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.
49. Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium et onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

CAPUT V.

Qui immundi extra castra arcendi: satisfactio transgressionis per negligentiam de primitiis ac oblationibus et lege zelotypiæ.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
2. Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo:
3. Tam masculum quam feminam ejicite de castris, ne contaminent ea cum habitaverim vobiscum.
4. Feceruntque ita filii Israel, et ejecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi.
5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
6. Loquere ad filios Israel: Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint,
7. Confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint.

---

49. *Unumquemque juxta officium et onera sua.* Unicuique imperando, et munus in quo ministrare debebant injungendo.

Caput V. 2. *Ut ejiciant de castris.* Duplex erat immunditia legalis, levior una quæ tantum arcebat a templo, non autem ab hominum convictu, neque in alios derivabatur per contagionem: alia gravior et quæ alios inficiebat: tales erant qui hic numerantur, quique propterea extra castra degere jubebantur.

3. *Cum habitaverim vobiscum.* Erecto tabernaculo. Ejectionis ergo ratio ne inficiantur alii legali immunditia, et a sacris arceantur.

6. *Ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere.* Scilicet cum fecerint aliquam injuriam proximo, quale peccatum solent homines contrahere.

Per negligentiam. Scientes vetitum esse, sed illud servare negligentes, quamquam non contemnentes.

7. *Reddent ipsum caput.* Ip-

8. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia.

9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent:

10. Et quidquid in sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens

13. Dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro:

14. Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur,

15. Adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus; quia sacrificium zelotypiæ est, et oblatio investigans adulterium.

16. Offeret igitur eam sacerdos, et statuet coram Domino:

---

sam rem quam acceperunt. Vide Lev. 6, 3 et 4.

8. *Sin autem non fuerit qui recipiat.* Si non sit consanguineus aut propinquus, qui in defuncti locum recipiat quod restituitur.

Erit sacerdotis. Sacerdos enim est vicarius et quasi hæres Dei.

Excepto ariete. Si res furto ablata sit aries, et nemo sit cui restituatur, Domino sacrificabitur.

9. *Ad sacerdotem.* Ad sacerdotes; primitiæ enim inter omnes sacerdotes dividebantur. Secus erat de sacrificiis, hæc enim sacrificanti cedebant.

10. *Quidquid in sanctuarium etc.* Quidquid ab offerentibus dabatur sacerdoti, sacerdotis erat; nisi offerens expresse dixisset se dare ad usum tabernaculi vel templi, tunc enim cedebat tabernaculo vel templo.

13. *In stupro.* In adulterio.

14. *Spiritus zelotypiæ.* Zelotypia.

15. *Decimam partem sati.* Satum inter aridorum mensuras numeratur, et continet modios tres. Hebr. dicitur *epha.* LXX habent *ephi.*

Non fundet super eam. Oblationem scilicet zelotypiæ.

Oleum. Quia oleum typus est misericordiæ, a qua zelotypus hic alienus est. * Et quia oleo et thure carere debebant oblationes omnes ubi de peccatis agebatur. Levit. 5, 11.

Nec imponet thus. Quia thus symbolum est bonæ famæ, hic autem agitur de infamia adulteræ inurenda.

17. Assumetque aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam:

18. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus illius sacrificium recordationis, et oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit.

19. Adjurabitque eam, et dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, et si non polluta es deserto mariti toro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi.

20. Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero viro,

21. His maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur:

22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero

---

17. *Assumetque aquam sanctam.* Aquam deputatam ad usus sanctos in tabernaculo: eadem vocatur amarissima num. 18 et 19.

Pauxillum terræ de pavimento. Ut significaretur adulteram esse vilem instar pulveris qui pedibus calcatur. Eccli. 9, 10, dicitur: *Mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Sumebatur terra hæc ex atrio tabernaculi, quia in eo hæc ceremonia exercebatur.

18. *Discooperiet caput ejus.* Ut hac ceremonia intelligat mulier se coram Deo esse, cui nihil occultum aut opertum, et si crimen contraxerit, illud confiteatur.

Super manus illius. Mulieris de adulterio suspectæ.

Sacrificium recordationis. Quia est sacrificium commemorans peccatum, quod n. 15 dicitur, *oblatio investigans adulterium:* vel dicitur sacrificium recordationis, quia hoc sacrificio oratur Deus ut velit puniendo ostendere se recordari adulterii, vel felici partu (de quo postea) ejus innocentiam testari, si falso venit in suspicionem apud virum suum.

Ipse sacerdos.

Aquas amarissimas. Quæ n. 17 dicta est aqua sancta, nunc appellatur amarissima, tum quia maledictionibus sacerdotis erat quasi onusta et gravida, tum quia epota ab adultera amaritudine magna eam afficiebat.

19. *Non te nocebunt.* Tibi non nocebunt. LXX habent, *innoxia esto.*

21. *Det te Dominus in maledictionem.* Sis adeo misera et infelix, ut publica et communis hominum imprecatio et maledictio sit hæc: *Contingat tibi quod illi adulteræ contigit.*

Putrescere faciat femur tuum. Per femur intellige pudenda, et partes pudendis vicinas. Hebr. et LXX, *inflata*, *intumescentia*, quod in carnibus putrescentibus accidit.

tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier: Amen, amen.

23. Scribetque sacerdos in libello ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit,

24. Et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit,

25. Tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita dumtaxat ut prius

26. Pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur, et incendat super altare: et sic potum det mulieri aquas amarissimas.

27. Quas cum biberit, si polluta est, et contemto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, et inflato ventre computresset femur: eritque mulier in maledictionem, et in exemplum omni populo.

28. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, et faciet liberos.

29. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, et si polluta fuerit,

30. Maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, et fecerit ei sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt:

31. Maritus absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam.

CAPUT VI.

Nazareorum consecratio et oblatio, quibusque verbis sacerdotes populo benedicerent.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Vir, sive mulier,

---

22. *Amen.* Ita fiat.

23. *In libello.* Non opus fuit libello, cum sufficeret chartula; quare Philo χαρτίδιον dixit, sed Hebræi quidquid inscribitur ספר sopher, librum appellant.

25. *Tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ.* Nam num. 18 dictum fuerat super manus mulieris positum fuisse.

27. *Pertransibunt eam.* Heb. *ingredientur in eam*, vel vim suam exerent.

28. *Innoxia.* Nullam patietur noxam aut detrimentum.

Et faciet liberos. In solamen afflictionis, et ut a viro imposterum ut fecunda diligatur. Idque illi continget eo anno pro prole mascula suscepta.

31. *Recipiet iniquitatem.* Dabit pœnas.

cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare,

3. A vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes siccasque non comedent

4. Cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedent.

* Judic. 13, 5. 5. Omni tempore separationis suæ * novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus.

6. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur,

7. Nec super patris quidem et matris et fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est.

8. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino.

Caput VI. 2. *Fecerint votum ut sanctificentur.* Hebr. *cum separaverint*, vel *mirificaverint se ad vovendum*, id est, cum voverint votum nazaræi ut separent se a communi hominum consuetudine, et vivendi ratione (quod quid novum et mirum est) et consecrent se Domino.

3. *Omni quod inebriare potest.* Generali nomine *sicera* dicitur, hebr. שכר *scechar*, græce *μέθυσμας*, quasi dicat: *Inebriativum.*

Et ex qualibet alia potione. Quæ inebriandi vim habeat.

Quidquid de uva exprimitur. Hebr. *madefactionem uvarum non bibet*, quidquid scilicet de uvis madefactis, et aqua dilutis post primam vini expressionem, exprimitur. Græci vocant *δευτερίαν οἶνον*, vinum secundarium, Latini *loram* dicunt. Vide Columell. lib. 12, cap. 40.

4. *Usque ad acinum.* LXX, *εως γιγάρτȣ*, est autem *γίγαρτον* granum quod intra uvæ folliculum latet.

5. *Novacula non transibit etc.* Nec novacula radet caput, nec forcipe capillum tondebit tempore nazaræatus.

Quo Domino consecratur. Non coma, sed nazaræus.

6. *Super mortuum non ingredietur.* In hoc nazaræus æquabatur summo sacerdoti, de quo Levit. 21, 11; et utrique id conveniebat propter consecrationem, licet diversi generis in utroque, utramque tamen in suo genere summam.

7. *Quia consecratio Dei sui super caput ejus est.* Quia coma intonsa super caput ejus est, quæ ostendat illum esse Domino separatum, coronatum et consecratum; et in hac cæsarie videtur præcipua fuisse nazaræorum ceremonia.

9. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima.

10. In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, sacerdoti in introitu fœderis testimonii.

11. Facietque sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo:

12. Et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.

13. Ista est lex consecrationis. Cum dies quos ex voto decreverat complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis,

14. Et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, et ovem anniculam immaculatam pro peccato, et arietem immaculatum, hostiam pacificam,

15. Canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo, et lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum:

16. Quæ offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum.

17. Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino,

---

9. *Caput consecrationis ejus.* Pro, consecratio capitis.

Radet illico. Cæsaries quasi polluta radebatur ut nova succresceret, et dies præteriti nazaræatus irriti censebantur, cogebaturque de novo tempus voti inchoare: quod intellige de eo qui nazaræus ad tempus fiebat; nam perpetuus nunquam radebatur, quomodocumque pollueretur.

10. *In introitu fœderis testimonii.* In introitu tabernaculi.

11. *Facietque.* Sacrificabit.

Unum. Turturem.

Peccavit super mortuo. Contaminatus est, noxam legalem contraxit.

Sanctificabitque caput ejus in die illo etc. Ex eo tempore incipiet rursus numerare tempus nazaræatus quo se fore nazaræum voverat.

13. *Adducet.* Sacerdos.

Eum. Nazaræum.

Ad ostium tabernaculi. Ut pro eo offerat præscripta sacrificia.

15. *Conspersi.* Subacti oleo cum farina pinseretur et subigeretur.

Libamina singulorum. Quæ præscribuntur cap. 15, 4 hujus libri. Hæ nimirum erant oblationes accessoriæ et secundariæ, sine quibus hostia pacifica non offerebatur. Vide supra Exod. 29, 2; et Lev. 7, 12.

offerens simul canistrum azymorum, et libamenta quæ ex more debentur.

* Act. 21, 24. 18. * Tunc radetur nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, et ponet super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum;

19. Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, et laganum azymum unum, et tradet in manus nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus.

20. Susceptaque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini: et sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, et femur. Post hæc potest bibere nazaræus vinum.

21. Ista est lex nazaræi, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his quæ invenerit manus ejus: juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

---

18. *Tolletque.* Sacerdos.

Ponet super ignem. Comburentur capilli nazaræi in honorem Dei, tanquam illi ante consecrati.

Super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum. Abulensis putat fuisse ignem altaris, ne profano igne hi capilli sanctificati exurerentur: Lyranus putat fuisse ignem culinæ, in qua pacificorum carnes in caldario coquebantur, quam sententiam sequitur Bonfrerius hic, de hoc fuse disputans. Nec obstat ratio Abulensis, quia ille etiam ignis, quo carnes pacificorum coquebantur, aliquo modo sacer erat, licet posset dici profanus comparatione ignis altaris.

19. *Armum coctum.* Fervidum, sive elixatum; hoc enim significat vox hebræa בשל *Bascal* et græca apud LXX ἑφθόν.

Tortamque absque fermento. Tortas appellat quas vocavit panes num. 15. Hanc tortam noster interpres alibi vocat *crustulam*, vel *collyridem.*

20. *Sanctificata.* Quidquid elevaverit, et elevando Deo obtulerit et consecraverit.

Sicut pectusculum etc. Sicut pectusculum ita et femur: sive, tam unum quam aliud.

Et femur. Hic femur armum significat, ut patet ex hebræo, et LXX, qui βραχίονα habent, id est, *brachium.*

21. *Exceptis his quæ invenerit manus ejus.* Ad quæ sponte se obstringere voluerit.

Juxta quod mente devoverat etc. Votum enim privata lex est, quæ juxta voventis mentem interpretationem accipit.

Ad perfectionem sanctificationis suæ. Hebr. *juxta legem nazaræatus sui,* quæ videlicet spectat perfectionem ejus in sanctitate status illius temporis, veteris scilicet testamenti.

23. Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israel;
et dicetis eis:
24. * Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. * Eccli.
25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. 36, 19.
26. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pa-
cem.
27. Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego
benedicam eis.

CAPUT VII.

Oblationes principum duodecim tribuum in dedicationem tabernaculi et altaris, loquitur Dominus Mosi de propitiatorio.

1. Factum * est autem in die qua complevit Moyses taberna- * Exod.
culum, et erexit illud; unxitque et sanctificavit cum omnibus 40, 16.
vasis suis, altare similiter et omnia vasa ejus:
2. Obtulerunt principes Israel et capita familiarum, qui erant
per singulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant,
3. Munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim
bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, et unum bovem
singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi.
4. Ait autem Dominus ad Moysen:

---

24. *Benedicat tibi Dominus.* Det tibi copiam omnium bonorum.

25. *Ostendat Dominus faciem suam tibi.* Hilarem, propitiam, benignam: hebr. hebet, *illuminet Dominus faciem suam super te*, id est, Dominus sit tibi instar lucis et lucernæ, quæ dirigat omnes actus tuos.

26. *Convertat Dominus vultum suum ad te.* Consoletur, adjuvet, protegat te: hæc enim facit Dominus ad nos conversus; contraria his, aversus.

27. *Invocabuntque nomen meum super filios Israel.* Cum benedicent sacerdotes filiis Israel, adjungent benedictioni tuæ nomen meum tetragrammaton.

Et ego benedicam eis. Benefaciam cumulando eos bonis.

Caput VII. 1. *In die.* Id est, in tempore; nam ex num. 84 certum est ut minimum duodecim dierum spatium comprehendi.

Complevit Moyses tabernaculum. Ministerio Beseleel et sociorum.

3. *Plaustra tecta.* Ne vasa instrumentumque sacrum, quod illis erat convehendum, conspici posset a populo; neve læderentur ab imbre, aut grandine etc. LXX habent ἁμάξας λαμπηνικάς. Hesychius docet λαμπήνην, illustrium virorum aut feminarum vehiculum fuisse, desuper opertum.

5. Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi, et trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui.

6. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit eos Levitis:

7. Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium:

8. Quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari, secundum officia et cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

9. Filiis autem Caath non dedit plaustra et boves; quia in sanctuario serviunt, et onera propriis portant humeris.

10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare.

11. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.

12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Juda:

13. Fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum

---

8. *Quatuor alia plaustra etc.* Filiis Merari plures boves et plura plaustra data sunt, quia graviora habebant onera, scilicet columnarum omnium, præter alia onera tabularum, basium etc. adeo ut Abulensis putet omnia eorum onera non potuisse quatuor hisce plaustris imponi, sed quædam ab iis debuisse humeris portari.

Cultum. Ministerium, hoc enim vox hebraica significat.

Sub manu. Cura, potestate, præfectura.

Ithamar. Ithamar præerat Gersonitis et Meraritis, eorumque vasis et suppellectili.

9. *Quia in sanctuario serviunt*. Ea autem quæ ad sanctuarium pertinent non plaustris vehenda, sed humeris gestanda erant, ob ipsorum sanctitatem et reverentiam.

11. *Singuli duces*. Principes tribuum.

In dedicationem altaris. Holocaustorum, quod præter unctionem cum aliis tabernaculi vasis communem, habebat aliam specialem dedicationem, per septem dies, quotidianam scilicet unctionem et sacrificia, Exod. 29, 36 et 37 præscripta; unde et quotidie in tabernaculi totius, sed maxime altaris hujus dedicationem offerebant principes vicissim et viritim sua munera.

13. *Acetabulum*. Vide de acetabulis dicta Exod. 25, 29. Hæc tamen acetabula cum argentea fuerint, non fuisse videntur in usus sanctuarii, cum omnia sanctuarii vasa aurea fuisse sciamus. Idem dicendum de phialis. Fuerunt ergo in usum atrii et altaris holocausti.

Pondo. Pondere.

Phiala. Vide supra Exod. 25, 29.

trigenta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

14. Mortariolum ex decem siclis aureis, plenum incenso:

15. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

16. Hircumque pro peccato:

17. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab.

18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar,

19. Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

20. Mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso:

21. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

22. Hircumque pro peccato:

23. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar.

24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon

25. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

26. Mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso:

27. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

In sacrificium. Hæc similæ oblatio addenda erat partim holocaustis si incocta erat, partim pacificis si cocta.

14. *Mortariolum.* Vide supra cap. 4, num 7. Hic in hebræo est vox כף *caph*, quam noster interpres alibi phialam vertit, sed quia alia vox quam phialam vertit hic præcessit, vertit mortariolum, quasi dicas, parvam phialam ad capiendum incensum.

18. *Secundo die.* Id est, tempore; nam oblatio hæc duravit per duodecim dies.

28. Hircumque pro peccato:
29. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Eliab filii Helon.
30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur
31. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium;
32. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
33. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
34. Hircumque pro peccato:
35. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur.
36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai
37. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:
38. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
39. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
40. Hircumque pro peccato:
41. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Salamiel filii Surisaddai.
42. Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel
43. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:
44. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
45. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
46. Hircumque pro peccato:

47. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliasaph filii Duel.

48. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud

49. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

50. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

51. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

52. Hircumque pro peccato:

53. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud.

54. Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur

55. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

56. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

57. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

58. Hircumque pro peccato:

59. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadassur.

60. Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis

61. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

62. Et mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

63. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

64. Hircumque pro peccato:

65. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeonis.

66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai

67. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

68. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

69. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

70. Hircumque pro peccato:

71. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammisaddai.

72. Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran

73. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

74. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

75. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

76. Hircumque pro peccato:

77. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran.

78. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan

79. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium:

80. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

81. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

82. Hircumque pro peccato:

83. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filii Enan.

84. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israel, in die qua consecratum est: acetabula argentea duodecim; phialæ argenteæ duodecim; mortariola aurea duodecim:

85. Ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, et septuaginta siclos haberet una phiala; id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere sanctuarii:

86. Mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere sanctuarii; id est, simul auri sicli centum viginti:

87. Boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, et libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato:

88. In hostias pacificorum, boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est.

89. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim, unde et loquebatur ei.

CAPUT VIII.

Candelabri et lucernarum situs ac forma: ætasque et consecratio Levitarum.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere Aaron, et dices ad eum: Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam

---

89. *Consuleret oraculum.* Dei sedentis in sancto sanctorum super propitiatorium.

Caput VIII. 2. *Respiciant ad mensam panum.* Hæc mensa erat, in qua quasi convivabatur Deus; nemo autem convivatur in tenebris, sed in lumine; in tabernaculo autem nulla erat fenestra, itaque lucernæ accenduntur.

panum propositionis; contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt.

3. Fecitque Aaron, et imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moysi.

4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum.

5. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Tolle Levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos

7. Juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint,

8. Tollent bovem de armentis, et libamentum ejus similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato:

9. Et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel.

10. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos;

11. Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus.

12. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis.

---

4. *Hæc autem erat factura candelabri.* Paucis repetit de structura candelabri, quæ fusius habetur Exod. 25, 31 et deinceps, et cap. 37, 17 et deinceps.

7. *Aqua lustrationis.* Quæ mista est cineribus vitulæ rufæ, de quibus cap. 19.

Radant omnes pilos carnis suæ. Cujus rei tropologiam vide apud S. Greg. lib. 5 mor. cap. 23: nam hæ ceremoniæ procul dubio mysterio non vacant.

8. *Libamentum ejus.* Hoc est, tali hostiæ addi consuetum, de quo vide infra cap. 15, 9.

10. *Ponent filii Israel manus suas super eos.* Ut hac manuum impositione significent et testentur se Levitas contribules suos a se abdicare, et Domino quasi munus aut sacrificium offerre, ejusque dominium et ministerium transferre.

12. *Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum.* Bos erat Levitarum sacrificium, sicut Levitæ ipsi quoddam populi sacrificium fuerunt: itaque utrobique manuum imposito super capita.

Unum facies pro peccato. Non tu, sed Aaron: facies ergo non per temetipsum, sed per Aaronem pon-

13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino,

14. Ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei;

15. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel.

16. * Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos:

17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi:

* Exod. 13, 2. Sup. 3, 13. Luc 2, 23.

18. Et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel:

19. Tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium.

20. Feceruntque Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi;

21. Purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis,

22. Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron et filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est.

23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

---

tificem; nam n. 11, dictum fuerat, *offeret Aaron Levitas*. Nec tamen improbabile ipsum Mosen sacrificasse, quod et textus noster et versio LXX videntur indicare. Vide Bonfrerium hic.

* 14. *Ut sint mei.* Ut sint liberi ab oneribus bellique muniis, custodes sanctuarii, janitores, cantores. Hæc enim fuerunt officia Levitarum.

15. *Ingredientur tabernaculum fœderis*. Hebr. *ingredientur ad ministerium suum, in tabernaculo fœderis*, videlicet ut illud portent; nec enim erat illud officium Levitarum.

Consecrabis eos in oblationem. Hebr. *elevabis eos*, vel *agitabis eos*, ea ceremonia adhibita quam Hebræi vocant *tenupha*, de qua Exod. 29, 24 dixi. Elevati ergo sunt Levitæ eo ritu quo elevabantur victimæ. Probabile non multos Levitas tunc consecratos, sed quot erant ad præsentem necessitatem ministerii tabernaculi necessarii.

19. *Ne sit in populo plaga*. Si laicus et profanus sacro officio se immiscuerit, contra præceptum meum.

21. *Elevavitque eos Aaron.* Ritu *tenupha*, de quo num. 15.

24. Hæc est lex Levitarum: A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis.

25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt:

26. Eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

CAPUT IX.

Quo tempore debeant mundi phase celebrare, et quo immundi: nubes tabernaculum operiens ducit exercitum.

1. Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens:

* Exod. 12, 3. 2. * Faciant filii Israel phase in tempore suo,

3. Quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes ceremonias et justificationes ejus.

4. Præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent phase.

5. Qui fecerunt tempore suo: quartadecima die mensis ad vesperam, in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel.

6. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere phase in die illo, accedentes ad Moysen et Aaron,

7. Dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis; quare

---

24. *Ingredientur*. Levitæ.

26. *Opera autem ipsa non faciant*. Quæ prius facere solebant cum vires erant integræ.

Sic dispones Levitis etc. Ut custodiant vasa tabernaculi, ea ætate et modo quem jam præscripsi.

In custodiis suis. Vocat *custodias* in plurali, quia variis familiis varia custodienda dabantur. Unde plures custodiæ.

Caput IX. 3. *Ad vesperam*. Hebr. *inter duas vesperas*, quod explicavi cap. 12 Exod. num. 6.

Juxta omnes ceremonias et justificationes ejus. Id est, juxta ritus et circumstantias omnes præscriptas Exod. 12. Mandata Dei dicuntur justificationes, quod sine illis recte, juste, ac legitime quidpiam non fiat.

5. *Qui fecerunt tempore suo*. Hoc tamen phase non manducarunt qui nati sunt post egressum ex Ægypto, quia incircumcisi, quidam nec poterant per ætatem, quia tenelli infantes erant.

7. *Super anima*. Quia scilicet

fraudamur ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel?

8. Quibus respondit Moyses: State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis.

9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

10. Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino

11. In mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud:

12. Non relinquent ex eo quippiam usque mane, * et os ejus non confringent; omnem ritum phase observabunt. *Exod. 12, 46. Joann. 19, 36.

13. Si quis autem et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit.

14. Peregrinus quoque et advena si fuerint apud vos, facient phase Domino juxta ceremonias et justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ.

15. * Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane; *Exod. 40, 16. Sup. 7, 1.

16. Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis.

17. Cumque ablata fuisset nubes quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel: et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur.

---

cadaver hominis tetigimus; tales enim, Levit. 22, 4, arcebantur ab omni sacrificio.

Fraudamur. Prohibemur, arcemur.

10. *Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase etc.* Illud *in gente vestra* jungendum cum voce *homo*, hoc pacto: Homo de gente vestra, hebræus scilicet, qui immundus fuerit aut peregre, cessante immunditia, vel ad suos reversus, faciet phase mense secundo; si primo facere non potuit, dictis impedimentis exclusus: si secundo non poterat, phase in tertium aut ulteriorem mensem transferre fas non erat. Indemque judicium de immundis ob tactum cadaveris ac de aliis, sed alia causa.

13. *Peccatum*. Pœnam peccati.

14. *Peregrinus quoque et advena etc.* Si religione hebræus sit.

15. *Nubes*. Columna nubis.

A vespere autem. Columna per diem nubis speciem habebat, per noctem vero ignis.

18. Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium
* Cor. 10, 1. illius figebant tabernaculum. * Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco:

19. Et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini, et non proficiscebantur

20. Quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant.

21. Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: et, si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria.

22. Si vero biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, et non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant castra.

23. Per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.

CAPUT X.

Usus tubarum: quo ordine mota sint castra de deserto Sinai: orat Moses cognatum Hobab, ut cum ipsis proficiscatur: et verba quæ loquebatur Moses cum elevaretur, vel deponeretur arca.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.

---

18. *Ad imperium Domini.* Moventis per angelum columnam nubis.

19. *Multo tempore maneret.* Nubes scilicet.

Super illud. Tabernaculo.

Erant filii Israel in excubiis Domini. Sistebant quasi excubantes et advigilantes, et nubem an moveretur observantes; vel sensus est, erant in stationibus et mansionibus in eodem loco, quas Dei injussu relinquere non poterant.

21. *Dissipabant tentoria.* Deponebant, suaque omnia convasabant.

23. *Erantque in excubiis Domini.* Vide hoc cap. num. 19.

Caput X. 2. *Duas tubas argenteas.* Ad convocandum populum: 1°, Ad movendum castra. 2°, Ad festa. 3°, Ad sacrificia. 4°, Ad bella. * 5°, Ad concionem. 6°, Ad sacras epulas. Jubet nunc fieri duas, non tamen vetat fieri plures. Factæ sunt ex argento ob reverentiam cultus divini et ut essent magis sonoræ.

3. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.

4. Si semel clangueris, venient ad te principes et capita multitudinis Israel.

5. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam.

6. In secundo autem sonitu et pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem; et juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem.

7. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt.

8. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.

9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.

10. Si quando habebitis epulum, et dies festos, et calendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester.

11. Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis:

12. Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan.

Ductiles. Laminis scilicet malleorum contusione diductis.

4. *Si semel clangueris*. Heb. habent, *si una tuba clanxeris;* sic etiam chaldæus et LXX, et sensus potest esse idem; nam qui una tuba canit, quodam sensu semel canit; qui duplici quodammodo bis canit, etiamsi simul sonum edant.

5. *Concisus*. Intercisus, interruptus brevi aliqua morula.

9. *Et erit recordatio etc.* Quasi dicat: Dominus recordabitur vestri in prælio cum clangetis juxta hoc ejus præceptum, ut eruat vos ab hostibus et victores faciat.

10. *Epulum*. Solemne et sacrum ex hostiis pacificis, sive epulum quod fit prævio sacrificio, illudque claudit, quale erat in consecratione regum: pariter in calendis, id est, in neomenia sive novilunio, primo scilicet die mensis lunaris: hic enim dies Judæis erat festus.

In recordationem Dei etc. Ut Deus vestri recordetur, ut dixi num. 9.

11. *Anno secundo*. Ab egressu ex Ægypto.

Nubes. Columna nubis.

12. *In solitudine Pharan*. In loco qui postea dictus est *sepul-*

13. Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi,

*Sup. 1, 7. 14. * Filii Juda per turmas suas, quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab.

15. In tribu filiorum Issachar, fuit princeps Nathanael filius Suar.

16. In tribu Zabulon, erat princeps Eliab filius Helon.

17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson et Merari.

18. Profectique sunt et filii Ruben per turmas et ordinem suum, quorum princeps erat Helisur filius Sedeur.

19. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.

20. Porro in tribu Gad, erat princeps Eliasaph filius Duel.

21. Profectique sunt et Caathitæ portantes sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.

22. Moverunt castra et filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud.

23. In tribu autem filiorum Manasse, princeps fuit Gamaliel filius Phadassur;

24. Et in tribu Benjamin, erat dux Abidan filius Gedeonis.

25 Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai.

26. In tribu autem filiorum Aser, erat princeps Phegiel filius Ochran.

27. Et in tribu filiorum Nephthali, princeps fuit Ahira filius Enan.

28. Hæc sunt castra et profectiones filiorum Israel per turmas suas quando egrediebantur.

29. Dixitque Moyses Hobab filio Raguel madianitæ, cognato suo: Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis:

---

chra concupiscentiæ, in quo fuit decima tertia Hebræorum mansio.

13. *Juxta imperium Domini in manu Moysi.* Quod scilicet Deus dedit per Mosen ministrum suum.

21. *Portantes sanctuarium.* Vasa sancta sanctuarii, id est, sancti et sancti sanctorum.

29. *Hobab filio Raguel.* LXX et alii censent hunc esse Jethro cognatum Mosis. Verius tamen est, quod alii auctores existimant, esse illius filium.

veni nobiscum, ut benefaciamus tibi; quia Dominus bona promisit Israeli.

30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum.

31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster.

32. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.

33. Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum.

34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent.

35. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: * Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua. * Psal. 67, 2.

36. Cum autem deponeretur, aiebat: Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.

---

30. *In terram meam.* Madian.

31. *Tu enim nosti etc.* Non eguit Moses ductore in deserto qui sequebatur columnam nubis, quique in locis iis versatus fuerat annis quadraginta cum pasceret greges Jethro soceri sui, sed optavit Hobab sororium suum hac arte Judæorum veræ religioni adjungere. Ita censent aliqui. Vel etiam dici potest, quod verum puto, optasse Mosen apud se habere Hobab, ut peculiaria quædam disceret ex eo, quæ vel decursu temporis mutata fuerant, vel quorum Moses oblitus erat tanta temporis et locorum longinquitate varietateque negotiorum. Nec ex motu columnæ aliud Hebræi discebant, quam quo iter esset dirigendum, reliqua ex speculatoribus et locorum peritis, qualis erat Hobab, cognoscenda erant.

33. *Profecti sunt ergo etc.* Tacet Hobab, itaque verisimile est eum acquievisse et mansisse cum Mose.

Providens castrorum locum. Faciebat hoc columna nubis, et consequenter arca cui nubes incumbebat. In hebr. est, ad explorandum, vel investigandum illis requiem, locum scilicet in quo commode quiescerent.

35. *Cumque elevaretur arca.* Ut moverentur castra.

Surge, Domine etc. Quasi hactenus arcæ insidens quievisset.

Murmuris pœna plexi Judæi coturnicum carnes impetrant: turbatoque Mosi spiritu, Deus illius onus in septuaginta seniores partitur, qui omnes prophetant; puniturque populus propter carnium concupiscentiam.

* Ps. 77, 19. 1 Cor 10, 10. * Ps. 77, 21.

1. Interea ortum est * murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et * accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem.

2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis.

3. Vacavitque nomen loci illius, Incensio: eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.

4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israel, et ait: * Quis dabit nobis ad vescendum carnes?

* 1 Cor. 10, 6.

Caput XI. 1. *Quasi dolentium pro labore.* Fatigatione scilicet itineris, quia tres continuos dies cum parvulis, jumentis et sarcinis ambulaverant.

Ignis Domini. A Domino profectus, vel ignis ingens et vehemens et terribilis; sic enim vocantur *cedri Dei, montes Dei*, id est, cedri magnæ, montes excelsi.

Extremam castrorum partem. In qua verisimiliter erant Ægyptii, qui Israelitas ad hanc murmurationem incitaverant. Fortasse etiam aliqui, qui lassitudinem simulabant, in extrema hac acie absumti fuerunt.

2. *Absorptus est ignis.* Vel simpliciter extinctus est; vel, quod vox *absorptus* indicare videtur, terra unde prodierat absorptus est, et vocem hebræam שקע Hebræorum aliqui docent significare, *in profundum deprimi, submergi.*

3. *Vocavitque nomen loci illius, Incensio.* Locus hic ab igne vocatus est *incensio;* sed a pœna gulæ vocatus est *sepulchra concupiscentiæ*, ut patet num. 34: est enim hic unus et idem locus, uti et idem murmur. Fieri potest ut totus locus dictus sit sepulchra concupiscentiæ, pars vero ejusdem loci, quæ igne conflagravit, incensio appellata sit.

4. *Vulgus quippe promiscuum.* Ægyptiorum qui Hebræorum castra sequebantur.

Flagravit desiderio. Carnium et cæparum Ægypti; quamvis enim Hebræi suos greges secum ducerent, tamen promiscuum illud vulgus carnes in potestate non habebat, et alii etiam ovibus parcebant ut eas in terram promissam adducerent, interim manna victitantes ne earum numerum imminuerent. Cæpas comedere Ægyptiorum aliquibus erat religio: nam ut ait Juven. Sat. Penult. *Porrum et cæpe nefas violare, ac frangere morsu;* sed non omnes hac superstitione tenebantur.

5. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et cæpe, et allia.

6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man.

7. * Erat autem man quasi semen coriandri, coloris bdellii. * Exod. 16, 14. Ps. 77, 24. Sap. 16, 20. Joann. 6, 31.

8. Circuibatque populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.

9. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man.

10. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed et Moysi intoleranda res visa est;

11. Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?

12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram pro qua jurasti patribus eorum?

13. Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus.

14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.

15. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.

---

5. *Gratis*. Vili pretio et quasi nullo.

6. *Anima nostra arida est*. Appetitus noster languet, nauseat et quasi exarescit: nam licet manna eos sapores exhiberet, optabant varietatem non tam in sapore, quam colore exteriorique forma ciborum, ut simul cum ventre oculos etiam et manus explerent.

7. *Coloris bdellii*. Bdellium ex Plin. lib. 12, 9, unguis colorem refert, estque candidum et lucidum. De colore et sapore manna, vide dicta Exod. 16, 31.

10. *Moysi intoleranda res visa est*. Quod scilicet omnis populus ulularet et carnes posceret.

12. *Porta eos in sinu tuo*. Magna enim charitate suos fovere principes debent.

15. *Interficias me*. Peto ut mori liceat. Levis aut nulla pusillanimitatis culpa: itaque non reprehendit illum Dominus, sed consolatur.

16. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum,

17. Ut descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.

18. Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes; ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, et comedatis:

19. Non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem,

20. Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto?

---

16. *Congrega mihi septuaginta viros.* Constituerat prius, Jethro suggerente Exod. 18, 21, decanos et tribunos qui lites deciderent, sed adhuc erat provocatio ad Mosen, qui etiam quæ ad Dei cultum spectabant procurabat, et majores etiam causæ ad ipsum deferebantur. Constituit ergo Deus hos septuaginta, qui hæc tria æque ut Moses præstarent, ideoque eos æque ac Mosen spiritu prophetico insignivit, ut familiariter Deum consulerent in dubiis et ab eo edocerentur.

Quos tu nosti quod senes populi sint. Non tam ætate quam prudentia et moribus.

17. *Descendam.* Inclinando columnam nubis, in qua ago quasi dux vester.

Auferam de spiritu tuo. Accipiam. * Sic ab una candela lumen accipitur ad aliam accendendam, nihilque luminis deperit in priore. Chaldæus, *augebo de spiritu, qui est super te, * et ponam super eos.*

De spiritu. Prophetico, ut colligitur ex num. 25, quo et populum regere scias, et dubia explicare, et occulta cognoscere, et futura prævidere, et Dei laudes eodem spiritu dictante exequi.

18. *Sanctificamini.* Parate vos: nam sanctificari in sacris litteris nonnunquam simpliciter significat comparare se. Ita explicant Lyran. et Abulens. Chald. etiam vertit, *præparate vos.*

20. *Mensem dierum.* Mensem integrum, seu omnibus diebus mensis. * Sic δύο ἔτη ἡμερῶν, sunt anni pleni et exacti 1 Machab. 1, 30.

Exeat per nares. Statim explicat cum ait *et vertatur in nauseam.*

21. Et ait Moyses (1): Sexcenta millia peditum hujus populi sunt; et tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro.

22. * Numquid ovium et boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? * Joan. 6, 7.

23. Cui respondit Dominus: * Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. * Isai. 59, 1.

24. Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum.

25. Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.

26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, et alter Medad, super quos requievit spiritus; nam et ipsi descripti fuerant, et non exierant ad tabernaculum.

27. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nuntiavit Moysi, dicens: Eldad et Medad prophetant in castris.

28. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, et electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos.

29. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum!

(1) Et ait Moyses. *In edit. Sixt. legitur* et ait Moyses ad Dominum.

---

21. *Sexcenta millia etc.* Peditum scilicet armatorum Hebræorum: nam feminarum, puerorum, servorum et Ægyptiorum numerus facile excrescebat ad trigesies centena millia.

23. *Manus.* Potestas.

25. *Prophetaverunt.* Divino instinctu in divinas laudes eruperunt. Sic Saul dicitur prophetasse, cum quasi enthusiasmo actus Dei laudes cecinit. 1 Reg. 10, 10.

Nec ultra cessaverunt. Nec eos amplius spiritus ille propheticus, quem ad populi regimen acceperant, destituit.

26. *Remanserant.* Ex humilitate, dum se honore indignos arbitrantur. Ita Hieron. epistola 127.

27. *Eldad et Medad prophetant in castris.* Alii 68 prophetabant præsente Mose in tabernaculo, et Mose quasi conjuncti et subjecti: duo vero illi absente et inscio Mose: itaque veritus Josue ne hoc Mosis auctoritatem imminueret, per Mosen prohibere conatur. * Simile vide Lucæ cap. 9, 49.

28. *Electus e pluribus.* Intimus, maxime familiaris. In hebr. *ex electis ejus*, juvenibus ac ministris, ac inter eos lectissimus et charissimus.

30. Reversusque est Moyses, et majores natu Israel, in castra.

* Ps. 77, 26 et 27. 31. * Ventus autem egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, et demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.

32. Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros: et siccaverunt eas per gyrum castrorum.

* Ps. 77, 30. 33. * Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.

34. Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, et manserunt ibi.

---

30. *Reversus .... in castra.* Ex tabernaculo ad circumjacentia castra.

31. *Egrediens a Domino.* Præter naturæ ordinem a Deo missus.

Trans mare. Rubrum.

Coturnices. Dantur secundo coturnices; nam primo datæ fuerant, Exod. 16, 13. LXX habent *ortygometra :* illud parelcon μήτρα adjungitur quibusdam animalibus, quæ in suo genere grandiora sunt, sic echinometra est echinus grandior et spinosior, de quo Plin. lib. 9, cap. 21. Itaque ortygometra est grandior coturnix, quæ dux coturnicum dicitur.

Dimisit in castra. Decidere fecit in castra circumcirca per tantum spatii quantum uno die confici solet.

32. *Qui parum, decem coros.* Corus continebat triginta modios. Demus in quolibet modio fuisse tantum 20 coturnices, perinde ac modius continet viginti libras frumenti; hinc sequitur quod quilibet colligens decem caros, seu decies triginta modios, collegerit sex millia coturnicum, et consequenter quod unus hominum millio collegerit sex millia milliones; ac proinde totus populus, qui tres capitum milliones explebat, collegerit octodecim millia millionum coturnicum.

Siccaverunt eas. Ne putrescerent, sed in sequentes dies servari possent.

33. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum.* Expleto tamen mense, quo carnibus coturnicum saturati sunt, ut promiserat Dominus n. 20.

Plaga magna. Ignis qui deinde precibus Mosis repressus et absorptus est, ut dictum est num. 3.

34. *In Haseroth.* Hæc est 14 mansio.

Aaron et Maria in mitissimum Mosen murmurant, apud quos Deus Mosen laudat a familiaritate erga Dominum. Maria lepra percussa, et septem diebus a populo separata, sanitati restituitur.

1. Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus æthiopissam,

2. Et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus (1),

3. (Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra)

4. Statim locutus est ad eum, et ad Aaron et Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi,

5. Descendit Dominus in columna nubis, et stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron et Mariam. Qui cum iissent,

6. Dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.

7. At non talis servus meus Moyses, * qui in omni domo mea fidelissimus est: * Heb. 3, 2.

8. * Ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per ænigmata et figuras, Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? * Exod. 33, 11.

9. Iratusque contra eos, abiit:

(1) Quod cum audisset Dominus. *In edit. Sixt. additur* iratus est.

Caput XII. 1. *Propter uxorem ejus æthiopissam.* Sephoram madianitidem, quæ fortasse quod uxor esset Mosis, præferebat se Mariæ, quod hæc animo æquo ferre non poterat. In hoc tamen murmure præcipue peccasse videtur Maria, quæ Aaron contra Mosen concitavit, quæ etiam lepra percussa est.

2. *Per solum.* Quasi dicat: Num solus Moses propheta?

3. *Erat enim Moyses vir mitissimus.* Mitissimus Moses injuriam non ulciscitur; ideo illius patrocinium suscipit Deus. Scripsit hanc de se laudem Moses, quia calamus Spiritus sancti ad hoc scribendum impellentis ita scripserat.

6. *In visione.* In imaginaria vel intellectuali repræsentatione et raptu.

7. *In omni domo mea.* In toto cœtu Israel.

8. *Ore enim ad os etc.* Eo modo qui habetur Exod. 34, 6. Vide dicta Exod. cap. 33, 11.

10. Nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: et
* Deut. 24, 9. ecce Maria apparuit * candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam lepra,

11. Ait ad Moysen: Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus,

12. Ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ; ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra.

13. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam.

14. Cui respondit Dominus: Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur.

15. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

CAPUT XIII.

Missi exploratores ad considerandam terram promissionis, palmitem cum botro aliisque fructibus in fertilitatis signum referunt; qui tamen universi, præter Caleb et Josue, murmur in populo concitant.

1. Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan;

2. Ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

---

10 *Nubes quoque recessit.* Non procedendo et præeundo, sed ascendendo supra tabernaculum.

11. *Imponas nobis.* Imputes.

12. *Quasi mortua.* Lepra carnes illius exedente, vel mortua morte civili ob separationem leprosorum a cœtu aliorum.

14. *Spuisset.* Quasi dicat: Quanto magis cum ego eam lepra quasi sputo perfuderim.

Septem diebus. Iis elapsis a Deo curata est et revocata. In ejus autem revocatione observatæ non sunt ceremoniæ et expiationes leprosis præscriptæ Levit. 14: nam ipsa Dei sanatio per miraculum et revocatio erat sufficiens lustratio et expiatio. * Ad hoc exemplum instituta fuit separatio a synagoga et excommunicatio christianis usitata.

Caput XIII. 1. *De Haseroth.* Ubi fuit decima quarta mansio.

Fixis tentoriis in deserto Pharan. Pergendo figere tentoria in deserto Pharan. Hæc porro decima quinta mansio, in quam proxime ex Haseroth venerunt, fuit Rethma, ut patet cap. 33, 18.

3. Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus.

4. Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina.

Inf 32, 8. Deut. 1, 22. 9, 23. Jos. 14, 7.

5. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur;
6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri;
7. De tribu Juda, Caleb filium Jephone;
8. De tribu Issachar, Igal filium Joseph;
9. De tribu Ephraim, Osee filium Nun;
10. De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu;
11. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi;
12. De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi;
13. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli;
14. De tribu Aser, Sthur filium Michael;
15. Te tribu Nephthali, Nahibi filium Vapsi;
16. De tribu Gad, Guel filium Machi.

17. Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Osee filium Nun, Josue.

18. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes,

---

3. *Mitte viros*. Petierat hoc populus, ut patet Deut. 1, 22; consultus per Mosen Dominus annuit.

Ex principibus. Non summis, nam aliis nominibus vocabantur, ut patet cap. 10, 14, sed ex aliis primariis viris.

12. *De tribu Joseph, sceptri Manasse*. Ex heb. verti potest, *de tribu Joseph, de tribu Manasse;* sed noster interpres ut vitaret ejusdem vocis repetitionem, secundo loco sceptrum posuit: מטה *matte*, quod sua primaria significatione virgam, baculum, sceptrumve significat, hic accipitur pro regno, dominatione, ac tribu.

17. *Vocavitque Osee filium Nun, Josue*. Moses Osee nomen in Josue mutavit addito initio nominis littera *Jod*. 1°, Ut certiorem victoriam de Chananæis polliceretur; nam Osee significat *salva*, Josue vero *qui salvabit*. 2°, Ut doceret a Deo exspectandum bonum bellorum exitum, addita enim nomini Josue prima littera nominis Dei tetragrammati sumta cum reliquo nomine, videtur exhibere hunc sensum: *Dei salus*, salvator a Deo datus. 3°, Quia prævidebat spiritu prophetico Josue, sive Jesum hunc, ut eum vocant LXX, fore typum Jesu Christi Salvatoris; idem enim hebr. utriusque nomen est, iisdemque litteris et punctis scribitur ישוע *jeschua*.

19. Considerate terram, qualis sit: et populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures:

20. Ipsa terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris:

21. Humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt.

22. Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath.

23. Ascenderuntque ad meridiem, et venerunt in Hebron,
Jos. 15, 14. ubi erant Achiman et Sisai et Tholmai filii Enac; nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est.

* Deut. 1, 24. 24. * Pergentesque usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt,

25. Qui appellatus est Nehelescol, id est, torrens botri: eo quod botrum portassent inde filii Israel.

26. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita,

27. Venerunt ad Moysen et Aaron et ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terræ;

28. Et narraverunt, dicentes: Venimus in terram ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest:

---

21. *Quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt.* Mense junii in Palæstina.

22. *Intrantibus Emath.* Qua itur et intratur in Emath, regionem quæ ab aquilone terram sanctam terminabat.

23. *Filii Enac.* Nepotes et posteri Enac gigantis. * Videntur hi esse Inachidæ Græcorum, qui antiquissimis temporibus ab oriente migrarint in Græciam.

Tanim urbem Ægypti. Celebrem scilicet, et ut aliqui volunt, regiam. Psal. 77, 12 dicitur: *Fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Crebra apud Jeremiam Tamis seu Taphnis mentio est c. 2, 16. 43, 7. 44, 1. 46, 14.

24. *Palmitem cum uva sua.* Heb. et chald. habent *palmitem et botrum uvarum unum.* Alibi etiam apud profanos auctores leguntur nasci botri immani magnitudine. Vide Corn. a Lapide hic.

Duo viri. S. Ambr. serm. 72 de S. Cypriano ait, fuisse Josue et Caleb.

28. *Lacte et melle.* Id est, fertilissima.

29. Sed cultores fortissimos habet, et urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.

30. Amalec habitat in meridie; Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis; Chananæus vero moratur juxta mare et circa fluenta Jordanis.

31. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.

32. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.

33. Detraxeruntque terræ quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra quam lustravimus devorat habitatores suos; populus quem aspeximus proceræ staturæ est:

34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

CAPUT XIV.

Murmur populi frustra sedare conantur Josue et Caleb: iratum Dominum placat Moses: omnes morti in deserto addicuntur præter Caleb ac Josue, et pugnantes Israelitæ contra Domini voluntatem cæduntur ab hostibus.

1. Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa,

2. Et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel, dicentes:

3. Utinam mortui essemus in Ægypto! et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi! Nonne melius est reverti in Ægyptum?

4. Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum.

---

30. *Amalec habitat in meridie.* Dicunt hoc exploratores non quasi terra Amalecitarum pertinerit ad terram Hebræis promissam, sed quia vicina erat, ita ut Amalecitæ ingressum in Chananæam facile prohibere possent.

33. *Devorat habitatores suos.* Insalubris est, noxia et pestilens. Falsum hoc erat.

34. *Quasi locustæ.* Hyperbole nimia et mendax ad populum terrendum.

Caput XIV. 3. *In hac vasta solitudine utinam pereamus.* Voti compotes facti sunt, eamdem quam postulaverant pœnam Domino illis irrogante n. 23: omnes enim confecit et sepelivit in deserto.

4. *Revertamur in Ægyptum.*

5. Quo audito Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel.

* Eccli. 46, 9. 1 Mac. 2, 55 et 56.

6. * At vero Josue filius Nun, et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua,

7. Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra quam circuivimus; valde bona est

8. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem.

9. Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare; recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.

10. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel.

11. Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis?

12. Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est.

13. Et ait Moyses ad Dominum: Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum,

---

Quis revertentibus præbuisset annonam? an rebellibus Dominus pluisset manna? quomodo mare rubrum transmisissent?

5. *Ceciderunt proni in terram.* Deprecantes Dominum ne immitteret vindictam in murmurantes, ut fecerat in sepulchris concupiscentiæ, cap. 11, 33.

8. *Si propitius.* Particula *si* non est dubitantis, sed modum victoriæ indicantis, quasi dicat: Propitio Domino ingrediemur etc. vel sensus est: nisi pergatis illum vestris oblocutionibus irritare.

9. *Recessit ab eis omne præsidium.* Heb. *recessit ab eis umbra eorum.* LXX habent, *recessit ab eis tempus.* Devino præsidio destituti sunt. Hebræi hoc intelligunt de morte S. Job, quem juxta Jordanem habitasse ex variis auctoribus ait Pineda in Job 1, versu 1, 27; et hoc anno mortuum fuisse aliqui volunt. Vide Corn. a Lapide cap. 10 Num. versu 11.

10. *Et lapidibus eos etc.* Caleb scilicet et Josue qui murmurantibus resistebant.

Gloria Domini. Nubes lucida præsentiam Domini indicans.

Super tectum fœderis. Super tabernaculum.

11. *Detrahet mihi.* Heb. *irritabit me.*

12. *Principem super gentem magnam.* Quæ ex te nascatur, vel cui tu imperes.

13. *Ut audiant Ægyptii.* Trunca oratio per aposiopesin ad ex-

14. Et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, * et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem: *Exod. 13, 21.

15. Quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant:

16. Non poterat introducere populum in terram pro qua juraverat: * idcirco occidit eos in solitudine. *Exod. 32, 28.

17. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens:

18. * Dominus patiens et multæ misericordiæ, * auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui * visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. * Ps. 102, 8. * Exod. 34, 7. *Exod. 20, 5.

19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum.

20. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum.

21. Vivo ego: et implebitur gloria Domini universa terra.

22. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ,

---

primendum pathos, quasi dicat: Si hoc facis, audient Ægyptii et blasphemabunt nomen tuum.

* 16. *Juraverat.* Juravit hoc Deus Israelitico populo, qui semper idem esse censetur, non his vel illis de populo. Quare juramentum hoc plene implevit Deus Josue temporibus.

17. *Magnificetur ergo fortitudo Domini.* Magna appareat, iram vincendo, et difficultates ex hostibus, ex itinere, ex ingenio duro Hebræorum, superando.

Sicut jurasti. Non juraverat Dominus, sed illius asseverationi par fides adhibenda ac juramento.

18. *Innoxium.* Impunitum, cum pœnam meretur.

Qui visitas peccata patrum in filios. Non quod Moses hoc optet, cum contrarium postulet: sed quia Deus Exod. 34, 6, hæc sibi epitheta tribuerat, iisque cum invocaretur nominari voluit.

20. *Dimisi.* Non puniam, ut dixeram.

Juxta verbum tuum. Ut petisti.

21. *Vivo ego.* Juro ego per vitam meam.

Implebitur gloria Domini universa terra. Adeo mira facturus sum inducens populum in Chananæam.

22. *Qui viderunt majestatem meam.* Signa nimirum et portenta, quæ majestatis meæ argumenta sunt

Per decem vices. Multis vicibus.

* Jos. 14, 6. 23. * Non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum; nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.

24. * Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc quam circuivit; et semen ejus possidebit eam.

25. Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus, cras movete castra, et revertimini in solitudinem per viam maris rubri.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

27. Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi.

* Ps. 105, 26. 28. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis:

* Deut. 1, 35. 29. * In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me,

30. * Non intrabitis terram super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun.

31. Parvulos autem vestros de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam; ut videant terram quæ vobis displicuit.

32. Vestra cadavera jacebunt in solitudine.

33. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto,

---

24. *Qui plenus alio spiritu.* Bono; scilicet obedientiæ, magnanimitatis, fidei, ac fiduciæ.

Secutus est me. Jussa mea faciendo, non obloquendo, bonum exitum sperando et alios etiam ad spem erigendo.

* 25. *Habitant in vallibus.* Castrametantur in vallibus vicinis, vobisque insidiantur.

Revertimini in solitudinem. Jam pervenerant in Rethma et Cades, proximeque aberant a terra promissa, tantum enim intererant montes Idumææ; in pœnam ergo revocat illos in solitudinem. * Vel ne in hostium insidias incidant, quibuscum si congrederentur cladem acciperent, cum numen non haberent propitium.

30. *Super quam levavi manum.* Pro qua, quasi elata in altum manu, juravi quod eam vobis darem, Genes. 15, 18.

33. *Annis quadraginta.* Hebræi egressi sunt ex Ægypto 15 die mensis primi, ut patet Num. 33, 3; transierunt autem Jordanem, et ingressi sunt Chanaan decima die mensis primi anni 41 ab egressu, ut patet Josue 4, 19. Itaque desunt quinque dies ad explendum quadraginta annos.

Portabunt fornicationem ves-

34. Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram: * annus pro die imputabitur. * Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam: * Ezec. 4, 6. * Ps. 94, 10.

35. Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me: in solitudine hac deficiet, et morietur.

36. * Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, * detrahentes terræ quod esset mala, * 1 Cor. 10, 10. Heb. 3, 17. Jud. 5.

37. Mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. * Deut. 1, 28.

38. Josue autem filius Nun, et Caleb filius Jephone vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram.

39. Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel, et luxit populus nimis.

40. Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum de quo Dominus locutus est: quia peccavimus.

41. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum?

42. * Nolite ascendere; non enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris. * Deut. 1, 42.

43. Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum.

44. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca

---

tram. Pœnam fornicationis vestræ, id est, prævaricationis ac declinationis a Deo et ejus lege.

34. *Iniquitates*. Pœnam iniquitatum.

37. *Mortui sunt atque percussi*. Subita morte puniti sunt, præter Josue et Caleb.

* *In conspectu Domini*. Gloria Domini adhuc se visendam exhibente supra tabernaculum.

39. *Universa verba hæc*. Sententiam mortis continentia.

40. *Ascenderunt verticem montis*. Idumææ, ut sic statim penetrarent in Chanaan. Prius aversi et refugientes, nunc præcipites in eam ruunt, sine consilio, nutu, opeque Dei, in utroque inobedientes Domino, utrobique multati ut meriti fuerant.

Parati sumus ascendere. Quasi priorem contumaciam emendaturi.

44. *At illi contenebrati*. Excæcati inobedientia et cupiditate penetrandi in Chanaan, non acquiescunt.

In verticem montis. In quo habitabant Chananæi et Amalecitæ qui facile per dorsum montis in sublime nitentes deturbarunt ac ceciderunt.

autem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris.

45. Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte: et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

CAPUT XV.

Quæ libamenta ingressis terram offerenda sint, ac primitiæ separandæ: pœna peccati per ignorantiam aut superbiam commissi: lapidatur qui sabbato ligna collegit: fimbriæ ac vittæ per quatuor angulos palliorum ponendæ.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,

3. Et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus;

4. Offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin:

5. Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos

6. Et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin:

7. Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino.

---

45. *Usque Horma.* Qui locus postea ita dictus est, Num. 21, 3, a strage ibi edita ab Hebræis. Vel etiam ab hac clade nomen invenit. *Horma* anathema significat.

Caput XV. 3. *Adolentes odorem suavitatis.* Holocaustum scilicet, vel victimam pacificam.

4. *Sacrificium similæ.* Quod holocaustis tantum et victimæ pacificæ, non autem victimæ pro peccato, addi solebat.

Decimam partem ephi. Quæ gomor dicitur.

Quartam partem hin. Quarta pars hin erant tres sextarii hebræi, id est, unciæ aquæ vel vini 40; libræ scilicet tres et unciæ quatuor.

5. *Et vinum ad liba.* Ad libamina. Simila sale et oleo commista victimæ cremandæ imponebatur, et super hæc vinum libabant, illud super infundendo. Ex his quæ hic dicuntur in textu facile notabis quo major est hostia, majus etiam libamen præscribi.

8. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas,

9. Dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin:

10. Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.

11. Sic facies

12. Per singulos boves et arietes et agnos et hædos.

13. Tam indigenæ quam peregrini

14. Eodem ritu offerent sacrificia.

15. Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terræ.

16. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

17. Loquere filiis Israel, et dices ad eos:

18. Cum veneris in terram quam dabo vobis,

19. Et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino

20. De cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis,

21. Ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino.

22. Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum quæ locutus est Dominus ad Moysen,

23. Et mandavit per eum ad vos, a die qua cœpit jubere, et ultra,

24. Oblitaque fuerit facere multitudo; offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba, ut ceremoniæ postulant, hircumque pro peccato.

25. Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel; et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus

---

13. *Peregrini.* Qui proselyti sunt.

20. *De cibis.* De panibus.

Sicut de areis. Idem judicium et de torcularibus.

21. *De pulmentis.* De massa farinæ subacta ad panes conficiendos.

24. *Vitulum de armento, holocaustum etc. Hircumque pro peccato.* Levitici 4, 13 præcipitur ut si tota multitudo filiorum Israel peccaverit, offerat vitulum pro peccato comburendum extra castra. Hic vero additur ut præter vitulum Levitici 4 præscriptum, alius insuper vitulus in holocaustum offeratur et hircus pro peccato.

Sacrificium ejus. Farreum.

Liba. Libamina olei et vini.

offerentes incensum Domino pro se et pro peccato atque errore suo :

26. Et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, et advenis qui peregrinantur inter eos; quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam.

27. Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo :

28. Et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino ; impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi.

29. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium qui peccaverint ignorantes.

30. Anima vero quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo :

31. Verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum : idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam.

32. Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati,

33. Obtulerunt eum Moysi et Aaron et universæ multitudini.

34. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.

35. Dixitque Dominus ad Moysen : Morte moriatur homo iste ; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.

36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, et mortuus est sicut præceperat Dominus.

37. Dixit quoque Dominus ad Moysen :

* Deut. 22, 12. Matt. 23, 5. 38. Loquere filiis Israel, et dices ad eos * ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas :

---

25. *Offerentes incensum.* Victimam quæ incendatur et adoleatur Deo.

31. *Præceptum illius fecit irritum.* Violavit præceptum, fecit illud irritum, non quoad obligationem, sed quoad ejus finem et usum qui est obedire Deo.

32. *Colligentem ligna in die sabbati.* In deserto servabant sabbatum quoad vacationem ab operibus, non quoad sacrificia.

35. *Morte moriatur.* Leges pœna sanciendæ, præsertim cum recens latæ sunt.

38. *Fimbrias.* Ad eum modum quo videmus in extremitate telarum fila quædam exstare. Has fimbrias etiam Christus gestavit, nam Luc. 8, 44 dicitur mulier tetigisse fimbriam vestimenti ejus.

Vittas hyacinthinas. Coloris violacei.

39. Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes;

40. Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.

41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem Deus vester.

CAPUT XVI.

Core, Dathan et Abiron seditionem movent, hosque vivos terra absorbet, et ignis interficit 250 viros offerentes incensum, et alios 14700 murmurantes consumsit incendium.

1. Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth, de filiis Ruben,

2. Surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur.

3. * Cumque stetissent adversum Moysen et Aaron, dixerunt: * Eccli. 45, 22.

---

39. *Nec sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes.* Quasi dicat: Gestate has fimbrias, ut iis admoniti legis Domini, non sequamini cogitationes et curiositatem cordis vestri, et oculorum concupiscentiam, quos sequentes aberretis a præceptis Dei, et tanquam fornicarii, alieno rerum concupitarum amore, et peccatis vos polluatis. * Vel sensus est: nolite sequi cogitationes vestras legem interpretando, et ad id quod cupitis trahendo et detorquendo; ne proprio fidentes judicio peccetis, et culpam, quæ est metaphorica quædam fornicatio, contrahatis.

Caput XVI. 1. *Core filius Isaar.* Core fuit consobrinus Mosis et Aaronis; erant enim duorum fratrum filii Amram et Isaar. Caath enim genuit Amram et Isaar, ut patet partim hic, partim Exod. 6, 18.

* *De filiis Ruben.* Qui concoquere non poterant a filiis Ruben Jacobi primogeniti ablatum jus sacerdotii.

2. *Surrexerunt contra Moysen.* Non tam ejus principatum ambientes, quam Aaronis sacerdotio invidentes, quasi illud a se, utpote primogenitis, inique ablatum esset, maxime vero Core qui erat primogenitus, ut patet Exod. 6, 21.

Per nomina. Heb. *viri nominis,* celebres, primores et senatores qui ad consilium evocari solebant.

3. *Sufficiat vobis.* Ut priva vivatis, et vestra sorte singuli contenti sitis.

Sufficiat vobis; quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini?

4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:

5. Locutusque ad Core et ad omnem multitudinem, Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi: et quos elegerit, appropinquabunt ei.

6. Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu, Core, et omne concilium tuum:

7. Et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus. Multum erigimini, filii Levi!

8. Dixitque rursum ad Core: Audite, filii Levi:

9. Num parum vobis est quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei?

10. Idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis,

11. Et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?

12. Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus:

Quia omnis multitudo sanctorum est. Quod omnis hic Hebræorum populus sanctus est, Deoque per veram fidem, religionem, cultum et pactum in Sina initum, devinctus et quasi consecratus æque ac vos, o Moses et Aaron.

Et in ipsis est Dominus. Qui illis adest, beneficiisque prosequitur.

4. *Cecidit pronus in faciem.* Humiliter orans Dominum, ut seditionem hanc Core discuteret.

5. *Qui ad se pertineant.* Ad quæ verba alludit Apostolus 2 Tim. 2, 19, cum ait: *cognovit Dominus qui sunt ejus.*

Et sanctos applicabit sibi. Exteriori signo ostendet quem velit sibi in sacerdotem sanctificari, sacroque hoc ministerio fungi.

Et quos elegerit, appropinquabunt ei. Sacerdotio fungentur ii quos Deus ipse ad hoc delegerit, non alii.

7. *Ponite desuper thymiama coram Domino.* Coram sancto sanctorum, in altari thymiamatis.

Ipse erit sanctus. Segregatus et electus a Deo ad sacerdotium.

Multum erigimini, filii Levi. Heb. *multum vobis,* scilicet sumitis et arrogatis. Valde superbitis.

11. *Omnis globus tuus.* Congregatio tua, gregales tui.

Quid est enim Aaron. Quid fecit Aaron? nec enim ipse se ingessit sacerdotio, sed a Deo vocatus fuit.

12. *Misit ergo Moyses.* Nun-

13. Numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra quæ lacte et melle manabat, ut occideres in deserto, nisi et dominatus fueris nostri?

14. Revera induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum: an et oculos nostros vis eruere? Non venimus.

15. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.

16. Dixitque ad Core: Tu, et omnis congregatio tua, state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim.

17. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.

18. Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron,

19. Et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.

20. Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait:

21. Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam.

22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortis-

---

tium ad absentes Dathan et Abiron, et etiam ad Hon; nam Core solus erat præsens Moysi.

Non venimus. Nolumus venire.

14. *Revera induxisti nos etc.* Est sarcasmus, quasi dicat: Hæccine in deserto est terra illa fertilissima, in quam te nos inducturum jactabas?

Oculos nostros vis eruere. Ut non videamus tuas imposturas. * Vel etiam sensus est: an paras in corpora nostra sævire si tibi non pareamus, oculos nobis eruendo?

15. *Sacrificia*. Thurificationes; non enim victimas, sed tantum thymiama obtulerunt.

17. *Ducenta quinquaginta thuribula*. Non sumta de sanctuario, sed quæ seditiosi sibi fecerant.

18. *Quod cum fecissent*. Illi 250; Dathan et Abiron, Core et Hon venire noluerunt ex contumacia, vel sibi a Deo timentes malum aliquod.

19. *Gloria Domini*. Major solito lux et fulgor in columna nubis, divinam indicans præsentiam.

21. *Separamini de medio congregationis hujus*. Et sacerdotium ambientium et populi qui illis adeaderat, illisque favebat. *Bonorum subditorum est segregare se a seditiosis; hinc Moses pro populo preces fundit ut sequitur.

22. *Deus spirituum universæ carnis*. Qui omnem animam humanam, quæ carnem animat, con-

sine Deus spirituum universæ carnis, num, uno peccante, contra omnes ira tua desæviet?

23. Et ait Dominus ad Moysen:

24. Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core, et Dathan, et Abiron.

25. Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron: et sequentibus eum senioribus Israel,

26. Dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.

27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis, omnique frequentia.

28. Et ait Moyses: In hoc scietis quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim:

29. Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus:

30. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum.

* Deut. 11, 6. Ps. 105, 17 et 18.

31. * Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:

---

didisti; vel qui intima carnis scrutaris, mentem, propensiones, vota, cognoscis.

Uno peccante, contra omnes ira tua desæviet. Pauci peccarunt, ad illos pœna pertinet. Populus non rebellis fuit aut contumax, ut illi, sed levius peccavit, novitate rerum ductus et curiositate; dignus ergo est cui parcas.

24. *Core, et Dathan, et Abiron.* Intellige et Hon, quia hi quatuor erant capita seditionis.

26. *In peccatis.* Ne pœnæ peccatorum participes sitis.

27. *Omnique frequentia.* Famulorum, ancillarum, parvulorum.

28. *Ut facerem universa.* Quæ scilicet in vestri ex Ægypto eductione, totoque meo ducatu, ac præsertim circa Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes electionem feci.

29. *Plaga qua et cæteri visitari solent.* Quæ extraordinaria non est, et non infrequenter mittitur a Deo; cujusmodi est fames, pestis, bellum.

30. *Aperiens terra os suum.* Facta voragine.

Blasphemaverint Dominum. Opus enim Dei, scilicet sacerdotium Aaronis calumniati sunt, illudque non Deo, sed Mosi ejusque favori iniquo et injusto tribuerunt: hoc autem est blasphemare. Blasphemia enim est cum opus Dei

32. Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum :

33. Descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis.

34. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens : Ne forte et nos terra deglutiat.

35. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum.

36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens :

37. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat; quoniam sanctificata sunt

38. In mortibus peccatorum : producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint; ut cernant ea pro signo et monumento filii Israel.

39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari :

---

tribuitur dæmoni vel homini, ut patet Matth. 12, 31. * Erat etiam ingens in Deum injuria et contumelia.

32. *Et universa substantia eorum.* Uxores, filii, reliquique familiares peccati participes fuerant, rebellibus consentientes et illorum conatus probantes, ideoque Dominus eadem pœna eos involvit. Parvuli, qui per ætatem peccare non poterant, etiam ipsi absorpti sunt, ut in iis parentes punirentur a Deo qui vitæ et mortis est Dominus. Si diutius vixissent fortasse parentes fuissent imitati, et alioqui qui corporibus non pepercit, animis videtur pepercisse; nam per remedium legis naturæ ab originali expiatos fuisse credibile est : circumcisio enim in deserto non fuit usurpata.

33. *In infernum.* Proprie dictum, quo illos viventes adhuc pervenisse probabile est, licet oppositum sit probabilius. Itaque illud *descenderunt vivi,* de actu inchoato accipiendum est, non de perfecto.

Operti humo. Terra quæ discesserat, hiatum suum concludente.

35. *Egressus a Domino.* Ex altari holocaustorum, ex quo ignem petebant ad adolendum thymiama.

Qui offerebant incensum. Qui se comparabant ad offerendum.

37. *Sanctificata sunt.* Per contactum ignis sacri et thymiamatis. Vel sanctificata sunt dum Deus in impios vindictam exercuit : hoc enim videtur significare quod additur, *in mortibus peccatorum.* Vel tandem sanctificata sunt, quia jussa offerri tabernaculo, et in eo asservari ad perpetuam rei memoriam.

38. *In mortibus peccatorum.* Per mortem, ut dixi; vel tempore quo peccatores exstincti sunt.

39. *Affigens altari.* Holocaustorum.

40. Ut haberent postea filii Israel, quibus commonerentur; ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen.

41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

42. Cumque oriretur seditio, et tumultus incresceret,

43. Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini.

44. Dixitque Dominus ad Moysen:

45. Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra,

46. Dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis: * jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit.

* Sap. 18, 21.

47. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama:

48. Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.

49. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum et septingenti, absque his qui perierant in seditione Core.

50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

CAPUT XVII.

Sumtis virgis a duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit ac fructum produxit, servataque est in tabernaculo testimonii.

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas

---

45. *Cumque jacerent in terra.* Moses et Aaron supplicantes pro populo.

47. *Obtulit thymiama.* Licebat tantum offerre in tabernaculo in altari thymiamatis, sed extra illud obtulit, Mose ita ex divina inspiratione illi mandante.

per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim; et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ:

3. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit:

4. Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te.

5. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.

6. Locutusque est Moyses ad filios Israel: et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.

7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii:

8. Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.

9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque et receperunt singuli virgas suas.

10. Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, * ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. * Heb. 9, 4.

11. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus.

12. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen: Ecce consumti sumus, omnes perivimus,

---

Caput XVII. 2. *Per cognationes*. Tribus.

Uniuscujusque. Princeps in quaque tribu.

3. *In tribu Levi. In virga Levi,* ut est in hebr.

4. *Coram testimonio*. Coram arca.

5. *Cohibebo a me*. Quiescere faciam.

6. *Fueruntque virgæ duodecim, absque virga Aaron*. Tribus si numeres Levi, erant tredecim; nam tribus Joseph erat duplex, sive bipartita, Ephraim scilicet et Manasse. Pro tribu Levi posita est virga Aaron, quæ fuit decima tertia.

8. *Virgam Aaron*. Qui erat primogenitus in domo, id est, tribu Levi.

Et turgentibus gemmis etc. Hebræa habent: *Et ecce virga protulit germen, et floruit florem, et reddidit amygdalas*. Triplex fuit miraculum, quod scilicet arida virga gemmas protulerit, quod hæ conversæ statim sint in flores, et hi in fructus.

12. *Ecce consumti sumus*. Multi absumti sunt superioribus cladibus.

13. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur: num usque ad internecionem cuncti delendi sumus?

CAPUT XVIII.

De onere sacerdotum et excubiis Levitarum; primitiæ et oblationes ac sacrificia sacerdotibus, decimæ autem Levitis assignantur, qui earum decimarum rursum dabant Aaron.

1. Dixitque Dominus ad Aaron: Tu et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii: et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri.

2. Sed et fratres tuos de tribu Levi, et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, et ministrent tibi; tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii.

3. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, et ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa sanctuarii et ad altare non accedant, ne et illi moriantur, et vos pereatis simul.

4. Sint autem tecum, et excubent in custodiis tabernaculi, et in omnibus ceremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis.

5. Excubate in custodia sanctuarii, et in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel.

6. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum

---

13. *Quicumque.* Non initiatus et Deo non vocante.

Num usque ad internecionem etc. Novi istius signi occasione timuerunt ne rursus in eos Dominus alia aliqua plaga desæviret. Optant ergo malum, si quod impendeat precibus Mosis averti.

Caput XVIII. 1. *Portabitis iniquitatem sanctuarii.* Dabitis pœnas, si quid peccabitur in ceremoniis, aut si quis externus vestra remissione et negligentia sese sacris immiscuerit: nam vos confirmavi in sacerdotio et miraculis vestram auctoritatem apud populum sancivi. Vestrum ergo est sacerdotii jura fortiter tueri.

2. *Sceptrum.* Tribum. Vide supra cap. 13, 12.

3. *Excubabuntque Levitæ.* Promti, alacresque ut famuli qui heri jussa expectant, parati effecta dare.

Ad cuncta opera tabernaculi. Ut custodiant, portent cum moventur castra etc.

Ne et illi moriantur, et vos. Illi propter temerarium tactum sacrorum; vos quia non prohibuistis.

4. *Ceremoniis.* Ministrationibus religiosis.

Alienigena. Qui de alia tribu est.

5. *Indignatio super filios Israel.* Puniente Domino populum propter peccata sacerdotum, corpus pro capitibus.

Israel, et tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus.

7. Tu autem et filii tui custodite sacerdotium vestrum: et omnia quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. Si quis externus accesserit, occidetur.

8. Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.

9. Hæc ergo accipies de his quæ sanctificantur, et oblata sunt Domino. Omnis oblatio, et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, et cedit in sancta sanctorum, tuum erit, et filiorum tuorum.

10. In sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi.

11. Primitias autem quas voverint et obtulerint filii Israel, tibi dedi, et filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

12. Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.

---

7. *Intra velum.* Intra sanctum, et intra sanctum sanctorum.

* 8. *Custodiam.* Cum pleno jure utendi et consumendi.

Primitiarum. Oblationum.

Quæ sanctificantur. Quæ mihi segregantur et offeruntur.

Legitima sempiterna. Lex perpetua, dum Hebræorum hæc durabit respublica.

9. *Omnis oblatio etc.* Victimæ quælibet et sacrificia ex legis præscripto oblata.

In sancta sanctorum. Quod mihi offertur, et ideo est sanctissimum.

10. *In sanctuario.* In atrio tabernaculi, juxta altare holocaustorum.

Mares tantum edent ex eo. Scilicet sacrificio pro peccato et delicto: nam ex hostia pacifica etiam feminæ comedebant, ut patet Levit. 10, 14; Deut. 12, 18, et cap. 16, 11.

Quia consecratum est tibi. Tibi segregata erit et ad te pertinebit.

11. *Primitias.* Oblationes.

12. *Medullam olei etc.* Quod pinguissimum et optimum est in frumento, vino, oleo.

Primitiarum Domino. Primitiæ distinguuntur a decimis: primitiæ enim sunt primi fructus; decimæ sunt decima pars fructuum: primitiæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; decimæ proxime sacerdotibus dantur in stipendium ministerii eorum, ut illi sustententur. Porro quadruplices primitias pen-

13. Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.

15. Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, et omne animal quod immundum est, redimi facias,

16. Cujus redemtio erit post unum mensem, siclis argenti
* Exod. 30, 13. Lev. 27, 25. Sup. 3, 47. Ezech. 45, 12. quinque, pondere sanctuarii. * Siclus viginti obolos habet.

17. Primogenitum autem bovis et ovis et capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino: sanguinem tantum eorum fundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino.

18. Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, et armus dexter, tua erunt.

---

debant Hebræi. 1°, Spicarum, die secunda azymorum, Lev. 23, 10. 2°, Panum in pentecoste, Levit. 23, 17. 3°, Panum quos hebdomadatim pinsebant, Num. 15, 21. 4°, In mense septimo in festo tabernaculorum, collectis omnibus frugibus tam ex messe quam ex uvis, eorum omnium primitias dabant, et hæ quarti hujus generis intelliguntur in Scriptura, cum fit mentio primitiarum. Primitiarum vero quantitas, quæ dabatur, erat pars fructuum media inter 40 et 60; intra quam latitudinem quisque dabat quod volebat: qui minimum, dabat sexagesimam partem; qui plurimum, quadragesimam.

13. *Frugum initia.* Primitias.

Qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Si videlicet, aliquid ex hisce primitiis fuerit Deo immolatum et sacrificatum: nam alias si soli sacerdoti fuissent oblatæ, poterant a quibusvis etiam immundis absumi.

14. *Omne quod ex voto reddiderint.* Si scilicet voverint illud non ad immolationem, sed tantum ad oblationem.

15. *Quidquid primum erumpit etc.* Primogenita animalium.

Immundum est. Non secundum speciem, ut equus aut mulus, sed per accidens, ut ovis clauda aut cæca.

16. *Cujus redemtio.* Hominis scilicet, non reliquorum animantium.

Post unum mensem. Poterat ergo infans primogenitus redimi ante matris purificationem, quæ 40 die fiebat; communiter tamen matres exspectabant suam purificationem, quod B. Virgo fecit consuetudinem secuta.

17. *Sanctificata sunt.* Apta ad sacrificium, ac proinde immolanda.

18. *Sicut pectusculum consecratum.* Sicut pectusculum et armus dexter ex hostia pacifica ita tuus est, ut quivis mundus ex tua

19. Omnes primitias sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.

20. Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel.

21. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis:

22. Ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum,

23. Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, et portantibus peccata populi: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. * Nihil aliud possidebunt, * Deut. 18, 1.

24. Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.

25. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

26. Præcipe Levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ,

---

familia ex iis edere possit, ita erunt tuæ hæ carnes primogenitorum mihi immolatorum, ut a quovis mundo tuæ familiæ comedi possint.

19. *Pactum salis.* Pactum sempiternum et incorruptum; sumta metaphora ab incorruptibilitate, quam sal rebus communicat quibus aspergitur.

20. *In terra eorum.* Hebræorum fratrum vestrorum.

Partem. Hæreditatis, scilicet agros, vineas, prata etc.

Ego pars et hæreditas tua etc. Id est, ut explicatur Josue 13, 14, sacrificia, victimæ, et oblationes, quæ mihi offeruntur, sunt tua hæreditas, hæc tibi abunde sufficiet.

21. *Filiis autem Levi etc.* Levitis tantum, non sacerdotibus decimæ solvebantur: Levitæ vero rursus ex iis dabant decimas sacerdotibus. Vide Nehem. cap. 10, 37 et 38.

22. *Nec commitant peccatum mortiferum.* Quod sit illis causa mortis tam præsentis quam æternæ.

23. *Portantibus peccata populi.* Est idem loci hujus sensus quem supra num. 1, in simili habuimus; ut si quid ab aliquo de populo committatur temere sese in Levitarum munia ingerente, vel vasa sacra tangente, vel in atrium sanctum ingrediente, id non toti populo, sed Levitis a Deo ad pœnam imputetur, quibus ex officio incumbit ad hæc advigilare, et cæteros arcere.

26. *Primitias earum.* Decimas earum, hæ cedebant sacerdotibus, ut dixi num. 21.

27. Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam de torcularibus:

28. Et universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, et date Aaron sacerdoti.

29. Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt.

30. Dicesque ad eos: Si præclara et meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area et torculari dederitis primitias:

31. Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio quo servitis in tabernaculo testimonii.

32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis et pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, et moriamini.

CAPUT XIX.

Ex cinere vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis, qua variæ immunditiæ abluebantur; de moriente in tabernaculo, et vase non habente operculum, ac tangente cadaver hominis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe

---

27. *Ut reputetur vobis.* Hoc pacto solvetis etiam vos decimas eo modo quo poteritis, eritque perinde ac si de areis etc. offerretis, si eas haberetis.

28. *Quorum accipitis primitias.* Decimas.

Date Aaron sacerdoti. Ut ille ea inter sacerdotes distribuat.

31. *Comedetis eas in omnibus locis vestris.* Ubicumque locorum habitabitis. Hoc dicitur, quia quædam quæ sacerdotibus proveniebant in atrio sancto erant ab illis absumenda, ut dictum est hoc capite num. 10.

Pretium est pro ministerio. Stipendium sustentationis.

32. *Ne polluatis oblationes filiorum Israel.* Quod faceretis si dantibus illis optima, vos dare-tis deterrima.

Et moriamini. Iram meam provocantes.

Caput XIX. 2. *Ista est religio.* Lex ceremonialis.

Victimæ. Expiatricis, ex cujus cineribus fiat aqua lustrationis.

Rufam. Cur vacca hæc rufa potius esse debuerit, quam alterius coloris, ne Salomoni quidem patuisse dicunt Hebræi.

Ætatis integræ. Perfectæ.

Nulla sit macula. Non coloris, sed deformitatis, non sit clauda,

filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum :

3. Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti : * qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium : * Heb. 13, 11.

4. Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus,

5. Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus quam sanguine et fimo flammæ traditis.

6. Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam quæ vaccam vorat.

7. Et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum.

8. Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum.

9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, et in aquam aspersionis : quia pro peccato vacca combusta est.

10. Cumque lavaverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel, et advenæ qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo.

---

non cœca, non scabiosa etc. Vide Levit. 22, 22.

Ne portaverit jugum. Neque enim decet servisse homini victimam hanc, quæ serviet Deo ad hominum expiationem.

3. *Tradetisque eam Eleazaro.* Quia hæc victima non erat solemnis et festiva, ut illam Aaron immolaret; sed lugubris et lustralis : eam immolare jubetur Eleazarus sacerdos.

. *Extra castra immolabit.* Quia erat immolanda pro peccatis totius populi, quare ipsa (ut quæ totius populi in se susciperet peccata) valde immunda censebatur, et sacerdos qui illam immolabat, et is qui eam cremabat pariter immundi erant usque ad vesperam.

4. *Contra fores tabernaculi.* Obversus ad eas, quamvis e longinquo, quippe qui erat extra castra

5. *Comburetque eam.* Non per se, sed per alium, ut patet n. 8.

6. *Lignum quoque cedrinum, et hyssopum etc.* Vide dicta Levitici cap. 14, 7.

7. *Commaculatusque.* Immundus legaliter.

9. *In custodiam.* Diligenter custodiantur cineres a filiis Israel.

In aquam aspersionis. Qua aspersi a legali immunditia expientur. * Aqua cineri mista ostendit homini ex quibus rebus constet, et optima ad purgationem præparatio sui ipsius cognitio est.

Pro peccato vacca combusta est. Ut sit victima expiatrix peccati.

10. *Sanctum jure perpetuo.* Firmum et inviolabile.

11. Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus,

12. Aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.

13. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, et aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum.

14. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.

15. Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.

16. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus.

17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas:

18. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, et cunctam supellectilem, et homines hujuscemodi contagione pollutos:

19. Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die; expiatusque die septimo, lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum.

---

11. *Qui tetigerit cadaver hominis.* Aliqui putant aquam hanc lustralem institutam fuisse tantum ad expiandam immunditiam contractam ex contactu mortui: alii censent fuisse communem omnium legalium immunditiarum expiationem.

* 12. *Si die tertio etc.* Si non fuerit aspersus tertio die, poterit aspergi quarto vel quinto, et septimo ab illo die emundari.

13. *Morticinum.* Cadaver.

Hac commistione. Hac aqua quæ commista est cineribus vitulæ.

Polluet tabernaculum. Violabit locum sanctum.

14. *In tabernaculo.* Domi, ut vertunt LXX.

Et universa vasa quæ ibi sunt. Tota supellex domestica.

15. *Vas quod non habuerit operculum.* Non est hæc lex generalis, sed tantum sermo est de funeribus. Vasa ergo quæ sunt in tabernaculo defuncti, si operculo aut ligatura munita non sint, præsentia cadaveris contaminantur.

16. *Si quis in agro etc.* Ubi Hebræi sua habebant sepulchra.

17. *Aquas vivas.* Fluviales vel fontanas.

20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus.

21. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.

22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: et anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

CAPUT XX.

Maria moritur: murmuranti populo e petra contradictionis aqua fluit: neganteque transitum Edom, discedunt ad montem Hor, ubi consecrato in summum sacerdotem Eleazaro, moritur Aaron pater ipsius.

1. Veneruntque filii Israel et omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: et mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, et sepulta in eodem loco.

---

20. *Peribit anima illius.* A judicibus punietur si res constet, alioqui a Deo peccatorum vindice.

21. *Qui tetigerit aquas expiationis.* Mundabitur ab immunditia priori, v. g. cadaveris, sed ex aquæ hujus contactu aliam contrahet, quæ durabit tantum usque ad vesperam.

22. *Quidquid tetigerit immundus.* Immunditia illa majori septem dierum ex contactu cadaveris, sepulchri etc. is contactu suo alios contaminabit.

Et anima quæ horum quippiam tetigerit. Non solum immundus est qui tangitur ab immundo, sed etiam is qui aut immundum tangit aut rem pollutam, immunditiam contrahit usque ad vesperam duraturam.

Caput XX. 1. *In desertum Sin.* Hoc desertum aliud est ab illo Sin, in quo pluere cœpit manna, Exod. 16, 1 et 15: nam in illo octava fuit Hebræorum mansio, in hoc trigesima tertia; illud scribitur per *samech,* hoc vero per *tsade*.

Mense primo. Anni 40 ab egressu Hebræorum ex Ægypto; nam Moses tantum commemorat gesta anni primi, secundi, et quadragesimi: quare ab hoc capite usque ad finem Pentateuchi describuntur gesta anni quadragesimi, qui fuit ultimus peregrinationis Hebræorum in deserto.

In Cades. Diversa est hæc Cades ab illa quæ dicitur Cadesbarne, juxta quam fuit decima quinta mansio: nam Cadesbarne fuit in confinio australi terræ Chanaan; at Cades hæc longe ab illa aberat, erat enim posita in extremis finibus

2. Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron:

3. Et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino!

* Exod. 17, 3. 4. * Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur?

5. Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum?

6. Ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut, satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.

7. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

8. Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et jumenta ejus.

* Exod. 17, 5 et 6. Sap. 11, 4. 9. * Tulit igitur Moyses virgam quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei,

10. Congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite, rebelles et increduli: * Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?

* Ps. 77, 15 et 20. 1 Cor. 10, 4.

11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta.

12. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: * Quia non cre-

Idumææ ad austrum vergentibus, ut patet hoc cap. n. 16, non valde procul a mari rubro. Vide Cornel. hic; et Bonfrerium Num. 13, 27.

Mortuaque est ibi Maria. Quatuor mensibus ante fratrem suum Aaron, cum esset annorum 130.

6. *Aperi eis thesaurum.* Quæ latent et necdum aperta sunt dicuntur esse in thesauris Dei: sic Psalm. 134, 7. *Qui producit ventos de thesauris suis.*

Gloria Domini. In nube novos et insolitos radios vibrantis.

8. *Loquimini ad petram.* Imperate petræ ut det aquas, adhibita etiam virgæ percussione.

9. *In conspectu Domini.* In tabernaculo. Virga hæc est Mosis operatrix miraculorum: non Aaronis quæ floruerat.

12. *Non credidistis mihi.* Du-

didistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.

13. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis.

14. Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos,

15. Quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et patres nostros;

16. Et quo modo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi,

17. Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.

---

bitasse videntur num vere Deus aquam promisisset, an solum per ironiam, aut sub ea conditione si cessassent Hebræi a murmure. Itaque cum viderent populum incredulum etiam ipsos subiit dubitatio, vel fortasse Deus ad primam percussionem aquas non dedit, ad eorum tentandum fidem, inde illi turbati, et humani aliquid passi, gestu ac vultu, coram populo perturbationem aliquam ostenderunt, quæ populo ansam præbuit de divina potentia vel promissorum fidelitate dubitandi. Quidquid fuit peccati, certe gravi crimine liberandi sunt cum Augustino lib. 16 contra Faustum, cap. 16.

Ut sanctificaretis me etc. Ut sanctum, fidelem, potentem ostenderetis.

In terram quam dabo eis. In Chananæa trans Jordanem; nam alioqui Moses intravit in terram promissam, quæ cessit tribui Ruben et Gad et dimidiæ tribui Manasse.

13. *Aqua contradictionis.* Ubi contradixit et murmuravit populus.

14. *De Cades ad regem Edom.* Cades enim vicina erat Idumææ, per quam transeundum erat Hebræis ituris in Chanaan.

Hæc mandat. Dedit nobis in mandatis ut hæc tibi diceremus.

Frater tuus Israel. Israelitæ enim a Jacob, Idumæi ab Esau Jacobi fratre descendebant.

16. *Miseritque angelum.* Ducem nostrum, nos præeuntem in columna nubis.

In urbe Cades. Juxta Cades; nam urbem non videntur ingressi.

17. *Non bibemus aquas de puteis tuis.* Gratis scilicet; nam in desertis illis locis magna est aquæ penuria.

18. Cui respondit Edom: Non transibis per me; alioquin armatus occurram tibi.

19. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam: et si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus.

20. At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudine, et manu forti,

21. Nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos: quamobrem divertit ab eo Israel.

22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom,

23. Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis.

* Inf. 33, 38, Deut. 32, 50.

25. * Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor.

26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, et morietur ibi.

27. Fecit Moyses ut præceperat Dominus: et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus.

29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.

30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

---

18. *Per me.* Per meam ditionem.

20. *Cum infinita multitudine.* Hyperbole etiam in vulgari sermone frequenter usitata.

Et manu forti. Magno robore militum.

21. *Divertit ab eo Israel.* Reflexo cursu circuivit Idumæam ad latus orientale.

24. *Pergat, inquit, Aaron ad populos suos.* Moriatur, congregetur ad populum suum in lymbum.

* 25. *In montem Hor.* Vide quæ dicuntur infra Deut. 10, 6.

26. *Colligetur.* Ad patres suos, ad populum suum.

29. *Illo mortuo.* Ætatis annorum 123, mense quinto, ut dicitur infra cap. 33, 38.

30. *Flevit super eo.* Justa funeris persolvit.

Vincitur ab Israel rex Chananæus: serpentes in populum ob itineris tædium murmurantem immittuntur, quorum morsibus erectus serpens æneus medetur: Sehon et Og reges vincuntur.

1. Quod cum audisset chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens, duxit ex eo prædam.

2. At Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus.

3. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit, subversis urbibus ejus: et vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.

4. Profecti sunt autem et de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris:

5. Locutusque contra Deum et Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.

6. * Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpen- *Judith
tes; ad quorum plagas et mortes plurimorum, 8, 25.
7. Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia Sap. 16, 5. 1Cor.
locuti sumus contra Dominum et te: ora ut tollat a nobis ser- 10, 9.
pentes. Oravitque Moyses pro populo,

8. Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum,

Caput XXI. 1. *Ad meridiem.* Terræ Chanaan.

Per exploratorum viam. Per quam anno secundo ab egressu ex Ægypto exploratores in terram Chanaan penetraverant.

Victor existens. Chananæus de Israel, quæ clades occcasionem præbuit Israelitis voti concipiendi.

2. *Delebo urbes.* Heb. *succidam et anathematizabo eos:* erat enim hoc votum *cherem*, de quo vide dicta Levit. ult. n. 28.

4. *Et tædere cœpit etc.* Cœperunt animis cadere.

5. *Cibo isto levissimo.* Scilicet manna. Vocant levissimum, hoc est, exiguæ virtutis et substantiæ. LXX dixerunt *ἄρτον διάκενον panem vacuum*, quasi qui hominem vacuum et minime saturum relinquat. Bono sensu hæc congrue Eucharistiæ conveniunt, quæ est panis vacuus, ipsa substantia scilicet panis, solis remanentibus accidentibus: vere autem plenus, quia in ea latet Christus.

6. *Ignitos serpentes.* Quod ab iis morsi uri viderentur. Fortasse hi serpentes fuerunt *presteres*, qui ab urendo sic dicti sunt. De prestere vide Plin. lib. 24, cap. 13.

et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.
*Joan. 3, 14. 9. * Fecit ergo Moyses SERPENTEM ÆNEUM, et posuit eum
pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur.
10. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth.
11. Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine
quæ respicit Moab contra orientalem plagam.
12. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared.
13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ
* Judic. 11, 18. est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi; * siquidem
Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos.
14. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in
mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.
15. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in
Ar, et recumberent in finibus Moabitarum.
16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, et dabo ei aquam.
17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant:
18. Puteus, quem foderunt principes, et paraverunt duces
multitudinis in datore legis, et in baculis suis. De solitudine (1),
Matthana.

(1) De solitudine. *In edit. Sixt. legitur* profectique sunt de solitudine.

---

8. *Pone eum pro signo.* In sublime erectum, omnibus conspicuum, trabe vel columna subjecta.

9. *Quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Fuit hic serpens Christi figura, ut ipsemet Christus asserit Joann. 3, 14. Sanabantur autem divino miraculo, non naturali virtute serpentis.

14. *In libro bellorum Domini.* Fuit hic liber vetus ante Pentateuchum conscriptus, sed intercidit, sicut et libri Henoch, Gad, Nathan, Abdo, et aliorum, quorum meminit Scriptura.

Sicut fecit in mari rubro etc. Sicut debellavit et male perdidit Ægyptios in mari rubro, ita perdet Sehon regem Amorrhæorum cum suis in torrentibus Arnon.

15. *Scopuli torrentium inclinati sunt.* In caput hostium Hebræorum devoluti eos oppresserunt, ut fluctus maris Ægyptios.

Ut requiescerent in Ar. A sublimi loco delati super Ar, urbe Moabitarum.

16. *Ex eo loco.* Digressis.

Apparuit puteus. Venerunt ad puteum, vel eo loco datus est ei puteus, ut populo siti laboranti succurreretur.

17. *Ascendat puteus.* Aqua putei; ebulliat et ascendat aqua ex imo puteo ut omnes bibere possimus.

Concinebant. Hoc per parenthesin dicitur.

18. *In datore legis.* Deo legis datore opem populo ferente.

19. De Matthana in Nahaliel. De Nahaliel in Bamoth.
20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.
21. * Misit autem Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: * Deut. 2, 26. Judic. 11, 19.
22. Obsecro, ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros et vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.
23. Qui concedere noluit ut transiret Israel per fines suos: quin potius, exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum.
24. * A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, et filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. * Psal. 134, 11. Amos 2, 9.
25. Tulit ergo Israel omnes civitates ejus, et habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, et viculis ejus.
26. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab, et tulit omnem terram quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon.
27. Idcirco dicitur in proverbio: Venite in Hesebon, ædificetur et construatur civitas Sehon:
28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, et devoravit Ar Moabitarum, et habitatores excelsorum Arnon.

Et in baculis suis. Viatoriis; ipsis baculis, terram modice fodientibus, cætera Deo liberaliter præstante.

24. *In ore gladii*. Vide dicta Exod. 17, 13.

Possessa est. Ab Israele.

Terra ejus. Sehon.

Quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. Ideo Israelitæ ab illis abstinuerunt.

25. *Tulit ergo*. Abstulit a Sehon.

Et viculis ejus. Heb. *et filiabus:* Hebræi enim vicos et urbes a metropoli sua dependere volebant, ut filiæ a matre.

26. *Urbs Hesebon etc*. Vetiti fuerant Hebræi Deut. c. 2, oppugnare Moabitas, de quorum ditione fuerat Hesebon, hanc primum invaserant Amorrhæi; itaque eam occupando, contra præceptum non fecerunt Hebræi, cum Amorrhæis tantum bellum intulerint, non Moabitis.

27. *In proverbio*. Carmine proverbiali, rhythmo, cantico.

Venite in Hesebon. Verba Amorrhæorum adhortantium se ad restaurandam et firmandam civitatem, quæ regia futura erat.

28. *Ignis egressus etc*. Sehonis victoria quasi ignis late populata est et pervagata regionem. Ar civitatem Moabitarum corripuit, et

* Judic. 11, 24. 3 Reg. 11, 7. 29. * Væ tibi, Moab; peristi, popule Chamos. Dedit filios ejus in fugam, et filias in captivitatem regi Amorrhæorum Sehon.

30. Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon; lassi pervenerunt in Nophe, et usque Medaba.

31. Habitavit itaque Israel in terra Amorrhæi.

32. Misitque Moyses qui explorarent Jazer: cujus ceperunt viculos, et possederunt habitatores.

* Deut. 3, 1. 29, 7. 33. * Verteruntque se, et ascenderunt per viam Basan, et occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai.

34. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum, ac terram ejus: faciesque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon.

35. Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem, et possederunt terram illius.

CAPUT XXII.

Bis vocatur Balaam a rege Balac, ut Israelitis malediceret; quem angelus asina loquente corripit.

1. Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est.

---

pervenit etiam ad eos qui in rupibus Arnon habitabant, et ibi deorum suorum excelsa habebant.

29. *Væ tibi, Moab.* Clade magna affectus es ab Amorrhæo.

Peristi, popule Chamos. Popule qui Chamos pro Deo colis. Aiunt quidam Chamos esse Bacchum, quem Græci Κῶμον vocant.

Dedit. Scilicet Chamos, id est, dari, capi et occidi permisit filios Moab sibi devotos, a Sehon rege Amorrhæorum.

30. *Jugum ipsorum.* Moabitarum, quod ipsi imposuerant incolis Hesebon.

Disperiit ab Hesebon usque Dibon. Ablatum est, cessavit, populi jugo illo Moabitarum levati sunt.

Lassi pervenerunt in Nophe. Lassi e fuga Moabitæ pervenerunt in Nophe.

32. *Possederunt habitatores.* Subegerunt occidendo, juxta quod voverant hoc cap. num. 2. LXX habent *expulerunt:* multi enim fuga incolumitatem quæsierunt.

Caput XXII. 1. *In campestribus Moab.* Quæ olim fuerant Moab, jam autem erant Sehon, et eo occiso filiorum Israel, vel quæ conjuncta erant Moab, quod innuunt LXX qui vertunt: *ad occidentem Moab.*

2. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo,

3. Et quod pertimuissent eum Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent,

4. Dixit ad majores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab.

5. * Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, et dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me: * Jos. 24, 9.

6. Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere et ejicere eum de terra mea: novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris.

7. Perrexeruntque seniores Moab, et majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, et narrassent ei omnia verba Balac;

8. Ille respondit: Manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, et ait ad eum:

---

2. *Balac.* Rex Moab, ut habetur n. 4.

3. *Quod pertimuissent eum.* Israelem scilicet.

4. *Ad majores natu Madian.* Ad Madianitas conterminos et confœderatos.

5. *Ariolum.* Non Dei prophetam, sed dæmonis auxilio se prophetam venditantem. Patet ex voce *ariolus* quæ magum significat, et quia auguria vana captavit cap. 24, 1, et maledicere conatus est Israeli, et Baal aras exstruxit, cap. 22, num. ult. et 23, 1. * Non desunt tamen qui verum prophetam fuisse putent, ut fuerunt Sibyllæ, sed hominem impium, avarum etc.

Super flumen. Juxta flumen, Euphratem scilicet.

Filiorum Ammon. Nam Euphrates Ammonitas præterlabitur.

Sedens contra me. Castra contra me posuit Israel, mihi et regno meo imminens.

6. *Et maledictus in quem maledicta congesseris.* Nocent enim magi et sagæ suis incantationibus per dæmonem, per quem etiam, remotis rebus nocentibus quas applicarant, sanitati restituunt.

7. *Pretium.* Quod darent pro divinatione.

8. *Manete hic nocte.* Volebat enim hoc tempore de more suo dæmonem consulere.

Venit Deus. Angelus, Dei personam gerens.

9. Quid sibi volunt homines isti apud te?
10. Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me,
11. Dicens: Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, et maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum.
12. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est.
13. Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.
14. Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum.
15. Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat, misit.
16. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me;
17. Paratus sum honorare te, et quidquid volueris dabo tibi: veni, et maledic populo isti.
* Inf. 24, 13. 18. Respondit Balaam: * Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.
19. Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, et scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus.
20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, et ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, et vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero facias.
21. Surrexit Balaam mane, et strata asina sua profectus est cum eis.
* 2 Pet. 2, 15. 22. * Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, et duos pueros habebat secum.
23. Cernens asina angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere,

---

12. *Populo*. Hebræis.
Benedictus est. Illi benedixi, et deinceps benedicam et benefaciam.
18. *Non potero immutare verbum Domini*. Timebat enim Dei iram et vindictam.

22. *Iratus est Deus*. Quia contra quam illi præceptum fuerat, ea mente ibat ut Israel malediceret, quod num. 32, ex verbis angeli constat qui ei dixit: *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua mihique contraria*.

24. Stetit angelus in angustiis duarum maceriarum quibus vineæ cingebantur.

25. Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam:

26. Et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.

27. Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis; qui iratus, vehementius cædebat fuste latera ejus.

28. Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertio?

29. Respondit Balaam: Quia commeruisti, et illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem!

30. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait: Nunquam.

31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.

32. Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria:

33. Et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret.

34. Dixit Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar.

---

27. *Concidit.* Consternata metu, et quia non videbat transitum aut effugium, et angelus gladium intentabat.

28. *Aperuitque Dominus os asinæ.* Angelus linguam asinæ ut loqueretur; sicut dæmon moverat os serpentis colloquentis cum Eva in paradiso. Usus est Deus voce asinæ, tum quia congrue bruti mens per brutum docetur: tum, ut ait Nyssenus lib. de vita Mosis sub finem, ut erudiretur vanitas auguris Balaam, qui ruditum asinæ et garritum avium, quasi omina quæ futura præsignificarent, observare solebat.

29. *Utinam haberem gladium etc.* In hoc colloquio Balaam cum asina furor ejus et cæcitas eminent, qui nec bruto loquente expavit, nec causam miraculi et significationem investigavit.

32. *Perversa est via tua.* Ob perversam intentionem qua ad Balac proficisceris.

33. *Et illa viveret.* Non quod mortua esset, sed quod ita male esset habita ut vivere non posset.

35. Ait angelus: Vade cum istis, et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus.
36. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus in oppido Moabitarum quod situm est in extremis finibus Arnon.
37. Dixitque ad Balaam: Misi nuntios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo?
38. Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ori meo?
39. Perrexerunt ergo simul, et venerunt in urbem quæ in extremis regni ejus finibus erat.
40. Cumque occidisset Balac boves et oves, misit ad Balaam et principes qui cum eo erant, munera.
41. Mane autem facto, duxit eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi.

CAPUT XXIII.

Balaam loco maledictionis benedicit semel ac iterum populo Israel, multa de illo vaticinatus.

1. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.
2. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem super aram.
3. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus; et quodcumque imperaverit, loquar tibi.
4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque

---

40. *Cumque occidisset Balac boves et oves etc.* Instituit Balac ob lætum adventum Balaam festa, sacrificia et convivia, indeque munera et partes misit Balaam, suisque principibus qui illum comitati fuerant.

41. *Ad excelsa Baal.* Ad loca edita, in quibus sacellum aut templum erat Baal dicatum. Fuit hic mons Abarim qui dividebat Moabitas a regno Sehon et Og, juxta hunc montem in campestribus erant castra Israelitarum.

Caput XXIII. 1. *Ædifica mihi hic septem aras.* Ut Baal sacrificem. * Qui verum prophetam fuisse censent vero Deo aras excitatas consequenter asserunt, cujus et occursum ad futura cognoscenda captarit.

3. *Occurrat mihi Dominus.* Scilicet Baal, aut dæmon per quem instructo sacrificio divinationem quærebat.

4. *Occurrit illi Deus.* Angelus bonus, Deum referens, et forma visibili apparens.

ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, et imposui vitulum et arietem desuper.

5. Dominus autem posuit verbum in ore ejus, et ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris.

6. Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum:

7. Assumtaque parabola sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, et maledic Jacob; propera, et detestare Israel.

8. Quo modo maledicam cui non maledixit Deus? Qua ratione detester quem Dominus non detestatur?

9. De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur.

10. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. +

11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? Ut malediceres inimicis meis vocavi te: et tu e contrario benedicis eis.

---

5. *Posuit verbum in ore ejus.* Suggessit et docuit quid esset dicturus.

7. *Assumtaque parabola sua, dixit.* Orsus prophetare dixit etc. Prophetiam gravem, pulchram, et acutam vocat parabolam: hoc enim significat vox hebraica משל *mascal.*

De Aram. De Mesopotamia.

8. *Quomodo maledicam etc.* Non tantum lingua, sed etiam mens Balaam ad tempus immutata a Deo.

9. *De summis silicibus videbo eum.* Ex edito hoc monte speculabor castra Israel.

Populus solus habitabit. Israel remotus erit et ditione et consortio et religione ab omnibus aliis populis.

Inter gentes non reputabitur. Inter gentiles non annumerabitur, nec inter illos censebitur.

10. *Pulverem Jacob.* Filios Israel de quibus dictum est, Gen. 13, 16, quod multiplicabuntur sicut pulvis terræ.

Numerum stirpis Israel. Heb. *numerum quartæ partis Israel.* * Græci magnam aliquam multitudinem significare volentes utuntur metaphora pulveris qui ψάμμος græce dicitur. Sic apud Eupolim legimus: ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακοσίους, *numerare spectatores multos ut pulvis.*

Moriatur anima mea. Moriar ego.

Morte justorum etc. Familiare est impiis vitæ exitum justis parem sibi optare, quorum tamen mores non sequuntur.

12. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?

13. Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum unde partem Israel videas, et totum videre non possis; inde maledicito ei.

14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, et impositis supra vitulo atque ariete,

15. Dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam.

16. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris ei.

17. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus?

18. At ille assumta parabola sua, ait: Sta, Balac, et ausculta; audi, fili Sephor:

19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?

20. Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.

21. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulachrum in

---

13. *Totum videre non possis etc.* Superstitiose Balac putat Balaam Israeli benedixisse quod totum ambitum castrorum habuisset in conspectu. Similis stultitia Syrorum, qui victi ab Israel, eam cladis causam esse putabant, quod Israelitarum Deus montium Deus esset, ac propterea in explicata planitie confligere student, 3 Reg. 20, 23.

19. *Dixit ergo, et non faciet.* Quasi dicat: Deus jussit ut non maledicerem Israeli, meque hactenus prohibuit, omninò ergo faciet quod dixit, et porro prohibebit ne maledicam.

20. *Ad benedicendum adductus sum.* Recte dicit adductus; ipse enim alio consilio venerat, sed pravam ejus mentem Deus convertit in bonum.

Benedictionem prohibere non valeo. Adeo mens illustrabatur, et voluntas incitabatur ad laudem et benedictionem Israelis, ut vix posset non benedicere.

21. *Non est idolum in Jacob etc.* Chaldæus, *intueor quod non sunt servientes idolis in domo Jacob, neque operantes falsitatem*, falsos deos et falsorum deorum simulacra, *in Israel. Verbum Domini Dei sui est in adjutorium eorum, et majestas regis sui est inter eos.*

Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo.

22. * Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. * Inf. 24, 8.

23. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quid operatus sit Deus.

24. Ecce populus ut leæna consurget, et quasi leo erigetur: non acubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat.

25. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas.

26. Et ille ait: Nonne dixi tibi quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?

27. Et ait Balac ad eum: Veni, et ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo ut inde maledicas eis.

28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem,

29. Dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.

30. Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuitque vitulos et arietes per singulas aras.

Et clangor victoriæ regis in illo. Alludit ad duas tubas argenteas jussu Domini factas, quibus personantibus Deus jusserat Hebræos bellum inire, seque tunc iis adfore et victoriam daturum promiserat, cap. 10, 9.

22. *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Est commendatio divinæ fortitudinis expressa similitudine rhinocerotis, sive monocerotis, cujus animalis fortitudinem videtur Scriptura ubique prædicare.

23. *Non est augurium in Jacob etc.* Sub his omnem incantationem et maleficium intelligit, velut genus sub specie vulgatissima. *Temporibus suis.* Sequentibus sæculis.

Dicetur Jacob et Israeli. Posteris Israelitarum.

24. *Ut leæna.* Quæ cum catulos lactat et fovet, præ leone ferocit et sævit.

Non acubabit etc. Non quiescet Israel donec Chananæos hostes suos proterat.

27. *Ducam te ad alium locum.* Vide dicta n. 13.

Balaam tertio benedicit, et prospera vaticinatur de Israel et de Christo; item de Amalecitis, Cinæis et Romanis.

1. Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret Israeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum,

2. Et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas: et irruente in se spiritu Dei,

3. Assumta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor; dixit homo cujus obturatus est oculus;

4. Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus:

5. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!

6. Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.

7. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas

Caput XXIV. 1. *Cumque vidisset Balaam.* Divina illustratione cognovisset.

Ut augurium quæreret. LXX, *in occursum avibus:* augurium enim est divinatio ex avium volatu, cantu aut pastu captata. Vox hebræa superstionem significat et malas artes.

2. *Spiritu Dei.* Spiritu prophetiæ a Deo immisso.

3. *Assumta parabola.* Vide cap. 23, 7.

Homo cujus obturatus est oculus. Qui in somnis, quando clauduntur oculi, accepit a Deo propheticam visionem; vel qui raptus in exstasim et alienus a sensibus, vidit visiones Dei; vel qui de aliis prophetat, ipse tamen permanet cæcus, nec suæ consulit saluti; vel cujus ante spiritus adventum obturatus est oculus mentis, deinde apertus adveniente lumine prophetico.

4. *Qui cadit.* Scilicet in somnum, vel potius alienationem a sensibus.

Et sic aperiuntur oculi ejus. Scilicet mentis per lumen propheticum.

6. *Ut valles nemorosæ.* Valles nemorosæ spectabiles sunt arborum copia, viriditate, opacitate: ita castra Hebræorum qui plurima tabernacula intenderant, sub quorum umbra latebant, quorum species oculos pascebat.

Ut horti juxta fluvios. Qui semper virent, florent, et fructus proferunt.

Tabernacula quæ fixit Dominus. Quæ scilicet nulla vis possit convellere.

Cedri prope aquas. Quæ irrigatione proceriores fiunt et pulchriores.

7. *Fluet aqua de situla ejus.* Situlam vocat prosapiam et posteritatem Israel, quasi dicat: Sicuti situla plena copiosam dat aquam, ita prosapia Israelis erit fecunda

multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, et auferetur regnum
illius.
8. Deus eduxit illum de Ægypto, * cujus fortitudo similis est * Sup.
rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum 23, 22.
confringent, et perforabunt sagittis.
9. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare
nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus: qui
maledixerit, in maledictione reputabitur.
10. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait:
Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario
tertio benedixisti:
11. Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice
honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito.
12. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis tuis, quos
misisti ad me, dixi:
13. * Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et * Sup.
auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel 22, 18.
boni quid, vel mali, proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?
14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium,
quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.
15. Sumta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius
Beor; dixit homo cujus obturatus est oculus;
16. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam altis-

---

multosque gignet filios. Hunc esse sensum ex hemistichio sequente, quod de more prius explicat, ait enim: *et semen illius erit in aquas multas*. Aquarum metaphora designari copiosam prolem et integros populos, patet ex Prov. 5, 16; et Apocal. 17, 15.

Rex ejus. Saul qui regno excidit propter Agag servatum. Vide 1 Reg. 15.

8. *Similis est rhinocerotis*. Vide dicta cap. 23, 22.

Devorabunt. Israelitæ.

Gentes hostes illius. Quæ Hebræis inimicæ et infestæ.

9. *Accubans dormivit ut leo*. Secure quiescet Israel, hostibus eum violare non audentibus. Accidit hoc præcipue tempore Davidis et Salomonis.

14. *Dabo consilium*. Ut per mulieres ad cultum Beelphegor Israelitas pellicias et perdas: hoc enim fuisse Balaam consilium patet ex cap. 31, 16; et Apoc. 2, 4.

Extremo tempore. Sequentibus diebus, postquam discessero. * Vel sensus est: tandem, post alia omnia remedia frustra tentata.

15. *Sumta igitur parabola*. Vide cap. 23, 7.

Cujus obturatus est oculus. Vide supra n. 2.

simi, et visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos:

17. Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. * ORIETUR STELLA ex Jacob: et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

* Matt. 2, 2.

18. Et erit Idumæa possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel vero fortiter aget.

19. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.

---

17. *Videbo eum.* Christum non oculis corporis, sed visione prophetica.

Sed non modo etc. Quasi dicat: Quæ modo prædico et visione prophetica futura prævideo, evenient quidem certo, sed non tam cito; adhuc enim longius absunt a nostris temporibus.

Orietur stella ex Jacob. Christus dicitur stella. 1°, Quia ipse est lux mundi. 2°, Ob claritatem et gloriam vitæ cœlestis, miraculorum, resurrectionis et beatitudinis, qua de causa vocatur stella splendida et matutina, Apoc. 2, 28, 16. 3°, Illius nativitas stella ostensa est magis.

Consurget virga de Israel. Christus nascetur ex Israel, qui virga; vel, ut est in hebræo, sceptro regni sui, id est, potestate regia percutiet et atteret duces Moab.

Vastabitque. Chald. *dominabitur,* sua ditione et dominatu concludet, et quasi carcere coercebit et habebit in potestate, ut significare videntur hebræa.

Filios Seth. Omnes homines: nam omnes per Noe Sethi filii sumus: omnis enim Caini proles diluvio interiit.

18. *Et erit Idumæa possessio ejus.* Ut Jacob typus est omnium Israelitarum spiritu, hoc est, proborum Christi sectatorum, ita Esau reproborum. Possidebit ergo Christus non solum Israelitas, qui se illi sponte subjiciunt, sed Idumæos etiam Esau posteros, refractarios, ac rebelles, improbos quosque aut infideles aut christianos.

Hæreditas Seir. Esau qui dictus est Seir, quia pilosus. Secundum hoc hemistichium idem significat quod primum, quod præcessit.

Israel vero fortiter aget. Christus et christiani.

19. *De Jacob.* De christianis erit qui dominetur, quod evenit in Constantino et imperatoribus illum subsecutis.

Perdat reliquias civitatis. Romæ Romanorum gentilismum evertens, vel in secundo adventu reliquias civitatis cujuslibet, hoc est, omnes quotquot in ipsum credere noluerint, vel ei rebelles permanserint. Prophetia his tribus versibus comprehensa, de Christo est, ut explicavimus, sed cum allusione ad Davidem, itaque Davidis gestæ res his perstringuntur, et quædam dicuntur quæ magis particulatim Davidi conveniunt, uti sunt: *Percutiet duces Moab;* et, *erit Idumæa possessio ejus, Israel vero fortiter aget.* Alia vero magis proprie competunt Christo, uti

20. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur.

21. Vidit quoque Cinæum; et assumta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum,

22. Et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te.

23. Assumtaque parabola iterum locutus est: Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus?

24. * Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt. * Dan. 11, 30.

25. Surrexitque Balaam, et reversus est in locum suum: Balac quoque via qua venerat rediit.

---

sunt: *Orietur stella ex Jacob;* et, *perdat reliquias civitatis.*

20. *Cumque vidisset Amalec.* De monte Phasga altissimo, in quo constitutus erat.

Assumens parabolam. Prophetiam. Vide supra cap. 23, 7.

Principium gentium Amalec. Prima ac præcipua gens, nobilissima earum, quæ circumjectas regiones habitabant: vel sensus est is, quem exhibet chaldæus, qui vertit: *Principium bellorum Israeli fuit Amalec:* (quod patet Exodi 17) quare bene additur, *cujus extrema perdentur,* ut sit antithesis; quasi dicat: Cito et primi Amalecitæ insurrexerunt in Israelitas, sero autem extremis temporibus plexi sunt. Ita factum sub Saul, 1 Reg. 15.

21. *Cinæum.* Posteros Jethro qui erant in castris Israelitarum.

Robustum quidem est habitaculum tuum. Quia modo inter duodecim tribus degis, et in Chanaan in tribu Juda quæ fortissima est, habitabis.

Sed si in petra posueris nidum tuum. Etiamsi in fortissimo et munitissimo loco sedem tuam constituas.

22. *De stirpe Cin.* De stirpe Jethro.

Assur enim capiet te. Quod factum cum Salmanasar transtulit decem tribus Israel in terram Medorum, 4 Reg. 17: tunc enim cum iis eodem transtulit Cinæos, id est, progeniem Aber Cinæi, qui recesserat ab aliis Cinæis, et habitabat in sorte Nephthali.

23. *Heu! quis victurus est.* Optabit vivere cum tantæ strages Cinæorum et Amalecitarum, vel potius Assyriorum, Hebræorum et Romanorum de quibus sequitur, edentur?

24. *In trieribus.* In triremibus.

Vastabuntque Hebræos. Vespasiano et Tito imperantibus.

Etiam ipsi peribunt. Ruente Romanorum imperio, Gothis aliisque barbaris Romam occupantibus.

Ob fornicationem Israel cum Madianitis jubet Deus principes suspendi, ipsique Phinees dat perpetuum sacerdotium, eo quod divino zelo Zambri et Cozbi pugione confodisset.

* Jos. 3, 1. 1 Cor. 10, 8. 1. Morabatur * autem eo tempore Israel in Settim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab,
2. Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt deos earum:
* Jos. 22, 17. 3. * Initiatusque est Israel Beelphegor. Et iratus Dominus,
* Deut. 4, 3. 4. Ait ad Moysen: * Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis: ut avertatur furor meus ab Israel.
* Exod. 32, 27. 5. Dixitque Moyses ad judices Israel: * Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor.
6. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum madianitidem, vidente Moyse, et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.
* Psal. 105, 30. 1 Mac. 2, 26. 7. * Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione,
8. Ingressus est post virum israelitem in lupanar, et perfodit

---

Caput XXV. 1. *In Settim.* Quæ est 42 et ultima mansio in deserto; hic gesta sunt quæcumque sequuntur usque ad finem Deuteronomii.

* *Fornicatus est populus.* Utraque fornicatione corporali et spirituali, nimirum idololatria.

Cum filiabus Moab. Et cum filiabus Madian, ut patet n. 6 et 17.

2. *Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua.* Juxta consilium Balaam cap. 24, 14.

3. *Initiatusque est Israel Beelphegor.* Usurpavit sacra idoli Beelphegor, illi se addixit, conjunxit, et consecravit. Beelphegor est *priapus*, quasi dicat: *Deus apertionis*, hoc enim vox hebræa significat, *deus nuditatis*. Familiare autem est Hebræis ut nuditatis nomine obscœnam partem intelligant.

4. *Tolle cunctos principes populi etc.* Congrega principes, ut illi quasi judices jubeant suspendi contra solem eos qui fornicationis et idololatriæ Beelphegor sunt rei; vel jube suspendi ipsos principes qui impietati illi favissent, aut cum deberent pro officio, non restitissent.

Contra solem. Coram sole, publice: quæ palam fiunt phrasi hebraica dicuntur fieri in sole, aut in oculis solis; sic dictum David 2 Reg. 12, 11: *Dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus*

5. *Occidat.* Suspendat.

6. *Unus de filiis Israel.* Quis hic fuerit, dicitur infra n. 14.

7. *Pugione.* Telo. Hebr. רמח *romach*, quam vocem noster interpres modo pugionem, modo lanceam vertit.

ambos simul, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel:

9. Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.

10. Dixitque Dominus ad Moysen:

11. Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo:

12. Idcirco loquere ad eum. * Ecce do ei pacem fœderis mei, * Eccli.

13. Et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. 45, 30. 1 Mac. 2, 54.

14. Erat autem nomen viri israelitæ, qui occisus est cum madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione et tribu Simeonis.

15. Porro mulier madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.

16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: * Inf.

17. * Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos: 31, 3.

18. Quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phogor, et Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

---

8. *Cessavitque plaga a filiis Israel.* Ex quo apparet non suspendio solum, sed etiam plaga a Deo immissa, fuisse plures necatos. Quæ fuerit plaga non exprimitur in sacro textu. Josephus pestem interpretatur.

9. *Occisi sunt.* Partim plaga divinitus immissa, partim suspendio, viginti quatuor millia hominum.

12. *Do ei pacem fœderis mei.* Certitudinem et securitatem pacti mei, firmiter decerno et quasi paciscor, promittoque illi.

13. *Pactum sacerdotii sempiternum.* Quod scilicet ipse cum sua stirpe, post patrem Eleazarum, succedet in pontificatum, qui illi et familiæ illius perpetuo manebit: quamvis enim ad Heli, ejusque posteros pontificatus fuerit translatus, qui non erat de filiis Phinees et Eleazari, sed Ithamar; tamen postea rediit ad eosdem posteros Phinees, et in iis mansit usque ad Christum.

Expiavit scelus etc. Placato Deo heroico illo facto et zelo divini honoris.

17. *Hostes vos sentiant Madianitæ etc.* Qui præcipue fuerant scandalo Hebræis per submissa scorta. Moabitis parcitur partim in gratiam Lot cujus posteri erant, ut dicitur Deut. 2, 19, partim ob Ruth ex qua David et Christus nasciturі. Postea Moabitæ Davidi pœnas dederunt, 2 Reg. 8, 2.

18. *Sororem suam.* Gentilem suam.

Percussa est. A Phinees.

In die plagæ. Nam eadem die grassabatur plaga a Deo immissa.

Numerantur Israelitæ per singulas tribus, qui bello apti sunt terram promissionis ingressuri.

1. POSTQUAM noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron sacerdotem:

*Sup. 1, 2 et 3. 2. * Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere.

3. Locuti sunt itaque Moyses et Eleazar sacerdos in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos qui erant

4. A viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus:

*Gen. 46, 9, Ex. 6, 14. 1 Par. 5, 3. 5. Ruben primogenitus Israel: * hujus filius, Henoch, a quo familia Henochitarum: et Phallu, a quo familia Phalluitarum:

6. Et Hesron, a quo familia Hesronitarum: et Charmi, a quo familia Charmitarum.

7. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est quadraginta tria millia et septingenti triginta.

8. Filius Phallu, Eliab:

9. Hujus filii, Namuel et Dathan et Abiron: isti sunt Dathan

* Sup. 16, 2. et Abiron principes populi, *qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt;

10. Et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum,

11. Ut, Core pereunte, filii illius non perirent.

12. Filii Simeon per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc fimilia Jaminitarum: Jachin, ab hoc familia Jachinitarum:

CAPUT XXVI. 1. *Noxiorum*. Fornicantium cum filiabus Madian et Moab.

2. *Numerate*. Fuit hic tertius census populi, habitus in limine terræ promissionis, ut illa inter tribus congrue pro numero cujusque dividi ac distribui posset.

A viginti annis et supra. Quia hi tantum apti censentur ad arma tractanda et bella gerenda. * Nec minoribus hac ætate, nec mulieribus dati sunt fundi, servato tamen illis secundum leges jure succedendi.

3. *Super Jordanem*. Juxta Jordanem.

11. *Core pereunte, filii illius non perirent*. Qui servati sunt divino miraculo, quia patris peccato non consenserunt.

12. *Filii Simeon*. Genes. 46,

13. Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum.

14. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti.

15. Filii Gad per cognationes suas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum:

16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum:

17. Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum.

18. Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti.

19. * Filii Juda, Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan. *Gen. 38, 3.

20. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas: Sela, a quo familia Selaitarum: Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo familia Zareitarum.

21. Porro filii Phares: Hesron, a quo familia Hesronitarum: et Hamul, a quo familia Hamulitarum.

22. Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit septuaginta sex millia quingenti.

23. Filii Issachar, per cognationes suas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuaitarum:

24. Jasub, a quo familia Jasubitarum: Semran, a quo familia Semranitarum.

25. Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti.

26. Filii Zabulon per cognationes suas: Sared, a quo familia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Jalel, a quo familia Jalelitarum.

27. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit sexaginta millia quingenti.

28. Filii Joseph per cognationes suas, Manasse et Ephraim.

29. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. * Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum. * Jos. 17, 1.

10; Exod. 6, 15, numerantur sex filii Simeonis: hic vero, et 1 Paral. 4, 24, tantum quinque: omittitur enim Ahod sextus, quia mortuus est sine liberis, unde non habuit familiam, nec sortem in terra Chanaan.

30. Galaad habuit filios: Jezer, a quo familia Jezeritarum: et Helec, a quo familia Helecitarum:

31. Et Asriel, a quo familia Asraelitarum: et Sechem, a quo familia Sechemitarum:

* Inf. 27, 1. 32. Et Semida, a quo familia Semidaitarum: * et Hepher, a quo familia Hepheritarum.

33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina: * Malaa, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa. * Ibid.

34. Hæ sunt familiæ Manasse, et numerus earum, quinquaginta duo millia septingenti.

35. Filii autem Ephraim per cognationes suas fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Thehen, a quo familia Thehenitarum.

36. Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum.

37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti.

38. Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Benjamin in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum: Ahiram, a quo familia Ahiramitarum:

39. Supham, a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum.

40. Filii Bela: Hered, et Noeman. De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum.

41. Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti.

42. Filii Dan per cognationes suas: Suham, a quo familia Suhamitarum. Hæ sunt cognationes Dan per familias suas;

43. Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat sexaginta quatuor millia quadringenti.

44. Filii Aser per cognationes suas: Jemna, a quo familia Jemnaitarum: Jessui, a quo familia Jessuitarum: Brie, a quo familia Brieitarum.

45. Filii Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: et Melchiel, a quo familia Melchielitarum.

---

38. *Filii Benjamin*. Hic tantum numerantur quinque filii Benjamin, cum tamen decem reliquerit, ut patet Genes. 46, 21: quinque ergo reliqui ejus filii mortui sunt sine liberis, aut in posteris eorum familia interiit.

46. Nomen autem filiæ Aser fuit Sara.

47. Hæ cognationes filiorum Aser, et numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti.

48. Filii Nephthali per cognationes suas: Jesiel, a quo familia Jesielitarum; Guni, a quo familia Gunitarum:

49. Jeser, a quo familia Jeseritarum: Sellem, a quo familia Sellemitarum.

50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti.

51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia et mille septingenti triginta.

52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

53. Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas.

54. Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio:

55. Ita dumtaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis.

56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

57. * Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum. * Exod. 6, 16.

58. Hæ sunt familiæ Levi: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram:

59. Qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est

---

53. *Juxta numerum vocabulorum.* Id est, familiarum quæ vocabulis distinguuntur. * Vel significatur nomina familiarum in schedis, et terrarum nomina pariter in schedis fuisse descripta, et sorte rem peractam duabus schedis simul extractis.

54. *Singulis.* Tum hominibus, tum tribubus, tum familiis, tum potius capitibus familiarum, ut ipsi ulterius in singulos suæ familiæ sortem acceptam dividant.

* 55. *Ita dumtaxat etc.* Portiones regionis quæ cuique tribui dabuntur, sorte illis obveniant. Post hanc autem sortitionem addatur, vel detrahatur de illa portione pro numero bellatorum cujusque tribus.

57. *Numerus filiorum Levi etc.* Quinque tantum præcipuæ familiæ Levi numerantur, cum omnes fuerint octo, ut patet Exod. 6, 17, 18, 19, et 1 Par. 23, 6. Hic enim familiæ Levi ex professo non numerantur ut cæteræ, eo quod non essent accepturæ sortem cum aliis tribubus, ut dicitur n. 62.

ei in Ægypto; hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron et Moysen, et Mariam sororem eorum.

60. De Aaron orti sunt Nadab et Abiu, et Eleazar et Ithamar:

* Lev. 10, 1. Sup. 3, 4. 1 Par. 24, 2.

61. * Quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino.

62. Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense et supra: quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum cæteris data possessio est.

63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho:

* 1 Cor. 10, 5.

64. * Inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai;

* Sup. 14, 23 et 24.

65. * Prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun.

CAPUT XXVII.

Filiæ Salphaad patri succedunt in hæreditatem: dicitque Dominus Mosen moriturum, ubi ex monte Abarim terram promissionis conspexerat.

* Sup. 26, 32 et 33. Inf 36, 1. Josue 17, 1.

1. Accesserunt * autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph: quarum sunt nomina, Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa:

2. Steteruntque coram Moyse et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi, ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt:

---

62. *Omnes*. Levitæ.

Ab uno mense. Ex eo quod jusserat Dominus c. 3, 41 et 43, commutari primogenitos Hebræorum in Levitas unius mensis et supra, idque ad paucitatem Levitarum multitudini primogenitorum adæquandam, et simul ad dignitatem Levitarum declarandam: hac de causa jubet hic eos rursum numerari ab uno mense et supra, tanquam suos, utpote qui olim eadem ætate servierant redemtioni primogenitorum.

65. *Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb etc.* Excipe Levitas; nam ex iis supererat Moses, Eleazar, Ithamar, et fortasse multi alii qui numerati fuerant in Sina.

Caput XXVII. 2. *Ad ostium tabernaculi*. Quia juxta ostium tabernaculi erat tentorium Mosis, atque ad illud vel certe ad vicinum atrium tabernaculi conveniebant seniores populi, convocati a Mose, ad concilium.

3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione quæ * concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. * Sup. 16, 1.

4. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini.

5. Qui dixit ad eum:

6. Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, et ei in hæreditatem succedant.

7. Ad Filios autem Israel loqueris hæc:

8. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas.

9. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos.

10. Quod si et fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus.

11. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt. Eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.

12. Dixit quoque Dominus ad Moysen: * Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram quam daturus sum filiis Israel. * Deut. 32, 49.

---

3. *Pater noster.... in peccato suo mortuus est.* Scilicet ob peccatum murmuris tempore exploratorum, quod peccatum fuit commune totius populi: omnes enim a vigesimo anno et supra, ob hoc peccatum mortui sunt in deserto.

Cur tollitur nomen illius etc. Cur extinguitur familia et nomen ejus.

Date nobis possessionem. Nam ex filiis nostris aliquis nomen illius tuebitur, et de familia Salphaad vocabitur, atque ita per lineam femininam nomen illius propagabitur.

4. *Retulit Moyses causam earum ad judicium Domini.* Consuluit Dominum super hac re.

6. *Da eis possessionem.* Jube iis dari cum populus ingressus fuerit Chanaan.

11. *His qui ei proximi sunt.* Masculi scilicet.

12. *In montem istum.* Ut ex eo videas terram promissam; tum ut in eo moriaris.

Abarim. Mons hic Abarim, saltem secundum diversas partes et juga, diversa habebat nomina: nam vocatur Phasga, Phogor, excelsa Baal, Nebo: in Nebo enim dicitur mortuus esse Moses Deut. ult. n. 1. Voluit enim Deus Mosen mori in monte, non in castris, ne Hebræi ad idololatriam proni ejus corpus quasi numen colerent.

Contemplare inde terram. Ut saltem aliqua voluptate fruaris in visione terræ quam tantopere ingredi optasti et petiisti. Vide Deut. 3, 24 et 25.

13. Cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron:

* Sup. 20, 12. Deut. 32, 51. 14. * Quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. Hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin.

15. Cui respondit Moyses:

16. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem qui sit super multitudinem hanc,

17. Et possit exire et intrare ante eos, et educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.

* Deut. 3, 21. 18. Dixitque Dominus ad eum: * Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum.

19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine:

20. Et dabis ei præcepta, cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.

21. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo.

---

13. *Ibis et tu ad populum tuum*. Morieris in Moab, et ibis ad limbum patrum.

16. *Dominus Deus spirituum*. Qui spiritus et corda hominum novit et scit ad quæ quis aptus sit, quis tantæ gubernationis molem subire et sustinere possit.

17. *Possit exire et intrare ante eos*. Esse dux et ductor eorum in omni opere tam bellico quam civili. Est metaphora sumta a pastoribus educentibus gregem: hi enim ante eum exeunt et intrant, atque ita eum pascunt et regunt.

18. *In quo est spiritus*. Dei, id est, prudentia, pietas, fortitudo, et cæteræ virtutes principi necessariæ.

Pone manum tuam super eum. Ut hac ceremonia instituatur successor tuus et dux populi, et a me spiritu et gratia ad munus illud opportuna impleatur.

20. *Dabis ei præcepta*. De modo regendi populum, maxime ut eum in vera unius Dei religione ac lege conservet et promoveat.

Et partem gloriæ tuæ. Da Josue partem gloriæ, id est, honoris et auctoritatis tuæ apud populum, ut eum quasi futurum principem reverenter compelles, eumque ut talem toti populo proponas et commendes; ut populus eum pro te acceptet ut ducem, eum revereatur et audiat. Alii partem gloriæ interpretantur insignia magistratus.

Ut audiat eum omnis synagoga. Illi obediat.

21. *Pro hoc*. Pro Josue.

Ad verbum ejus. Eleazari scilicet, Josue aget quidquid agendum erit.

Ipse. Josue.

22. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi.

23. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

CAPUT XXVIII.

Sacrificia quotidiana et diei septimi ac calendarum, et de duabus solemnitatibus azymorum et hebdomadarum.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos: Oblationem meam, et panes, et incensum odoris suavissimi, offerte per tempora sua.

3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: * Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: *Exod. 29, 38.

4. Unum offeretis mane, et alterum ad vesperum:

5. Decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin.

6. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini.

7. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini.

---

23. *Replicavit*. Retulit, enarravit; heb. est *præcepit*.

Caput XXVIII. 2. *Oblationem meam, et panes, et incensum etc*. Heb. *oblationem meam, panem meum*, (quæ scilicet panis meus et cibus meus sunt) *per ignitiones meas*, (quibus hæ victimæ per ignem Deo cremantur) *in oderem suavitatis offerte*. Est ergo generale præceptum de non negligendis sacrificiis.

3. *Agnos anniculos etc*. De hoc sacrificio quotidiano vide Exodi 29. De libamentis seu accessoriis sacrificiis, cap. 15 Num.

Anniculos. Qui annum non excesserint.

Immaculatos. Non macula coloris, sed deformitatis; ne scilicet sint cæci, claudi, scabiosi.

5. *Decimam partem ephi*. Quæ gomor dicitur.

Quartam partem hin. Sunt tres scyphi tredecim * aut paulo plus unciarum aquæ vel vini, sive sextarii tres hebræi; unciæ * scilicet 40 vini vel aquæ, id est, libræ tres et quatuor unciæ.

6. *Quod obtulistis in monte Sinai*. Hebræi per annos 38 in deserto non sacrificarunt. In Sinai autem oblatum est juge sacrificium, ut patet Levitici 9, 7.

Incensi. Sacrificii igniti et cremati Deo.

7. *In sanctuario Domini*. In atrio ad altare holocaustorum.

8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam, juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.

* Matt. 12, 5.

9. * Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba.

10. Quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.

11. In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos,

12. Et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos, et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes,

13. Et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos. Holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino.

14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt.

15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.

---

9. *Offeretis duos agnos*. Mane ergo sabbati tres agni immolabantur, unus pro jugi sacrificio, duo pro sabbato.

In sacrificio. Ad sacrificium accessorium, farreum.

Liba. Libamina similæ, olei et vini.

10. *Quæ rite funduntur*. Rite, id est, juxta præscriptum legis.

Per singula sabbata. In singulis diebus hebdomadæ. Sabbatum enim in Scriptura accipitur aliquando pro hebdomada, et prima sabbati est prima dies hebdomadæ, sive prima post sabbatum.

11. *In calendis*. Prima die mensis, quæ et neomeniæ sive novilunium dicitur.

13. *Decimam decimæ*. Id est, una decima; unum gomor dicitur decima decimæ, id est, decima pars ephi, quod ephi est decima pars cori.

15. *Pro peccatis*. Populi generatim.

In holocaustum. Id est, præter juge holocaustum: nam in hebræo est: *hircum pro peccato offeretis, ultra holocaustum juge cum libamentis suis*. Ita vertunt chald. XXL et Vatablus.

Cum libamentis suis. Libamentis holocausti: nam *mincha*, id est, simila, vinum et oleum, non libabantur in victima pro peccato, ut colligitur Num. 15, 3; nec thus adolebatur cum iis, ut patet Levitici 5, 11.

16. * Mense autem primo, quartadecima die mensis, phase Domini erit, *Exod. 12, 18. Levit. 23, 5.

17. Et quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis.

18. Quarum dies prima venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.

19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

20. Et sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem,

21. Et decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos:

22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis;

23. Præter holocaustum matutinum quod semper offeretis.

24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, et de libationibus singulorum.

25. Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo.

26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.

27. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino,

---

16. *Phase Domini erit.* Festum paschæ.

17. *Et quintadecima die solemnitas.* Comestionis agni. Vide dicta Exod. 12, 6.

19. *Incensum.* Victimam quæ igne crematur, fiatque holocaustum. Ex hoc patet in festo paschæ oblatos fuisse in holocaustum duos vitulos, arietem unum, agnos septem cum suis libamentis, atque hircum unum pro peccato.

21. *Decimam decimæ.* Vide dicta n. 13.

22. *Ut expietur.* Ut fiat expiatio.

23. *Holocaustum matutinum.* Intellige et vespertinum, sed illud non exprimitur, quia de eo non erat causa dubitandi, ut de matutino; hoc enim videri poterat omitti posse, cum eodem mane tam multa alia sacrificia immolarentur.

24. *In fomitem ignis.* Ad nutriendum ignem.

26. *Dies etiam primitivorum.* In qua offerebantur primæ fruges maturæ, id est, panes ex primis frugibus, id est, festum pentecostes.

27. *Offeretisque holocaustum.* Eædem victimæ jubentur hic offerri in festo pentecostes, quæ jussæ sunt offerri in paschate n. 19.

vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem;

28. Atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas,

29. Per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem. Hircum quoque

30. Qui mactatur pro expiatione; præter holocaustum sempiternum et liba ejus.

31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

CAPUT XXIX.

Solemnitates mensis septimi, et quid in iis offerendum sit: nempe solemnitas tubarum expiationis et tabernaculorum, quæ octo diebus varias habent oblationes.

1. Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est et tubarum.

2. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem;

3. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

4. Unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem:

5. Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi;

6. Præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem ceremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.

* Levit. 16, 29. 23, 27.

7. * Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea.

---

* 30. *Præter holocaustum.* Oblationum enim in idem tempus concurrentium nulla ob id omittitur.

Caput XXIX. 1. *Dies clangoris est et tubarum.* Festum tubarum celebrabatur die primo mensis septimi. Vide Levit. 23, 24.

3. *Per singulos vitulos.* Vitulum, ut est in hebræo: unus enim tantum offerebatur, singulis scilicet annis singuli vituli, et hoc voluit noster interpres.

6. *Præter holocaustum calendarum.* Festum enim tubarum incidebat in calendas septimi mensis, ut dicitur n. 1.

7. *Decima quoque dies etc.*

8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem;

9. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

10. Decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem:

11. Et hircum pro peccato; absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, et holocaustum sempiternum, cum sacrificio et libaminibus eorum.

12. Quintadecima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus.

13. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

14. Et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim: et duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus,

15. Et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim:

16. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, et sacrificio, et libamine ejus.

17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

18. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

Festum expiationis, de quo Levitici 23, 27.

11. *Offerri pro delicto solent in expiationem.* Ut præscribitur Levitici 16.

Holocaustum sempiternum. Juge sacrificium.

Cum sacrificio. Mincha seu libaminibus, quæ erant sacrificia accessoria.

12. *Quintadecima vero die mensis septimi etc.* Festum tabernaculorum, de quo vide Levit. 23, 34.

* *Septem diebus.* Non quod totis hisce septem diebus vacandum esset ab opere servili, (nam de solo primo die id præceptum fuit) sed quod totidem diebus manendum esset in tabernaculis, et quod peculiaria singulis diebus sacrificia publico nomine offerenda essent, quæ hic sigillatim recensentur.

15. *Decimam decimæ.* Vide cap. præcedenti num. 13.

19. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus.

20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

21. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

22. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus.

23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

24. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

25. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

27. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

28. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

30. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

31. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

32. Die septimo offeretis vitulos septem, et arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim;

33. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

34. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

35. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis,

36. Offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem;

37. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

38. Et hircum pro peccato; absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris; præter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis.

CAPUT XXX.

De voto ac juramento virorum, et quando puellarum et uxorum vota seu juramenta rata sint, vel irrita.

1. NARRAVITQUE Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat:
2. Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus:
3. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento; non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.
4. Mulier si quippiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari; si cognoverit pater votum quod pollicita est et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit:
5. Quidquid pollicita est et juravit, opere complebit.
6. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater; et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.

---

39. *Præter vota etc.* Quasi dicat: Victimas jam dictas in festis offerri præcipio, præter ea quæ ex voto vel sponte offeretis in holocaustum, in sacrificium, id est, in mincha, in libamen, et hostias pacificas.

CAPUT XXX. 3. *Aut se constrinxerit juramento.* Juramento obstringens se Domino, ac proinde etiam votum Domino faciens; qui enim jurat se aliquid, v. g. oblationem facturum, simul Deo promittit: promissio autem facta Deo est votum.

Non faciet irritum. Non violabit juramentum aut votum.

4. *In ætate adhuc puellari.* Sub puella intellige etiam puerum in ætate puerili; utriusque enim par est ratio.

Si cognoverit pater. Sub patre etiam tutores intellige: hi enim patre mortuo, quasi in jus et regimen paternum succedunt.

Et tacuerit. Quia sic confirmare videtur. * *Taciturnitas consensum imitatur*, inquit Cicero, lib. 1 de inventione.

6. *Statim ut audierit.* Intelligendum moraliter, verbi gratia, eodem die; nam sequenti die contradicere non poterat, ut habetur numero 15.

7. Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento:

8. Quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat.

9. Sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam; propitius erit ei Dominus.

10. Vidua et repudiata quidquid voverint reddent.

11. Uxor in domo viri (1) cum se voto constrinxerit et juramento,

12. Si audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat.

13. Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit.

14. Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat.

15. Quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam; quidquid voverat atque promiserat, reddet, quia, statim ut audivit, tacuit.

16. Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus.

17. Istæ sunt leges quas constituit Dominus Moysi, inter virum et uxorem, inter patrem et filiam quæ in puellari adhuc ætatate est, vel quæ manet in parentis domo.

(1) *Verba seq. usque ad finem vers.* 13 *in edit. Sixt. plane omissa sunt.*

---

7. *Si maritum habuerit.* Sermo est de ea quæ nupta habitat extra domum patris in domo mariti; ad sponsam etiam extendunt hanc legem Hebræi et aliqui recentiores.

9. *Propitius erit ei Dominus.* Qui non indignabitur uxori si non servet votum a marito irritatum.

11. *Et juramento etc. Et* pro *aut* hic capitur: in hebræo enim est *aut.*

14. *Per jejunium etc.* De quibuslibet votis hic agitur, non autem de votis abstinentiæ tantum, ut patet ex n. 5, 8, 10, 12, ubi generatim agitur de quacumque re promissa: petitur exemplum ab abstinentia et jejunio, quia frequentia sunt vota in hac materia.

16. *Sin autem contradixerit etc.* Intellige post diem in qua rescivit, ut habent expresse LXX.

Portabit ipse iniquitatem. Uxor a peccato excusabitur, quia impedita a viro non potest præstare quod promisit, sed maritus peccabit contra legem hunc consensum revocans.

17. *Quæ manet in parentis domo.* Quæ necdum est emancipata aut viro tradita.

Cæsis Madianitis, virgines solæ reservantur, substantia ex æquo dividitur pugnantibus et plebi: primitiæ sacerdoti ac Levitis traduntur, gratiæ Deo cum donariis offeruntur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Ulciscere prius filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum.

3. Statimque Moyses: * Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis: * Sup. 25, 17.

4. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittantur ad bellum.

5. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam:

6. Quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis; vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum tradidit ei.

7. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt,

8. * Et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, * Jos. quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfece- 13, 21. runt gladio.

9. Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant depopulati sunt:

10. Tam urbes quam viculos et castella flamma consumsit.

11. Et tulerunt prædam, et universa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex jumentis,

12. Et adduxerunt ad Moysen, et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israel. Reliqua autem utensilia

---

Caput XXXI. 2. *Ulciscere prius filios Israel de Madianitis.* Quia ipsi provocaverunt Israelitas, prostituendo iis filias suas, ad fornicationem et idololatriam Beelphegor. Vide supra cap. 25, n. 6, 17.

3. *Ultionem Domini.* Dicitur ultio Domini, quia Domino adjuvante facta, et quia ea vindicata est injuria facta populo Domini, et ipsi Domino.

6. *Cum Phinees.* Cujus zeli ceperant experimentum cum scortantes occidit, supra cap. 25, 7.

Vasa quoque sancta. Arcam cum tabulis legis, cherubim, et propitiatorio; hæc enim secum ferebant Judæi euntes ad bellum.

Et tubas. De quibus cap. 10, 2.

7. *Omnes mares occiderunt.* Qui erant in Madian, vel qui fuga elapsi non sunt.

8. *Sur.* Pater Madianitidis quam occidit Phinees, c. 25, 15.

portaverunt ad castra in campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho.

13. Egressi sunt autem Moyses, et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ in occursum eorum extra castra.

14. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, et centurionibus qui venerant de bello,

15. Ait: Cur feminas reservastis?

* Sup. 25, 18. 16. * Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus?

* Jud. 21, 11. 17. * Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis; et mulieres quæ noverunt viros in coitu, jugulate:

18. Puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis:

19. Et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo.

20. Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno, expiabitur.

21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, * quod mandavit Dominus Moysi:

* Lev. 6, 28. 11, 33. 15, 12.

---

13. *Egressi sunt autem Moyses, et Eleazar.* Ad gratulandum victoribus ex Madian redeuntibus.

16. *Super peccato Phogor.* In peccato adorationis Beelphegor.

17. *Cunctos interficite etc.* Mulieres et parvuli juste in bello occidi non possunt, cum non resistant; possunt tamen Dei jussu, qui vitæ et mortis est Dominus. Ita factum est hic.

Quæ noverunt viros in coitu, jugulate. Quia per tales decepti fuerant Hebræi, fornicando cum iis.

18. *Virgines reservate vobis.* Conjuges scilicet, vel primarias vel secundarias vobis, vel filiis vestris futuras: vel certe ancillarum loco habendas, vel aliis dividendas. Quænam essent virgines in plerisque non fuit difficile agnoscere ex ætate vixdum nubili, neque ad id necesse fuit Hebræis habere plusquam moralem certitudinem.

19. *Lustrabitur die tertio et septimo.* Juxta legem de eo qui tangit cadaver, latam Num. 19, 14 et sequentibus.

20. *Expiabitur.* Censebantur enim immunda per contactum cadaverum in tanta strage. Expiatio facta per ignem si res expianda id ferret, vel per aquam lustralem, de qua cap. 19.

21. *Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi.*

22. Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum,

23. Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur:

24. Et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis.

25. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

26. Tollite summam eorum, quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et principes vulgi:

27. Dividesque ex æquo prædam inter eos qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem.

28. Et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt et fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus,

29. Et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt.

30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, cunctorum animantium, et dabis ea Levitis qui excubant in custodiis tabernaculi Domini.

31. Feceruntque Moyses et Eleazar sicut præceperat Dominus.

32. Fuit autem præda quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia,

33. Boum septuaginta duo millia,

34. Asinorum sexaginta millia et mille:

35. Animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia.

36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ:

Hoc præceptum fortasse voce tantum traditum est; nam in lege scripta non exstat.

27. *Dividesque ex æquo prædam etc.* Præda in duas partes æquales divisa, altera pars cessit multitudini quæ remanserat in castris, altera iis qui processerant ad bellum, qui cum essent tantum duodecim millia, multum plus prædæ militibus obtigit, quam iis qui in eam expeditionem non iverant.

29. *Primitiæ.* Heb. *oblatio.*

30. *Ex media quoque parte etc.* Scilicet ab iis qui remanserant in castris, nec pugnaverant.

37. E quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque.

38. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta et duo;

39. De asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus;

40. De animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ.

41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum,

42. Ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his qui in prælio fuerant.

43. De media vero parte quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis,

44. Et de bobus triginta sex millibus,

45. Et de asinis triginta millibus quingentis,

46. Et de hominibus sedecim millibus,

47. Tulit Moyses quinquagesimum caput, et dedit Levitis qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.

48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, et tribuni, centurionesque, dixerunt:

49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum quos habuimus sub manu nostra: et ne unus quidem defuit.

50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos et dextralia, ac muraenulas, ut depreceris pro nobis Dominum.

51. Susceperuntque Moyses, et Eleazar sacerdos, omne aurum in diversis speciebus,

52. Pondo sedecim millia septingentos quinquaginta siclos a tribunis et centurionibus:

---

50. *Periscelides*. Crurum sunt ornamenta.

Armillas. Brachiorum ornamenta.

Dextralia. Videtur armilla et dextrale sic distingui, quod armilla sinistri brachii, dextrale dextri ornamentum sit; quamquam armillæ nomen utriusque brachii ornamentum videtur comprehendere.

Muraenulas. Colli ornamenta.

Ut depreceris. Hæc secundaria et accessoria erat causa oblationis auri: primaria enim erat ut ostenderent se esse gratos Deo qui illis incruentam victoriam concesserat.

51. *Aurum in diversis speciebus*. In diversas vasorum species conflatum.

52. *Pondo sedecim millia sep-*

53. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat.
54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in
monumentum filiorum Israel coram Domino.

CAPUT XXXII.

Filiis Ruben, Gad et dimidiæ tribui Manasse portio datur trans Jordanem, modo fratres suos in terram promissionis armati præcedant.

1. Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat Deut.
illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer et 3, 12.
Galaad aptas animalibus alendis terras,
2. Venerunt ad Moysen, et ad Eleazarum sacerdotem, et
principes multitudinis, atque dixerunt:
3. Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Hesebon, et Elealc,
et Saban, et Nebo, et Beon,
4. Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel,
regio uberrima est ad pastum animalium; et nos servi tui habemus jumenta plurima:
5. Precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis
famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem.
6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad
pugnam, et vos hic sedebitis?
7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant
in locum quem eis daturus est Dominus?
8. Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram?
9. * Cumque venissent usque ad vallem botri, lustrata omni * Sup.
13, 24.

---

tingentos quinquaginta siclos. Heb. chald. et LXX versione, non est vox illa *pondo*. Sensus est totum illud aurum fuisse ponderis sedecim millium septingentorum quinquaginta siclorum.

A tribunis et centurionibus. Hi enim detulerunt ad Moysen et Eleazarum id quod ipsi et quod milites obtulerant.

53. *Quod in præda rapuerat, suum erat.* Ex hoc intelligas quod supra cum tota multitudine fuerat communicatum, fuisse tantum animantium et hominum prædam.

54. *In monumentum filiorum Israel coram Domino.* Ut Deus eorum meminisset et iis esset propitius.

regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines quos eis Dominus dedit.

10. Qui iratus juravit, dicens:

11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto a viginti annis et supra, terram quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, et Jacob, et noluerunt sequi me,

12. Præter Caleb filium Jephone Cenezæum, et Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam.

13. Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio quæ fecerat malum in conspectu ejus.

14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel.

15. Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium.

16. At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas:

17. Nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias.

18. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam:

Caput XXXII. 9. *Subverterunt.* Fregerunt, dissolverunt; hoc enim significat vox hebræa יניאו *janiu.*

Ut non intrarent. Particula *ut* non significat intentionem, sed eventum rei.

11. *Si videbunt.* Non videbunt. Particula *si* juramentis servit,* et sensus est: si videbunt pro Deo non habear.

A viginti annis. Significat ætatatem hominum, non tempus discessus ex Ægypto.

13. *Circumduxit eum per desertum.* Significanter LXX, *circumvolvit eos ut rhombum per desertum quadraginta annis.* Est autem rhombus machina quam agitando tramam glomerant in circulum. Italice *naspo.*

14. *Incrementa et alumni hominum peccatorum.* Peccatorum discipuli, qui non tantum eorum peccata imitamini, sed propagatis et augetis.

17. *Habitatorum insidias.* Erant enim Rubenitæ et Gaditæ vicini Moabitis, Idumæis, Chananæis, aliisque hostibus.

19. Nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga.

20. Quibus Moyses ait: * Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: * Jos. 1, 14.

21. Et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos,

22. Et subjiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israel, et obtinebitis regiones quas vultis coram Domino.

23. Sin autem quod dicitis non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.

24. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas, et stabula ovibus ac jumentis: et quod polliciti estis implete.

25. * Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod jubet Dominus noster. * Jos. 4, 12.

26. Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad:

27. Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, domine, loqueris.

28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israel, et dixit ad eos:

29. * Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subjecta; date eis Galaad in possessionem. * Deut. 3, 12. Jos. 13, 8 22, 4.

30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca.

---

20. *Coram Domino*. Coram arca, vel favente Domino.

21. *Omnis vir bellator*. Qui commode potest; nam domi relicti quot erant necessarii ad urbes quas occupaverunt defendendas, transierunt ex iis Jordanem 40 millia, ut patet Josue 4, 13: cum tamen in censu numerata essent ex iis centum et decem millia, cap, 26, 18.

23. *Peccatum vestrum*. Pœna peccati.

26. *In urbibus Galaad*. Non de sola Galaaditide hoc intelligendum, sed de tota sorte Gaditarum, Rubenitarum, et dimidiæ tribus Manasse.

30. *Inter vos habitandi etc.* Quasi dicat: Si fidem datam fefellerint, noluerintque vobiscum ad pugnam progredi, compellite eos transire Jordanem, pugnare et habitare vobiscum.

31. Responderuntque filii Gad et filii Ruben: Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus:

32. Ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem.

* Jos. 22, 9. 33. * Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben, et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, et regnum Og regis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum.

34. Igitur exstruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroer,

35. Et Etroth, et Sophan, et Jazer, et Jegbaa,

36. Et Bethnemra, et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis.

37. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, et Eleale, et Cariathaim,

38. Et Nabo, et Baalmeon versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus quas exstruxerant.

* Gen. 50, 22. 39. * Porro filii Machir filii Manasse perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam, interfecto Amorrhæo habitatore ejus.

40. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea.

41. Jair autem filius Manasse abiit et occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jair, id est, Villas Jair.

42. Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

CAPUT XXXIII.

Mansionibus 42 filiorum Israel per varia loca in deserto recensitis, Chananæi jubentur a Domino interimi.

1. Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron,

---

31. *Locutus est Dominus.* Deus scilicet per Mosen, patet ex hebræo.

34. *Exstruxerunt.* Restaurarunt; nam prius exstiterant.

38. *Versis nominibus.* Præsertim quia quædam ab idolis quæ in illis colebantur nomen habebant, ut Bamoth, Baal et Baalmeon.

40. *Machir.* Posteris Machir, seu dimidiæ tribui Manassis prognatæ ex Machir.

41. *Jair autem filius Manasse.* Non proximus, sed remotus. Sic sæpe nepotes vocantur filii, ut Luc. 1, 5; Matth. 1, 1.

CAPUT XXXIII. 1. *In manu Moysi et Aaron.* Ductu Mosis et Aaronis.

2. Quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant.

3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die (1) phase, filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis,

4. Et sepelientibus primogenitos quos percusserat Dominus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem),

5. Castrametati sunt in Soccoth.

6. Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis.

7. * Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum. *Exod. 14, 2.

8. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara. Exod. 15, 22.

9. * Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt. *Exod. 15, 27.

10. Sed et inde egressi, fixerunt tentoria super mare rubrum. Profectique de mari rubro,

11. Castrametati sunt in deserto Sin.

12. Unde egressi, venerunt in Daphca.

13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus.

14. Egressique de Alus, in Raphidim fixere tentoria, * ubi populo defuit aqua ad bibendum. *Exod. 17, 1.

15. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.

16. Sed et de solitudine * Sinai egressi, venerunt ad sepulchra concupiscentiæ. *Exod. 19, 2.

17. * Profectique de sepulchris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. * Sup. 11, 34.

18. * Et de Haseroth venerunt in Rethma. * Sup. 13, 1.

(1) Altera die. *In edit. Sixt. legitur:* Fecerunt altera die etc.

---

2. *Juxta castrorum loca.* Juxta numerum castrametationum.

3. *Altera die phase.* Postridie agni immolati, hoc est, die 15 mensis primi.

In manu excelsa. In magna potestate, robore ac terrore Ægyptiorum.

4. *In diis eorum exercuerat ultionem.* Quia eadem nocte qua egressi sunt ex Ægypto, prostravit idola Ægypti, Hier. ep. 127. Vide supra Exod. 12, 12.

11. *Sin.* Scribitur per *samech.* * Vide dicta Exod. 16, 1; et cap. sequenti num. 3.

19. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares.
20. Unde egressi, venerunt in Lebna.
21. De Lebna castrametati sunt in Ressa.
22. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha.
23. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher.
24. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada.
25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.
26. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath.
27. De Thahath castrametati sunt in Thare.
28. Unde egressi, fixere tentoria in Methca.
29. Et de Methca castrametati sunt in Hesmona.
30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.
31. Et de Moseroth castrametati sunt in Benejaacan.
* Deut. 32. * Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad.
10, 7. 33. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha.
34. Et de Jetebatha venerunt in Hebrona.
35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber.
* Sup. 36. * Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades.
20. 1. 37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom.
* Sup. 20, 25. Deut. 32, 50. 38. * Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor jubente Domino: et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis,
39. Cum esset annorum centum viginti trium.
40. Audivitque chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israel.
41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona.
42. Unde egressi, venerunt in Phunon.
43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth.
44. Et de Oboth venerunt in Jieabarim, quæ est in finibus Moabitarum.
45. Profectique de Jieabarim, fixere tentoria in Dibongad.
46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim.
47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.
48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho.

---

36. *Sin.* Scribitur per *tsade.*
40. *Venisse.* Adventare; ponitur actus perfectus pro inchoato.

49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum,

50. Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

51. Præcipe filiis Israel, et dic ad eos: Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan,

52. Disperdite cunctos habitatores terræ illius: * confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, * Deut. 7, 5. Judic. 2, 2.

53. Mundantes terram, et habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in possessionem,

54. Quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus et familias possessio dividetur.

55. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ; qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ:

56. Et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

CAPUT XXXIV.

Terræ promissionis situs et limites juxta varias orbis plagas, eaque sorte dividenda præcipitur, additis illorum nominibus qui eam dividant.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur:

3. * Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta * Jos. 15, 1.

---

49. *De Bethsimoth usque ad Abelsatim.* Primum sistendo in Bethsimoth, ubi fuit una mansio, deinde ad Abelsatim progrediendo, ubi fuit alia mansio.

52. *Confringite titulos.* Aras, vel columnas, vel delubra; alii picturas, alii simulachra; chald. *templa.*

Excelsa. Altaria et sacella in locis excelsis idolis consecrata.

55. *Clavi in oculis, et lanceæ in lateribus.* Erunt vobis infestissimi, arma in vos distringent et perniciem vobis afferent.

Caput XXXIV. 2. *His finibus terminabitur.* Apte post impositum præceptum de delendis habitatoribus, fines hic terræ quam occupaturi essent statuuntur, ut scirent quarum regionum incolas deleturi, et quarum possessionem accepturi.

3. *A solitudine Sin.* Incipit hanc terminorum descriptionem a

Edom: et habebit terminos contra orientem mare salsissimum:

4. Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, et perveniant a meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, et tendent usque ad Asemona:

5. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur.

6. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, et ipso fine claudetur.

---

latere meridiano in angulo ubi latus meridianum jungitur lateri orientali; ille enim angulus incipiebat a solitudine Sin heb. צן *tsin* per *tsade*, ne existimes esse desertum illud Sin cujus est mentio Exod. 16, ubi in hebræo est סין *Sin*.

Contra orientem Versus orientem, hoc est, ubi latus orientale concurrere debebit cum meridiano, et angulum communem efficere.

Mare salsissimum. Est lacus Sodomorum, sive Asphaltites ubi prius fuit Pentapolis; dicitur salsissimum, quia omnia maria saltem judaica salsedine multum superat. Causa tantæ salsedinis sulphur, bitumen, sal, quæ in Pentapoleos incendio e cœlo deciderunt.

4. *Ascensum Scorpionis*. LXX, πρὸς ἀνάβασιν Ακραβιν, *per ascensum Acrabin*. Loci est nomen, et secundum aliquos etiam urbis aut regionis, quam putant esse eam quæ lib. 1 Machab. c. 5, n. 3, vocatur Acrabathena, cujus sententiæ auctor videtur S. Hieron. in c. 1 Abdiæ, *quæ vergit*, inquit, *ad Scorpionem*, id est, *ad urbem Acrabathenam*.

In Senna. D. Hieron. in locis hebraicis ait esse petræ nomen: et fortasse est petra illa cujus fit mentio Judic. 1, numero ultimo, quæ cum ascensu Scorpionis statuitur esse Amorrhæorum terminus.

A meridie. In heb. est, *ad meridiem*, et ita etiam habent LXX, πρὸς λίβα, et idem sensus est nostri interpretis, cui *a meridie* idem est ac versus meridiem.

5. *Usque ad torrentem Ægypti*. Hic torrens rivulus est, qui ex deserto veniens juxta Rhinocoluram in mare Mediterraneum delabitur, terramque tribus Juda et Simeon a deserto, viaque Ægypti disterminat. Passim in Scriptura hic torrens ponitur australis terminus terræ promissæ.

Maris magni. Mediterranei.

6. *Et ipso fine claudetur*. Sensus est: plaga occidentalis sicuti a mari ipso initium accepit, ita ipso mari finem habebit, nec erit aliud quo concludatur iste limes occidentalis, quam ipsius maris littus. Non tamen existimes totum littus Mediterranei occidentem spectans datum esse Hebræis, sed tantum usque ad eam ejus littoris partem quæ Libano aut Hor monti a regione respondet; hinc enim inchoatur latus septentrionale terræ promissæ.

7. Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum,

8. A quo venient in Emath usque ad terminos Sedada:

9. Ibuntque confinia usque ad Zephrona, et villam Enan: hi erunt termini in parte aquilonis.

10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama,

11. Et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde pervenient contra orientem ad mare Cenereth,

12. Et tendent usque ad Jordanem, et ad ultimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu.

13. Præcepitque Moyses filiis Israel, dicens: Hæc erit terra quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus et dimidiæ tribui.

---

7. *Pervenientes*. Recta linea.

Usque ad montem altissimum In hebræo habetur הר ההר *hor hahar*, Hor montem. LXX qui habent, *παρὰ τὸ ὄρος*, *apud montem montem*, videntur in hebræo legisse non הר, sed הק. Mons igitur iste Hor, vel est promontorium aliquod Libani ita dictum, vel si legamus הר ההר *mons mons*, ita dicetur propter Libanum et Antilibanum, duo quasi ejusdem montis juga et vertices.

8. *A quo venient in Emath*. Urbs fuit in parte aquilonari terræ promissæ juxta Libanum montem. Scribit S. Hier. in cap. 10 Isaiæ, Emath Epiphaniam fuisse a Syris etiam suo tempore appellatam.

Sedada. Urbs est vel vicus ad limitem plagæ septentrionalis; ejusdem mentio Ezech. 47, 15.

10. *Sephama*. Quis locus sit non constat. S. Hier. nihil aliud habet quam esse terminum Judææ ad solis ortum.

11. *Contra fontem Daphnim*. In hebræo est tantum *contra fontem*, illum scilicet qui contra Reblata est notus et celebris, fortasse ita dictus a laurorum multitudine, ut etiam suburbanum celebre Antiochiæ urbis, et fortasse nostra Daphne illa est cujus meminit Josephus lib. 4 belli judaici, cap. 1, quæ ad lacum Semechonitem sita est. D. tamen Hieron. Daphnem hanc vult esse eam, quæ vicina Antiochiæ est. Vide Bonfrerium hic late de hoc, et erudite disputantem.

Ad mare Cenereth. Quod est mare illud seu stagnum quod mare Galilææ, aut stagnum Genesareth, aut mare Tiberiadis passim appellatur in Evangelio.

12. *Usque ad Jordanem*. Jordanem scilicet majorem. Idem fluvius dicitur Jordanis minor donec ad lacum Genesareth perveniat: major postquam ab eo lacu egressus usque ad mare mortuum decurrit.

14. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, et tribus filiorum Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse,

15. Id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam.

16. Et ait Dominus ad Moysen:

*Jos. 14, 1 et 2. 17. * Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis divident, Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun,

18. Et singuli principes de tribubus singulis,

19. Quorum ista sunt vocabula: de tribu Juda, Caleb filius Jephone;

20. De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud;

21. De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon;

22. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli;

23. Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod;

24. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan;

25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach;

26. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan;

27. De tribu Aser, Ahiud filius Salomi;

28. De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud.

29. Hi sunt quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

CAPUT XXXV.

Assignari jubentur urbes et suburbana Levitis: et urbes refugii pro homicidio non voluntario: lex homicidii voluntarii, et non voluntarii: unius testimonio nemo puniendus.

1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Jordanem, contra Jericho:

* Jos. 21, 2. 2. * Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis:

3. Urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis:

4. Quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur:

---

18. *Singuli principes de tribubus singulis.* Non principes totius tribus, sed principes aliquarum familiarum in sua tribu.

Caput XXXV. 1. *Supra Jordanem.* Juxta Jordanem.

4. *Mille passuum spatio tendentur.* Hoc versu dantur Levitis

5. Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad occidentem eadem mensura erit, et septentrionalis plaga æquali termino finietur: eruntque urbes in medio, et foris suburbana.

6. * De ipsis autem oppidis quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: et exceptis his, alia quadraginta duo oppida, * Deut. 4, 41. Jos. 20, 2,

7. Id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.

8. Ipsæque urbes quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent plures auferentur; et qui minus, pauciores: singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis.

9. Ait Dominus ad Moysen:

10. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: * Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, * Deut. 19, 2. Jos. 20, 2.

11. Dicernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint:

12. In quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et causa illius judicetur.

---

tantum mille *amma,* id est, cubiti; sequenti vero dantur bis mille *amma* (utrobique enim in textu hebræo est ea vox quæ cubitum significat) idque ad quamlibet mundi plagam. Varii varia, quorum sententias late explicat Cornel. a Lapide hic et Serar. in cap. 21 Josue, quæst. 8. Bonfrerius hic putat textum hebraicum corruptum esse et ex nostro emendandum. Deinde docet passum Græcorum fuisse pedum trium; cubitum vero unius pedis et semis mensuram habuisse. Atque ita sibi noster interpres cohæret et consentit; nam mille passus et duo cubitorum millia idem sunt. Rursus docet passum geometricum seu compositum romanum fuisse quinque pedum, cubitum vero sacrum ex Villapando esse duorum pedum et semis romanorum: itaque bis mille cubiti sacri mille passus geometricos romanos æquant, nec contraria sibi habet nostræ editionis vulgatus interpres.

6. *Qui fuderit sanguinem.* Qui aliquem occiderit nolens ac nescius, ut dicitur num. 11; et Josue 20, 3.

12. *Cognatus occisi non poterit eum occidere.* In lege enim veteri ob populi illius duritiam permissum erat cognatis occidere percussorem propinqui sui, absque alia judicis condemnatione, quocumque loco eum reperirent, ut patet n. 19 et 27.

Donec stet. Scilicet homicida.

* Deut. 4, 41. Jos. 20, 7 et 8.

13. * De ipsis autem urbibus quæ ad fugitivorum subsidia separantur,

14. Tres erunt trans Jordanem, et tres in terra Chanaan,

15. Tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit.

16. Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est; reus erit homicidii, et ipse morietur.

17. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit; similiter punietur.

18. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur.

19. Propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet.

* Deut. 19, 11.

20. * Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias;

21. Aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit: percussor homicidii reus erit: cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit.

22. Quod si fortuitu, et absque odio

23. Et inimicitiis, quidquam horum fecerit,

24. Et hoc, audiente populo, fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quæstio ventilata;

25. Liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem ad quam confugerat, manebitque ibi do-

---

14. *Tres erunt trans Jordanem*. Bosor, Ramoth et Golan.

15. *Tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis*. Proselytis tamen et ad judaismum conversis; aliqui docent etiam gentiles in gentilismo permanentes jus asyli habuisse.

17. *Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit; similiter punietur*. Si videlicet ictus lapide statim expirarit: si enim ab ictu surexisset aut ambulasset, non occidebatur percussor, sed tantum impensas curationis læso solvebat, ut patet Exod. 21, 19.

19. *Propinquus occisi homicidam interficiet*. Videtur permissio, non præceptum. Bonfrerius putat etiam obligatum fuisse occidere, si vel in judicio homicida nocens fuisset declaratus, vel evidentia facti id constaret, quod colligit ex modo loquendi Scripturæ hoc versu ac 21; et Deut. 19, n. 12, 13.

24. *Et hoc, audiente populo, fuerit comprobatum*. Ad hanc rem comprobandam sufficiebat probari nullum odium, nullam antea inter eos inimicitiam fuisse notatam: hæc enim juris præsumtio sufficiebat, Deut. 4, 42, et Deut. 19, 6; et Josue 20, 5.

nec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.

26. Si interfector extra fines urbium quæ exsulibus deputatæ sunt

27. Fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis; absque noxa erit qui eum occiderit:

28. Debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere: postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam.

29. Hæc sempiterna erunt et legitima in cunctis habitationibus vestris.

30. Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.

31. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis; statim et ipse morietur.

32. Exsules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt:

33. Ne polluatis terram habitationis vestræ; quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem qui alterius sanguinem fuderit.

34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum: ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

CAPUT XXXVI.

Tribus per connubia non misceantur, ne possessiones confundantur.

1. Accesserunt * autem et principes familiarum Galaad filii *Sup. 27, 1.

---

25. *Sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.* Id ita statutum, ut significaretur Christi morte perfectam libertatem afferendam, quæ ratio literalis est.

27. *Ultor est sanguinis.* Propinquus cui competit vindicta.

Absque noxa. Non solum absque pœna, sed etiam absque culpa.

30. *Sub testibus.* Pluribus scilicet, non uno tantum.

33. *Ne polluatis terram etc.* Terræ maculam quamdam aspergit sanguis fusus, quamvis innocentis: ea macula censetur abstergi cum occiditur ipse homicida.

Nec aliter expiari potest. Nisi summus sacerdos forte moriatur: hæc enim sufficiens erat expiatio, ut supra n. 25.

34. *Emundabitur.* Munda conservabitur.

Me commorante vobiscum. Et ego apud vos ero, vobis favebo etc.

Caput XXXVI. 1. *Principes familiarum Galaad.* Non qui jam

Machir filii Manasse de stirpe filiorum Joseph: locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt:

2. Tibi domino nostro præcepit Dominus ut terram sorte divideres filiis Israel, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri:

3. Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum de nostra hæreditate minuetur:

4. Atque ita fiet, ut cum jubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium distributio, et aliorum possessio ad alios transeat.

5. Respondit Moyses filiis Israel, et, Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est:

6. Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: * Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus:

* Tob. 7, 14.

7. Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua:

8. Et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in familiis,

9. Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant,

10. Ut a Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad ut fuerat imperatum:

11. Et nupserunt Maala, et Thersa, et Hegla, et Melcha, et Noa filiis patrui sui

12. De familia Manasse, qui fuit filius Joseph: et possessio

---

acceperant possessionem in terra Galaad, et eam jam incolere ceperant, sed qui trans Jordanem accepturi erant; nam et hi Galaaditæ erant, a progenitore Galaad, et inter hos filias Salphaad hæreditatem accepisse patet ex Josue cap. 17, 3.

2. *Et ut filiabus Salphaad etc.* Vide supra cap. 27.

3. *Translata ad aliam tribum.* Eam scilicet de qua fuisset maritus filiarum Salphaad; nam filii ex eo matrimonio nati, de tribu fuissent patris sui.

7. *Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua.* Loquitur in casu Mosi proposito, cum scilicet agitur de marito dando mulieri, quæ sit paternorum bonorum hæres; hæc enim tantum intra tribum suam nubere poterat, ut patet ex hebræo in quo num. 8, ita habetur: *omnis filia hæreditans hæreditatem etc. uni de familia tribus patris sui erit in uxorem, ut accipiant hæreditatem filii Israel, unusquisque hæreditatem patrum suorum.*

quæ illis fuerat attributa mansit in tribu et familia patris earum.

13. Hæc sunt mandata atque judicia quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

LIBER DEUTERONOMIUM,

HEBRAICE

ELLE HADDEBARIM.

CAPUT PRIMUM.

Brevis epilogus eorum quæ Israeli in deserto contigerant, pœnaque populo infideli inflicta.

1. Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan et Tophel et Laban et Haseroth, ubi auri est plurimum:

2. Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne.

3. Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis,

CAPUT I. 1. *Hæc sunt verba.* Quæ scilicet hoc Deuteronomii libro sequuntur; non, quod aliqui putant, quæ hactenus superiori libro præcesserunt.

Trans Jordanem. Moses non transierat Jordanem, sed circa eum consistebat: dicitur tamen trans Jordanem hæc locutus, quia respectu terræ promissæ (juxta quam Scriptura solet consignare plagas et situs locorum) regio hæc trans Jordanem erat.

In solitudine campestri. LXX, *in solitudine ad occidentem.* Aliqui putant solitudinem hanc esse campestria Moab; alii intelligunt de vasta illa solitudine Arabiæ, in qua annis quadraginta Hebræi egerunt.

Contra mare rubrum. E regione maris rubri.

Ubi auri est plurimum. LXX vertunt *aurifodinas.*

2. *Undecim diebus.* Intellige itur.

3. *Undecimo mense, prima*

locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat illi Dominus ut diceret eis;

* Num 21, 24, 4. * Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edrai;

5. Trans Jordanem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, et dicere:

6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis:

7. Revertimini, et venite ad montem Amorrhæorum, et ad cætera quæ ei proxima sunt campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem, et juxta littus maris, terram Chananæorum, et Libani, usque ad flumen magnum Euphraten.

8. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini et possidete eam,

---

die mensis. Undecimus mensis ab Hebræis dicitur *sebet* et respondet nostro Januario.

Locutus est. Hoc est, rursum eadem repetiit.

4. *Qui habitabat in Hesebon*. Ibi enim rex ille regiam suam collocaverat.

In Astaroth. De Astaroth, seu Astaroth carnaim. Vide dicta Gen. 14, 5.

5. *Trans Jordanem in terra Moab*. Hæc referenda sunt ad verbum *locutus est*, num. 3.

6. *Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis*. Hoc est, satis diu hic commorati estis, tempus est ut hinc recedatis et promissionis terram adeatis.

7. *Revertimini*. Heb. *vertite vos*. Itaque præcipitur, ut convertant se et accingant ad iter, vel ut intermissum iter resumant.

Ad montem Amorrhæorum. In Cadesbarne ad terminos terræ promissæ, qui locus vel urbs est ad montes in quibus habitant Amorrhæi.

Campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem His verbis et aliis quæ sequuntur hoc versiculo mundi plagæ, finesque australes, occidentales et boreales terræ promissæ designantur. Cum ergo dicit, *campestria, montana et humiliora loca contra meridiem,* latus designat terræ promissæ quod meridiem respicit.

Et juxta littus maris, terram Chananæorum. Terminus est occidentalis.

Et Libani etc. Terminus borealis. Vide supra, Num. 34, 7.

* *Usque ad flumen magnum Euphraten*. Nunquam Hebræi regionem quæ hic describitur insederunt, licet aliquando, ut tempore Davidis et Salomonis, eorum imperio ut tributaria subdita fuerit. Promissa tamen erat ut propria possidenda, si in fide perstitissent et divinæ legi paruissent. Vide Deut. 19, 8 et 9.

8. *Tradidi vobis*. Terram scilicet.

super qua juravit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos.

9. Dixique vobis illo in tempore:

10. * Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli, plurimi. *Exod. 18, 18.

11. (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis sicut locutus est.)

12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus ac jurgia.

13. Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.

14. Tunc respondistis mihi: Bona res est quam vis facere.

15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula.

16. Præcepique eis, dicens: Audite illos, et * quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. *Joan. 7, 24.

17. * Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. *Levit. 19, 15. Inf. 16, 19. Prov. 24, 23. Eccli. 42, 1. Jac. 2, 1.

18. Præcepique omnia quæ facere deberetis.

19. Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem et maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne,

20. Dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis.

21. Vide terram quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende

---

10. *Sustinere vos.* Vestrum regimen, vestrique curam. Vide Exod. 18, et ibi dicta.

15. *Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles.* Heb. *tuli capita tribuum vestrarum.*

17. *Nulla erit distantia personarum.* In hebræo est, *non agnocescetis facies,* id est, ea quæ in homine apparent et ad causam non faciunt.

Nec accipietis cujusquam personam. Heb. *non timebitis a facie viri.*

Quia Dei judicium est. Quia cum judicatis, Dei vices geritis, qui justissimus est.

Referte ad me. Tanquam ad supremum judicem.

21. *Vide terram.* Quia Cadesbarne est juxta Chanaan; tantum

et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas.

* Num. 13, 3. 22. * Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent terram: et renuntient per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates.

23. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.

24. Qui cum perrexissent, et ascendissent in montana, venerunt usque ad vallem botri: et considerata terra,

25. Sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

26. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri

27. Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.

28. Quo ascendemus? nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, et nobis statura procerior; urbes magnæ, et ad cœlum usque munitæ; filios Enacim vidimus ibi.

29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.

31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.

32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro,

* Exod. 13, 21. Num. 14, 14. 33. * Qui præcessit vos in via, et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis.

34. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, et ait:

---

enim interest mons Idumææ. Unde ex Cadesbarne missi sunt exploratores in Chanaan.

22. *Dixistis: Mittamus viros.* Hinc patet ipsos Hebræos petiisse ut mitterentur exploratores, qui, iis annuente Deo, missi sunt, Num. 13.

28. *Ad cœlum usque munitæ.* Hyperbole.

Filios Enacim. Filios gigantum, gigantes, ex posteris Enac gigantis.

31. *Portavit.* Deduxit, direxit, fovit.

33. *Metatus est locum.* Præcedens castra in columna nubis.

35. * Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam quam sub juramento pollicitus sum pabus vestris, *Num. 14, 23. Psal. 94, 11.

36. Præter Caleb filium Jephone: ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est Dominum.

37. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc:

38. Sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te; hunc exhortare et robora, et ipse sorte terram dividet Israeli.

39. Parvuli vestri, de quibus dixistis quod captivi ducerentur, et filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: et ipsis dabo terram, et possidebunt eam.

40. Vos autem revertimini et abite in solitudinem per viam maris rubri.

41. * Et respondistis mihi: Peccavimus Domino; ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, *Num 14, 14.

42. Ait mihi Dominus: Dic ad eos: * Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. *Num. 14, 42.

43. Locutus sum, et non audistis: sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia, ascendistis in montem.

44. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi, et cecidit de Seir usque Horma.

45. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere.

46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

---

36. *Secutus est.* Caleb scilicet.

* 37. *Propter vos.* Vide dicta Num. 20, 12; et infra c. 3, 26.

39. *Boni ac mali ignorant distantiam.* Parvuli qui nondum habent usum rationis, ut bonum a malo discernant.

43. *Adversantes imperio Domini.* Heb. *exacerbastis os Domini*, id est, repugnastis ejus verbis et jussis; itaque eum, ejusque os et vultum irritastis.

44. *Sicut solent apes.* Quæ magno numero et furore in se lacessentes involant.

45. *Non audivit vos.* Volentes ingredi in terram promissam.

46. *Sedistis.* Sedem habuistis.

Beneficiorum populo exhibitorum repetitio, pugnæ contra Ammom et Moab prohibitio, regisque Sehon et terræ ipsius expugnatio.

1. Profectique inde venimus in solitudinem quæ ducit ad mare rubrum, sicut mihi dixerat Dominus: et circuivimus montem Seir longo tempore.

2. Dixitque Dominus ad me:

3. Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra aquilonem;

4. Et populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos.

5. Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.

6. Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis: aquam emtam haurietis, et bibetis.

7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit.

Caput II. 1. *Sicut mihi dixerat Dominus.* Scilicet Num. 14, 25.

Circuivimus montem Seir. Idumæam; Idumæorum enim pater fuit Esau, qui etiam dictus est Seir, id est, pilosus. Idumæa dicitur mons, quia regio est alta et montosa.

3. *Ite contra aquilonem.* Ite versus terram promissam, quæ venientibus de Ægypto est versus aquilonem.

4. *Per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau.* Licet enim Num. 20, 21, Idumæi initio negarint transitum Hebræis, hinc tamen et ex n. 6 et 28, patet eos Hebræis tandem transitum saltem per extrema regionis concessisse: hoc enim significare videtur particula illa *per terminos.*

5. *Quantum potest unius pedis calcare vestigium.* Ne minimum quidem: proverbialis loquendi formula.

6. *Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis.* Itaque licet iis quotidie manna deplueret, nullo tamen præcepto iis vetitum erat alios cibos edere, sicunde habere potuissent.

Aquam emtam haurietis. LXX, *aquam mensura accipietis argento.* Heb. *aquas fodietis eis in argento:* fodere enim Hebræi usurpant pro emere et acquirere; quem idiotismum etiam alibi noster interpres retinuit, ut Osee 3, 2.

7. *Novit iter tuum.* Direxit, prosperum fecit, et in eo te variis beneficiis affecit: dicitur enim Deus in Scriptura nosse eos, quibus peculiariter bene vult ac bene facit.

8. Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, et de Asiongaber, venimus ad iter quod ducit in desertum Moab.

9. Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem.

10. Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, et validus, et tam excelsus ut de Enacim stirpe

11. Quasi gigantes crederentur, et essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.

12. In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi: quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus.

13. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.

14. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit: donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus:

Nihil tibi defuit. LXX retinentes hebraicum idiotismum, vertunt: *non indiguisti verbo.*

9. *Filiis Lot.* Moabitis sicut et infra n. 19, filii Lot sunt Ammonitæ: Moab enim et Ammon duo Lot filii ex duabus filiabus exstitere.

Ar. Urbs regia Moabitarum.

10. *Emim primi fuerunt habitatores ejus.* Ante Moabitas ea loca tenuerunt. Hæc commemorat Moses, ut Hebræi exemplo Emim, suis sedibus pulsis, fiduciam concipiant occupandæ Chananææ. Emim autem dicuntur, quasi terribiles propter immanem proceritatem et vires: אימה *Ema* enim in hebræo est terror. Alii deducunt ab אמה *amma,* id est, cibitus, quasi dicas: Viri cubitorum, scilicet multorum.

11. *Similes filiorum Enacim.* Qui habiti sunt omnium procerissimi gigantes.

12. *Prius habitaverunt Horrhæi.* Quos Genes. 14, 6, percussit Chodorlahomor vastans montana Seir. Masius, Josue 12, 4, putat Horrhæos fuisse Troglodytas.

Sicut fecit Israel in terra possessionis suæ. Scilicet in terra duorum regum Og et Sehon: necdum cæteram terram promissam ingressi erant Israelitæ.

13. *Torrentem Zared.* Est torrens defluens in mare mortuum.

14. *Hominum bellatorum.* Ita vocantur qui vigesimum ætatis annum expleverunt.

Sicut juraverat Dominus. Num. cap. 14, 23.

15. Cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio.

16. Postquam autem universi ceciderunt pugnatores,

17. Locutus est Dominus ad me, dicens:

18. Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar:

19. Et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem.

20. Terra gigantum reputata est: et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim,

21. Populus magnus, et multus, et proceræ longitudinis, sicut Enacim; quos delevit Dominus a facie eorum: et fecit illos habitare pro eis,

22. Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in presens.

23. Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis.

24. Surgite, et transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversus eum prælium.

25. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo: ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur.

* Num. 21, 21. 26. * Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens:

---

15. *Cujus manus fuit adversum eos.* Domini vindicta, ut plurimi morerentur immatura morte.

19. *Filiis Lot.* Ammonitis et Moabitis.

20. *In ipsa.* Ammonitide.

Zomzommim. Hi sunt qui Gen. 14, 5, vocantur *Zuzim.* Significat autem vox Zomzommim. 1°, Flagitiosos et sceleratos. 2°, Inusitatæ magnitudinis. 3°, Famosos et celebres.

21. *Et fecit.* Dominus.

Illos. Ammonitas.

Habitare pro eis. Pro Zomzommim.

23. *Cappadoces expulerunt.* In hebræo hi Cappadoces appellantur *Caphthorim,* nec sunt illi qui per Asiam minorem ad Pontum Euxinum extenduntur, sed alii qui Palæstinam incoluerunt.

25. *Sub omni cœlo.* Ad quos fama rerum a me pro te gestarum perveniet.

26. *Misi ergo nuntios.* Vide Num. 21, 21.

De solitudine Cademoth. Quam

27. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram.

28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum est ut nobis concedas transitum,

29. Sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides.

31. Dixitque Dominus ad me: * Ecce cœpi tibi tradere Sehon, et terram ejus, incipe possidere eam. * Amos 2, 9.

32. Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa.

33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo.

34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis; non reliquimus in eis quidquam:

35. Absque jumentis, quæ in partem venere prædantium; et spoliis urbium, quas cepimus.

36. Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, usque Galaad, non fuit vicus et civitas quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis:

37. Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus et cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, et urbibus montanis, universisque locis a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

---

ad orientale latus regionis moabiticæ constituit Andrichomius.

28. *Tantum est.* Tantum requirimus.

29. *Sicut fecerunt filii Esau.* Per extrema ditionis suæ, ut dixi num. 4.

Et Moabitæ, qui morantur in Ar. Ergo Moabitæ transitum aliquem in limitibus Ar dederunt Hebræis; sed paulo post sibi timentes mutato consilio negaverunt.

30. *Induraverat.* Non molliendo et inflectendo cum posset.

32. *Egressusque est etc.* Historiam habes Num. 21, 23 et deinceps.

34. *Interfectis habitatoribus etc.* Juxta præceptum Domini, ut patet infra cap. 20, 16.

37. *Torrenti Jeboc.* Ubi Jacob luctatus est cum angelo Gen. 32, 22, pertinetque ad Ammonitas.

Pugna contra Og regem Basan, et lectus ejus: sors duarum tribuum et semis citra Jordanem: precatur Moses ut liceat terram promissam ingredi.

* Num. 21, 33. Inf. 29, 7.

1. Itaque conversi ascendimus per iter Basan: * egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai.

* Num. 21, 34.

2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum, quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciesque ei * sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon.

* Num. 21, 35.

3. * Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum ejus: percussimusque eos usque ad internecionem,

4. Vastantes cunctas civitates illius uno tempore; non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan.

5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris quæ non habebant muros.

6. Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos:

7. Jumenta autem et spolia urbium diripuimus.

8. Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem, a torrente Arnon usque ad montem Hermon

9. Quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir;

10. Omnes civitates quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan usque ad Selcha et Edrai civitates regni Og in Basan.

11. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum.

Caput III. 1. *Egressusque etc.* Hoc prælium habes descriptum Num. 21, 33 et deinceps, ubi eadem prope omnia quæ hic reperies.

4. *Argob*. Est eadem regio cum Basan, ex D. Hier. de locis hebraicis et Adrichomio.

5. *Munitæ muris etc.* Idem de his urbibus habetur 3 Reg. 4, 13. Hæ tamen urbes ita grandes, munitæ et obseratæ, subinde vocantur vici et villæ, ut supra Num. 32, 41; et infra hoc c. n. 14; et Josue 13, 30.

8. *Montem Hermon*. Hermon mons pars est extrema montis Galaad trans Jordanem: totus enim mons *Galaad* dicitur, at in variis locis varia habet nomina.

9. *Sidonii Sarion*. Mons ergo Hermon vocatur Sarion et Sanir, vocatur et Sion vel Seon, ut patet cap. 4, 48.

11. *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigan-*

Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.

12. Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad: et civitates illius * dedi Ruben et Gad. * Num. 32, 29.

13. Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur terra gigantum.

14. Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri, et Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, havoth Jair, id est, villas Jair, usque in præsentem diem.

15. Machir quoque dedi Galaad.

16. Et tribubus Ruben et Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon;

17. Et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem.

18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem: expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti;

19. Absque uxoribus et parvulis atque jumentis; novi enim quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt quas tradidi vobis,

---

tum. Intellige in regione illa: nam alibi adhuc exstitisse gigantes patet Num. 13, 34; Josue 15, 14; 1 Paral. 20, 6.

In Rabbath. Hæc postea dicta est Philadelphia, teste S. Hier. de locis hebraicis.

Cubiti virilis manus. Heb. *secundum cubitum viri.*

14. *Filius Manasse.* Nepos: Hebræi enim omnes posteros vocant filios.

Usque in præsentem diem. Hæc Abulensis putat addita ab Esdra et non esse Mosis verba, quod longum aliquod tempus antecedens denotare videantur: sed non est necesse; satis enim est, si tempus aliquod intercesserit, quo toto eadem aliqua res continuata fuerit, ut dici possit *usque in præsentem diem monstratur.*

15. *Machir.* Posteris Machir.

Dedi Galaad. Id est, partem Galaad; nam Rubenitæ etiam et Gaditæ ejus partem habebant.

17. *Terminos Cenereth.* Vide dicta supra Num. 34, 11.

Usque ad mare deserti. Mare mortuum, sive lacum Asphaltitem Num. 34, 3 et 12.

18. *Præcedite fratres vestros.* Armati in Chanaan.

20. Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit; et possideant ipsi etiam terram quam daturus est eis trans Jordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

* Num. 27, 18. 21. * Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis ad quæ transiturus es.

22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.

23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens:

24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam; neque enim est alius Deus vel in cœlo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ.

25. Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum.

26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.

27. Ascende cacumen Phasgæ, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad aquilonem, austrumque et orientem, et aspice;

* Inf. 31, 2. 34, 4. * nec enim transibis Jordanem istum.

28. Præcipe Josue, et corrobora eum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram quam visurus es.

29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

---

20. *Donec requiem tribuat etc.* Donec debellatis Chananæis, terræ divisio facta sit; quod bellum atque divisio annos quatuordecim tenuit ex Abulensi.

25. *Transibo igitur etc.* Quasi dicat: Quæso transeam et videam terram, pro qua quadraginta annis laboravi.

Montem istum egregium. Montem Moria in quo Abraham obtulit Isaac, in quo ædificanda est Sion et templum. Alii putant sermonem esse de montibus Betel, qui et altiores quam mons Moria, et Jordani viciniores, nec multum a Jericho remoti sunt.

* 26. *Propter vos.* Vestrum peccatum murmuris, unde mihi orta occasio incredulitatis cum virga petram percuterem ad eliciendas aquas. Vide dicta Num. 20, 12.

29. *Contra fanum Phogor.* Hebraice *contra domum*, id est, templum Phogor.

Exhortatur Moses ad servanda Dei præcepta, comminando transgressoribus, prohibet omnem imaginem quæ ad idololatriam induceret, suam prædicit mortem, tresque urbes refugii separat.

1. Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia quæ ego doceo te: ut faciens ea vivas, et ingrediens possideas terram quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.

2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis.

3. * Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri. * Num. 25, 4.

4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem.

5. Scitis quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis;

6. Et observabitis et implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.

7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

8. Quæ est enim alia gens sic inclyta ut habeat ceremonias, justaque judicia, et universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros?

9. Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite. Ne

Caput IV. 1. *Ut faciens ea vivas.* Vita præsenti, diuturna et prospera.

2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis.* Ne addatis aliquid ei repugnans, nec auferatis eam vitiando et mutilando.

3. *Quæ fecit Dominus contra Beelphegor etc.* Occisis scilicet viginti quatuor millibus hominum, ut habetur Num. 25, 9.

6. *Vestra sapientia et intellectus coram populis.* Quasi dicat: Hæc lex est cujus observatione apud cæteras nationes nomen habebitis, quod in rebus agendis sitis sapientes et intelligentes.

7. *Appropinquantes sibi.* Faventes et intentos ad benefaciendum.

9. *Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite.* Ne aliquid facias, vel animo decernas

obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos,

10. A die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos.

* Exod. 19, 18. 11. Et accessistis ad radices montis, qui * ardebat usque ad cœlum: erantque in eo tenebræ, et nubes, et caligo.

12. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis.

13. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, * et decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. * Exod. 20.

14. Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos ceremonias et judicia quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis.

* Exod. 24, 10. 15. Custodite igitur sollicite animas vestras. * Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis:

16. Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ,

17. Similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium,

18. Atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis:

19. Ne forte, elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam

---

facere, quod huic legi sit contrarium.

Verborum. Rerum et portentorum.

11. *Montis, qui ardebat usque ad cœlum*. Montis Sina. Heb. *usque ad cor cœli*, usque ad medium cœlum.

13. *Pactum suum*. Legem, quæ est conditio pacti inter Deum et vos initi.

15. *Custodite igitur sollicite animas vestras*. Hebræa cum Vatablo ita significantius vertunt: *cavete ergo accurate, quam vobis est chara anima vestra;* ne scilicet legem Dei violetis, sed eam custodiatis: qui enim eam custodit, custodit animam suam.

Non vidistis aliquam similitudinem etc. in Horeb. In monte audistis Deum loquentem, sed nullam ejus figuram vidistis; quare nec debetis conari sculptili aliquo, aut alia simili ratione imaginem ejus imitari.

16. *Masculi vel feminæ*. Masculi ut Belis sive Baalis, feminæ ut Astartis.

et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.

20. Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die.

21. * Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam quam daturus est vobis. * Sup. 1, 37.

22. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis terram egregiam.

23. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui quod pepigit tecum; et facias tibi sculptam similitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit:

24. * Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. * Heb. 12, 29.

25. Si genueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis;

26. Testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse de terra quam transito Jordane possessuri estis; non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,

27. Atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus ad quas vos ducturus est Dominus;

28. Ibique servietis diis qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

---

19. *In ministerium etc.* Cujusmodi sunt sol, luna etc.

20. *De fornace ferrea Ægypti.* De servitute durissima quæ vos quasi fornax ferrea adussit et conclusit, ut nullum pateret effugium. Similis metaphora Isaiæ 48, 10: *Elegi te in camino paupertatis.* Est etiam allusio ad fornaces lateritias quibus adicti fuerant Hebræi in Ægypto. Vide Exod. 5, 7.

24. *Deus tuus ignis consumens est.* Deus injuriæ sibi illatæ vindex est, eamque accerrime punit instar ignis omnia vastantis.

26. *Testes invoco hodie cœlum et terram.* Species est juramenti per creaturas, in quibus specialiter relucet Deus. Sic Isaias cap. 1, num. 2, cœlum terramque compellat, cum ait: *Audite cœli, et auribus percipe terra.*

27. *Pauci.* Heb. *viri numeri*, id est, pauci numero.

28. *Ligno et lapidi.* Idolis ex ligno vel lapide. Dicuntur autem Israelitæ hisce idolis servituri, quia vel inviti ad id compellendi erant,

29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.

30. Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus:

31. Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est, non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti in quo juravit patribus tuis.

32. Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, a summo cœlo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquam cognitum est,

33. Ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, et vixisti (1):

34. Si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis:

(1) Vixisti. *In edit. Sixt. legitur* vidisti.

---

quemadmodum re ipsa contigit Dan. 3; et futurum rursum prædicitur Jerem. 5, 19.

29. *Et tota tribulatione.* In vera contritione et conversione: Deus enim peccatori peccatorum pœnitenti reconciliatur.

30. *Te invenerint.* Comprehenderint; est hebraismus.

Reverteris ad Dominum etc. Hæc omnia prophetice dicta sunt, et re ipsa ita contigit in ipsa captivitate babylonica, a qua Judæos pœnitentia ductos in suam terram Deus reduxit, et sive ad literam sive allegorice implebitur in fine mundi, cum Judæorum reliquiæ salvæ fient.

31. *In quo juravit.* Quod juravit.

32. *Interroga de diebus antiquis.* De factis quæ contigerunt in diebus antiquis.

A summo cœlo usque ad summum ejus. Heb. *ab extremo cœli usque ad extremum ejus,* ab oriente usque ad occidentem, quasi dicat: Cognosce ea quæ toto orbe nunquam apud homines alicubi contigerunt. Similis phrasis est Matthæi 24, 31.

33. *Audisti, et vixisti.* Instar miraculi fuit, quod tu vocem Dei tam terribilem ex Sina audires et viveres, de quo rursum cap. 5, num. 24.

34. *Ut ingrederetur, et tolleret.* Ut procederet ad tollendum.

Per tentationes. Signa et prodigia.

Horribiles visiones. In tene-

35. Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum.

36. De cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis,

37. Quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. * Eduxitque te, præcedens in virtute sua magna, ex Ægypto, *Exod. 13, 21.

38. Ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo; et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.

39. Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius.

40. Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

41. * Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, * Num. 35, 14.

42. Ut confugiat ad eas qui occiderit, nolens, proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere:

43. * Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben; et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad; et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. * Jos. 20, 8.

44. Ista est lex quam proposuit Moyses coram filiis Israel:

45. Et hæc testimonia et ceremoniæ atque judicia quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto,

46. Trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto

47. Possederunt terram ejus, et terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum,

---

brarum triduo, de quibus Sap. 17 et 18.

36. *Et in terra ostendit tibi ignem suum maximum.* Quia ignis ex Sina prodire videbatur: mox vero supra eum ex cœlo, id est, ex aere formari et descendere videbatur.

37. *Præcedens in virtute.* Per angelum in columna nubis.

38. *Sicut cernis in præsenti die.* Jam enim deletis Sehon et Og regibus cum suis exercitibus et populis, id impleri cœperat.

41. *Separavit Moyses tres civitates.* Vide Num. c. 35.

48. Ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est et Hermon,

49. Omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.

CAPUT V.

Præceptorum decalogi repetitio et explanatio, et de timore filiorum Israel cum Dei vocem audissent et montem ardere vidissent.

1. Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum: Audi, Israel, ceremonias atque judicia quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, et opere complete.

2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.

3. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, et vivimus.

4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis.

5. Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus; timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem, et ait:

*Exod. 20, 2. Levit. 26, 1. Psalm. 80, 11.

6. * Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.

---

48. *Usque ad montem Sion, qui est et Hermon.* Alius est hic Sion mons, a Sion monte Hierosolymæ et templi: hic enim Sion erat ab alia Jordanis parte et hebraice scribitur per *schin;* Sion vero templi scribitur per *tsade*.

49. *Mare solitudinis.* Mare mortuorum, sive lacus Asphaltites.

Caput V. 1. *Omnem Israelem.* Universum populum: adfuerunt enim omnes, ut indicatur c. 29, n. 10. Nec difficile fuit Deo vim Mosis voci addere, ut ab omnibus posset exaudiri.

3. *Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum.* Non veteribus illis patriarchis Abraham, Isaac et Jacob, legem dedit, sed nobis. Supererant enim adhuc ex iis qui vivebant tempore datæ legis in monte Sion; et ut nulli superessent, adhuc dici poterat iniit pactum nobiscum, id est, cum populo nostro; populus enim durat, quamvis singuli cives moriantur.

4. *Facie ad faciem.* Non quasi formam aut speciem ejus videritis, hoc enim negavit cap. 4, 12; sed facie ad faciem, id est, coram et sine internuntio, * et ita ut vocem audirent, loquentem autem non viderent.

5. *Ego sequester et medius fui.* Ergo Moses mediator fuit inter Deum et populum, ut ait apostolus ad Galat. 3, 19.

6. *De domo servitutis.* Heb. *de domo servorum.* De ergastu-

7. * Non habebis deos alienos in conspectu meo. * Exod.
8. * Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium 20, 3. Ps. 80,
quæ in cœlo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ ver- 10.
santur in aquis sub terra. * Exod.
9. * Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus 20, 4. Levit.
Deus tuus; Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super 26, 1.
filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, * Exod.
10. Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me 34, 14. Psal.
et custodientibus præcepta mea. 96, 7.
11. * Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra; quia non * Exod.
erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumserit. 20, 7. Levit.
12. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit 19, 12.
tibi Dominus Deus tuus. Matt.
13. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 5, 33.
14. * Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei * Gen.
tui. Non facies in eo quidquam operis, tu, et filius tuus, et filia, 2, 2. Exod.

20, 10. Heb. 4, 4.

lo, de Ægypto, ubi durissimam serviebas servitutem.

7. *Non habebis deos alienos in conspectu meo.* LXX et chal. *præter me:* unus enim est Deus, cætera falsa sunt numina errore hominum inducta.

8. *Non facies tibi sculptile.* Superiori versiculo vetuit falsorum deorum cultum, nunc vetat eorum simulacra. Itaque imagines, quod volunt hæretici, non prohibentur, sed idola tantum falsorum numinum.

9. *Non adorabis ea.* Inclinando te, genu flectendo etc.

Non coles. Oblationibus, festis et sacrificiis.

Deus æmulator. Sive ut vertunt LXX, *zelotes*, qui fornicationes hasce et adulteria cum idolis ulciscor.

Reddens iniquitatem. Pœnam iniquitatis.

Patrum super filios. Qui vitia parentum imitantur. Vel etiam sermo est de filiis innocentibus, quos Deus propter parentum scelera temporali et corporali pœna punit ad exemplum cæterorum.

In tertiam et quartam generationem. Quantum scilicet scelerum a parentibus commissorum memoria perseverat; vel numerus definitus ponitur pro indefenito, et sensus est: in multas generationes.

10. *In multa millia.* In plurimas generationes.

11. *Nomen Domini Dei tui frustra.* Vel pejerando, vel quocumque alio modo sancto Dei nomine abutendo irreverenter.

Non erit impunitus. Liptote; graviter punietur. Sic eadem figura dicitur, 1 Reg. 12, 21: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt,* id est, maxime oberunt.

12. *Ut sanctifices eum.* Vacando ab opere servili, ut otium tibi sit divinis rebus operam dandi.

14. *Quidquam operis.* Servilis.

servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu.

15. Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati.

* Exod. 20, 12. Eccli. 3, 9. Matt. 15, 4. Marc. 7, 10. Ephes. 6, 2.

16. * Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

17. Non occides.

18. Neque mœchaberis.

19. Furtumque non facies.

20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

* Matt. 5, 28. Rom. 7, 7.

21. * Non concupisces uxorem proximi tui; non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.

22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte, de medio ignis et nubis et caliginis, voce magna, nihil addens amplius: et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis:

Et peregrinus. Etiam incircumcisus cum tecum est, publicum festum non violet.

16. *Honora patrem etc.* Amando, reverentiam exhibendo, obediendo, juvando et subveniendo.

Ut longo vivas tempore. Quasi dicat: Si honores parentes, longævus vives in terra Chanaan, lacte et melle manante.

17. *Non occides*. Vetat injustam hominis occisionem, item verbera, rixas, et iram etc.

18. *Neque mœchaberis*. Vetat omnem concubitum extra matrimonium, omnemque membrorum illorum abusum quæ generationi destinata sunt. Ex parte enim notiori et famosiori, id est, mœchia sive adulterio, totum libidinis genus, omnesque ejus species intelligi voluit. Ita S. August. q. 71.

19. *Furtumque non facies*. Vetatur omnis injusta rei alienæ usurpatio.

20. *Falsum testimonium*. Sub principaliori crimine falsi testimonii, cætera quæque minora ei affinia intellige, verbi gratia, detractionem, contumiliam, irrisionem etc.

21. *Non concupisces uxorem etc.* Peculiari præcepto vetatur concupiscentia uxoris et rei alienæ, quia duobus præceptis de non mœchando nec furando, in eum erro-

24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam: vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie quod loquente Deo cum homine, vixerit homo.

25. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur.

26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audivimus, et possit vivere?

27. Tu magis accede; et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos; et nos audientes faciemus ea.

28. Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti.

29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum?

30. Vade et dic eis: Revertimini in tentoria vestra.

31. Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea et ceremonias atque judicia, quæ docebis eos, ut faciant ea in terra quam dabo illis in possessionem.

32. Custodite igitur et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram;

33. Sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestræ.

CAPUT VI.

Dominus ex toto corde diligendus, ejusque mandata sollicite servanda, et posteris inculcanda.

1. Hæc sunt præcepta, et ceremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis ea in terra ad quam transgredimini possidendam:

---

rem quis labi potuisset, ut crederet actus tantum externos prohiberi.

26. *Ut audiat vocem Dei... et possit vivere.* Sic Daniel cap. 10, 16, ait ad angelum: *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.*

31. *Hic sta mecum.* In monte.

32. *Neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Est proverbialis locutio, qua significatur nullo modo divinam legem transgrediendam esse.

2. Ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi et filiis ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui.

3. Audi, Israel, et observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, et bene sit tibi, et multiplicceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem.

4. Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est.

*Inf. 11, 13. Matt 22. 37. Marc. 12, 30. Luc. 10, 27.

5. * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo;

7. Et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos,

9. Scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ.

10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram pro qua juravit patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob; et dederit tibi civitates magnas et optimas quas non ædificasti,

---

CAPUT VI. 3. *Amplius*. Valde, ut habent heb. chald. et LXX.

4. *Deus noster, Dominus unus est*. Hoc est primum principium, unde conclusio deducitur de eo solo adorando, colendo, timendo, diligendo.

5. *Ex toto corde tuo etc.* Quod dicitur ex toto corde, anima, fortitudine etc. videtur idem significare, sed pluribus vocibus explicatur ad rem magis inculcandam.

7. *Et narrabis*. Heb. *et acues*. Id est, ut Vatablus et alii, iterabis revolves, repetes hæc mea præcepta filiis tuis. Vel *acues* significat clare, distincte, aperte propones.

Meditaberis. Heb. *loqueris*, sicut famulus cum hero loquitur familiariter, ut ejus mentem cognoscat, quam opere exsequatur.

Dormiens. Quando scilicet cubitum concedis, aut dum cubas.

Atque consurgens. Juxta piorum usum qui cum evigilarunt, primitias actionum per orationem aut meditationem Deo offerunt.

8. *Ligabis ea quasi signum in manu tua*. Judæi hæc olim omnia ad literam ut sonant acceperunt, ut patet Matt. 23, 5. Verum melius accipiuntur metaphorice, ut hac formula loquendi doceamur divinam legem præ oculis semper habere, nec illius unquam oblivisci.

Movebuntur. In græco est, *ἀσάλευτα*, *immobilia*, unde suspicari licet vulgatum interpretem scripsisse, *non movebuntur*.

11. Domos plenas cunctarum opum quas non exstruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta et oliveta quæ non plantasti,

12. Et comederis, et saturatus fueris:

13. Cave diligenter ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. * Inf. 10, 20. Matt. 4, 10. Luc. 4, 8.

14. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium quæ in circuitu vestro sunt;

15. Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ.

16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. * Matt. 4, 7. Luc. 4, 12.

17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testiomonia et ceremonias quas præcepit tibi:

18. Et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi, et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis,

19. Ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.

20. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, et ceremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

21. Dices ei: Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti;

22. Fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Ægypto contra Pharaonem et omnem domum illius in conspectu nostro,

23. Et eduxit nos inde, ut introductis daret terram super qua juravit patribus nostris.

24. Præcepitque nobis Dominus ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie:

---

13. *Per nomen illius jurabis.* Si jurandum sit.

16. *Non tentabis Dominum etc.* Non exacerbabis peccando, murmurando etc.

In loco tentationis. Exod. 17, 7.

17. *Testimonia.* Leges quæ testantur quid velit Deus a nobis fieri.

20. *Cras.* Tempore futuro.

22. *Pessima.* Gravissima Ægyptiis, nocentissima.

24. *Legitima.* Lege decreta.

25. Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

CAPUT VII.

Nulla cum gentibus societas contrahenda, sed earum aræ, luci, ac simulacra delenda: memoratis Dei beneficiis, promittit in omnibus auxilium et ubertatem, modo ejus præcepta observent.

1. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam pos-
*Exod. 23, 23. 33, 2. sessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, * Hethæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te,
2. Tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas
*Exod. 23, 32. 34, 15. usque ad internecionem. * Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum,
3. Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo:
4. Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis: irasceturque furor Domini, et delebit te cito.
*Exod. 23, 24. Inf. 12, 3. 5. Quin potius hæc facietis eis: * Aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite:
6. * Quia populus sanctus es Domino Deo tuo; te * elegit
*Inf. 14, 2. *Inf. 26, 18. Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram.
7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus

---

25. *Eritque nostri misericors.* Heb. *et justitia erit nobis;* sed justitia hic et alibi capitur pro misericordia.

Caput VII. 1. *Septem gentes.* Gen. 15, 19 et sequentibus, numerantur decem gentes Chananæorum, quas expulerunt Hebræi: tres ergo reliquæ vel ante perierant vel aliis septem permistæ fuerunt.

2. *Non inibis cum eis fœdus.* Ut tecum in eadem terra habitent, quod male servatum ab Hebræis, ut patet Jos. 13, 13; et Jud. 1, 21.

3. *Neque sociabis cum eis conjugia.* Quamdiu manent idololatræ.

6. *Populus sanctus es Domino.* Sanctus, id est, separatus ab aliis gentibus, verique Dei religioni addictus.

Populus peculiaris. Heb. est, *populus* סגלה *segulla*, quæ vox cimelium significat, sive rem charissimam et pretiosissimam.

7. *Junctus est Dominus.* Vobis adhæsit, vos peculiari amore

est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores:

8. Sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum quod juravit patribus vestris; eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9. Et scies quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes:

10. Et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

11. Custodi ergo præcepta et ceremonias atque judicia quæ ego mando tibi hodie ut facias.

12. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi et misericordiam quam juravit patribus tuis;

13. Et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum, super terram pro qua juravit patribus tuis ut daret eam tibi.

14. Benedictus eris inter omnes populos. * Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis. * Exod. 23, 26.

15. Auferet Dominus a te omnem languorem; et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

16. Devorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui.

---

complexus est, ut vox hebræa sonat.

9. *Deus fortis*. In redimendo et salvando.

Et fidelis. In servandis promissis.

10. *Reddens odientibus se statim*. Pœnam non differens, ut patuit in pœna colentium vitulum aureum, Exod. 32, 27; et concupiscentium carnes, Num. 11; et pœna Core, Datan et Abiron, Num. 16, 31; et in pœna murmuris Mariæ, Num. 12, 10.

13. *Benedicetque fructui ventris tui*. Posteritatem tuam multiplicabit.

14. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*. Non est hoc præceptum, sed est benedictio qua conjugatis proles promittitur.

15. *Languorem; et infirmitates Ægypti pessimas*. Cujusmodi erant vesicæ illæ turgentes, Exod. 9, 9, et aliæ plagæ quibus Deus afflixit Ægyptum.

16. *Devorabis omnes populos*. Gladio eos consumendo, et opes eorum diripiendo.

17. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ quam ego, quo modo potero delere eas?

18. Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni et cunctis Ægyptiis,

19. Plagas maximas quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus: sic faciet cunctis populis quos metuis.

* Exod. 23, 28. Jos. 24, 12.

20. * Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint et latere potuerint.

21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et terribilis:

22. Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ.

23. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo; et interficiet illos donec penitus deleantur.

24. Tradetque reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cœlo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.

* 2 Mac. 12, 40.

25. * Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui.

26. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

---

20. *Crabrones.* Vide dicta Exod. 23, 28.

21. *In medio tui est.* Tecum est, te adjuvat. Similis phrasis est, Exod. 29, 45.

22. *Non poteris eas delere pariter.* Vide dicta Exod. 23, 29.

24. *Disperdes nomina eorum.* Ita ut ne memoria quidem eorum supersit.

25. *De quibus facta sunt.* Heb. *quod est super ea,* quo sunt induta et operta.

26. *Ne fias anathema.* Id est, res excidio addicta, quæ succidenda et ad nihilum redigenda est, sicut est ipsum idolum.

Commemorantur beneficia et afflictiones quæ Dominus iis in deserto immiserat, ne illorum et Dei sui fiant immemores.

1. Omne mandatum quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias; ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram pro qua juravit Dominus patribus vestris.

2. Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non.

3. Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui; ut ostenderet tibi quod non * in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. *Matt. 4, 4. Luc. 4, 4.

4. Vestimentum tuum, quo operiebaris nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.

5. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te;

6. Ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum.

7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque et fontium, in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi;

8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus et malogranata et oliveta nascuntur; terram olei ac mellis.

9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum

Caput VIII. 1. *Cave.* Id est, vide, cura; est catachresis.

2. *Ut affligeret te.* Duris rebus exerceret.

3. *Afflixit te penuria.* Nam in deserto Hebræi non invenerunt carnes nec segetes, imo frequenter nec olera; itaque murmurarunt, et Deus misit illis manna, ut patet Exod. 16, 3.

Sed in omni verbo. Quacumque re, quocumque cibo.

Quod egreditur de ore Dei. Quod Deus voluerit aut jusserit.

4. *Nequaquam vetustate defecit.* Divina virtute miraculum hoc operante, et mortuorum vestimenta erant usui superstitibus. * Non tantum non attrita fuisse, sed et cum statura crevisse vestimenta tradunt Hebræi.

Pes tuus non est subtritus. Heb. *non intumuit.* Nec pedes intumuerunt, neque læsi aut attriti sunt.

5. *Sicut erudit filium suum homo etc.* Paterno scilicet more te castigando ad emendationem morum, non ad exitium, ut inimici puniri solent.

omnium abundantia perfrueris; cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur:

10. Ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi.

11. Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus atque judicia et ceremonias quas ego præcipio tibi hodie:

12. Ne postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis,

13. Habuerisque armenta boum et ovium greges, argenti et auri, cunctarumque rerum copiam,

14. Elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis,

15. Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili,
* Num. 21, 6. * in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio ac dipsas, et nullæ
* Exod. 17, 6. Num. 20, 11. omnino aquæ; * qui eduxit rivos de petra durissima,

16. * Et cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui,
* Exod. 16, 14.

17. Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt:

18. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.

19. Sin autem, oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos et adoraveris; ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas.

---

9. *Cujus lapides ferrum sunt.* E cujus terræ visceribus ac fodinis ferrum eruitur lapidis duritie.

10. *Benedicas Domino.* Gratias agendo, et precationem aliquam præmittendo antequam ad mensam accedas; nam ut ait D. Paulus, 1 ad Timoth. 4, 5, cibus *sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.*

* 15. *Serpens flatu adurens.* Videtur significari basiliscus, quod afflatu suo venenum adspiret et adurat.

Dipsas. Vide Num. 21, 6. Dipsas nomen serpentis cujus morsus magnam sitim excitat in eo qui ictus est. Δίψα Græcis sitim significat.

16. *Quod nescierunt patres tui.* Quod patres tui non viderant, nec eo ad cibum unquam usi fuerant.

Misertus est tui. Dando tibi terram bonis omnibus affluentem.

20. Sicut gentes quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

CAPUT IX.

Reprimitur elatio, ne futuras victorias sibi sed soli Deo adscribant, cum semper Deo adversati sint.

1. Audi, Israel: Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad cœlum usque muratas,

2. Populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.

3. Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.

4. Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.

5. Neque enim propter justitias tuas et æquitatem cordis tui ingredieris ut possideas terras earum; sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt, et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob.

6. Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus.

7. Memento, et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam pro-

---

20. *Gentes quas delevit.* Heb. *quas delet, perdit.* Utrumque verum; partim enim deleverat, partim delebat.

Caput IX. 1. *Hodie.* Non multo post; est idiotismus hebræus.

Ad cœlum usque muratas. Hyperbole; altissimis muris septas.

2. *Filios Enacim.* Vide supra cap. 1, num. 28.

3. *Transibit ante te.* Devorans et delens, ut sequitur, hostes tuos; tam efficaciter et velociter, quam ignis ligna aut stipulam absumit.

5. *Æquitatem.* Heb. *rectitudinem.*

Cordis tui. Mentis et voluntatis tuæ.

6. *Durissimæ cervicis.* Maxime cervicosus, rebellis et inobediens.

vocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti.

* Exod. 17, 6. 19, 3. 8. * Nam et in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit,

9. Quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens, et aquam non bibens.

* Exod. 31, 18. 10. * Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.

11. Cumque transissent quadraginta dies et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis,

* Exod. 32, 7. 12. Dixitque mihi: * Surge, et descende hinc cito: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile.

13. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit:

14. Dimitte me ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cœlo, et constituam te super gentem quæ hac major et fortior sit.

15. Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utraque tenerem manu,

16. Vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus quam vobis ostenderat;

17. Projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro;

18. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis:

19. Timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.

---

8. *In Horeb provocasti.* Per vituli adorationem, Exod. 32.

10. *Concio.* Cœtus populi.

18. *Procidi ante Dominum.* Non statim a confractione tabularum legis: nam prius occidit Moses viginti tria millia adorantium vitulum, populum increpuit, vitulum contrivit etc. Vide Exod. 34.

20. Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere; et pro illo similiter deprecatus sum.

21. Peccatum autem vestrum quod féceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi, et in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem qui de monte descendit.

22. * In incendio quoque, et in tentatione, et in sepulchris concupiscentiæ, provocastis Dominum: *Num. 11, 1. 16, 2. 21, 5.

23. Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, et possidete terram quam dedi vobis; et contemsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis;

24. Sed semper fuistis rebelles a die qua nosse vos cœpi.

25. Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar ne deleret vos ut fuerat comminatus;

26. Et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti;

27. Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob; ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum:

28. Ne forte dicant habitatores terræ de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est eis, et oderat illos; idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine,

29. Qui sunt populus tuus et hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento.

---

22. *In incendio quoque*. Cum Deus immisit ignem in eos, qui ob laborem itineris murmuraverunt, Num. 11, 1.

In tentatione. Cum Hebræi tentaverunt Deum postulantes aquam, Exod. 17, 7.

Sepulchris concupiscentiæ. Vide Num. 11, 34.

* 23. *Non credidistis etc*. Nam eo ascendere noluistis nisi præmissis exploratoribus, quod Deo displicuit, quamvis ut id fieret sit assensus, Num. 13, 3.

25. *Jacui etc*. Redit ad id quod supra dixerat. Aliqui putarunt Mosen ter fuisse in monte per quadraginta dies et quadraginta noctes.

26. *Domine Deus etc*. Similem per omnia fere habes Mosis orationem ante descensum primum de monte cum primis tabulis lapideis, Exod. 32, num. 11 et sequentibus.

In magnitudine tua. Hoc est, cum magnis et admirandis prodigiis.

11. Dixitque mihi: Vade, et præcede populum, ut ingrediatur et possideat terram quam juravi patribus eorum ut traderem eis.

12. Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua;

13. Custodiasque mandata Domini, et ceremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi?

14. En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra et omnia quæ in ea sunt:

15. Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur.

16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius:

* 2 Par. 17. Quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et Do-
19, 7. Job. 34, minus dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, * qui
19. Sap. personam non accipit nec munera;
6, 8. Eccli. 35, 18. Facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et
15. Act. dat ei victum atque vestitum:
10, 34. 19. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ
Rom. 2, 11. Gal. in terra Ægypti.
2, 6. 20. * Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies: ipsi
* Sup. 6, 13. adhærebis, jurabisque in nomine illius.
Matt. 4, 21. Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia
10. Luc. et terribilia quæ viderunt oculi tui.
4, 8. 22. * In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyp-
* Gen. 46, 27. tum: et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut
Exod. 1, 5. astra cœli.

---

eadem cum illa de qua cap. præcedenti, n. 18. Quare hic est hysteron proteron. Hic enim versus recto ordine ponendus esset ante initium capitis.

14. *Cœlum est, et cœlum cœli.* Per cœlum intellige cœlos mobiles; per cœlum cœli, empyreum cœlum.

15. *Conglutinatus est.* Quæ metaphora vehementis amoris effectum significat.

16. *Circumcidite igitur præputium cordis vestri.* LXX, *duritiam cordis.* Præputium metaphorice cordi tribuitur, et significat voluntatem pravitate, luxuria, vanitate et cæcitate obtectam et obduratam.

21. *Ipse est laus tua.* Objectum et materia laudis tuæ.

22. *In septuaginta animabus.* Hoc explicatum est Genes. cap. 46, 27.

Recensentur varia Dei beneficia, multaque bona promittuntur servantibus ejus præcepta, mala autem non servantibus, hoc est, benedictio et maledictio.

1. Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et ceremonias, judicia atque mandata, omni tempore.

2. Cognoscite hodie quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium,

3. Signa et opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, et universæ terræ ejus,

4. Omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus; quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem;

5. Vobisque quæ fecerit in solitudine donec veniretis ad hunc locum;

6. Et * Dathan atque Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben, quos * aperto ore suo terra absorbuit cum domibus et tabernaculis et universa substantia eorum quam habebant in medio Israel. *Num. 16, 1. * Num. 16, 32.

7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit;

8. Ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, et possitis introire et possidere terram ad quam ingredimini,

9. Multoque in ea vivatis tempore, quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum, lacte et melle manantem.

10. Terra enim ad quam ingrederis possidendam non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ;

Caput XI. 2. *Cognoscite.* Considerate.

Disciplinam. Castigationem, qua vos Deus erudivit.

4. *Deleverit eos.* Ægyptios.

Usque in præsentem diem. Omnino; ita ut nunc nemo superstes sit, qui vobis noceat.

6. *Filius Ruben.* De tribu Ruben.

Cum domibus. Cum filiis et familia.

8. *Ut custodiatis universa mandata illius.* Hoc est, quæ res vobis stimulo esse debet ad Dei mandata custodienda.

* 10. *Jacto semine.* Quod in Ægypto fit post Nili inundationem.

Aquæ ducuntur irriguæ. Heb. *quam rigabas pede sicut hortum.* Labore pedum dum aqua portatur; vel dum huc illuc pedibus discur-

11. Sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans
pluvias:
12. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius
in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.
* Sup. 13. * Si ergo obedieritis mandatis meis quæ ego hodie præ-
10, 12. cipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei
in toto corde vestro, et in tota anima vestra;
14. Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam,
ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum,
15. Fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi co-
medatis ac saturemini.
16. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a
Domino, serviatisque diis alienis et adoretis eos;
17. Iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non des-
cendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de
terra optima quam Dominus daturus est vobis.

---

rendum est, ut aqua areolas omnes hortorum infundat. Vidi in hortis olitores dum per sulcos ad sua olera derivant, pedis oppositu, vel aquam sistentes, vel alio deflectentes. * Vitruvius lib. 10, cap. 10, de rotis molendinorum verba faciens, ait illarum pennas fluminis impetu versari, *sine operarum calcatura*, ex quo colligitur rotas aliquas fieri solitas, quæ pedum calcatura ad hauriendam aquam, aut ad alios usus versarentur; et hoc fortasse est quod hic dicitur, *rigabas pedes sicut hortum:* tales enim machinæ in hortis præsertim sunt opportunæ ad minuendum laborem olitorum, ut etiam tollenones. Philo 1 de confusione linguarum rem ita describit: *Qualis est aquaria machina quæ helix vocatur, in cujus medio gradus quidam sunt, quos rusticus quoties agros vult rigare scandit, ac mox necessario delabitur, et ne continue cadat proximum fulcrum utraque manu retinet, quo totum corpus sustentat. Interim pedes manuum, manus vero pedum funguntur officio; insistit enim manibus quarum est agere, operatur pedibus quorum est stare.*

11. *De cœlo exspectans pluvias.* Quæ si suis adsit temporibus, utilior et satis est arboribus. Heb. *de pluvia cœli bibit aquam.*

12. *Deus tuus semper invisit.* Quasi intentus ad benefaciendum illi temporibus opportunis.

14. *Temporaneam et serotinam.* Pluvia temporanea est quæ mature et tempestive mense octobri, jactis in terram seminibus, in Judæa depluit, et semina germinare facit. Serotina est quæ sero mense aprili aut majo depluit, frugesque et fructus ad maturitatem perducit. Significat ergo hæc phrasis, omnem pluviam tempestivam opportunam frugibus.

18. * Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, * Sup.
et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros 6, 6.
collocate.

19. Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris.

20. Scribes ea super postes et januas domus tuæ:

21. Ut multiplicentur dies tui et filiorum tuorum in terra quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis quamdiu cœlum imminet terræ.

22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei;

23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quæ majores et fortiores vobis sunt.

24. * Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. * Jos.
A deserto, et a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad 1, 3.
mare occidentale, erunt termini vestri.

25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem:

27. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis;

28. Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos quos ignoratis.

29. Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal;

---

18. *Suspendite ea pro signo.* Assidue ea vobis proponite. Vide dicta cap. 6, num. 8.

19. *Quando sederis in domo tua etc.* Ubique, omni tempore et loco.

21. *Quamdiu cœlum imminet terræ.* Proverbialis forma dicendi; significat *in æternum*. In heb. est, *juxta dies cœli super terram.*

22. *Viis ejus.* Mandatis ejus.

24. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Intellige intra terminos, illis a Deo assignatos: neque enim totam terram, vel quidquid ubivis terrarum vestigio premerent voluit Deus illorum possessioni adscribi, ut suo more rabbini somniant.

26. *Propono.* Optionem do.

29. *Pones benedictionem super montem Garizim, maledic-*

30. Qui sunt trans Jordanem post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi qui habitat in campestribus contra Calgalam quæ est juxta vallem tendentem et intrantem procul.

32. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis et possideatis illam.

32. Videte ergo ut impleatis ceremonias atque judicia quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

CAPUT XII.

Præcepit exterminari idololatriam, decimas ac primitias reddi, sacrificia certo loco exsolvi et comedi, sanguinemque vitari.

1. Hæc sunt præcepta atque judicia quæ facere debetis in terra quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris.

2. Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum.

* Sup. 7, 25. 2 Mac. 12, 40.

3. * Dissipate aras eorum, et confringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.

---

tionem super montem Hebal. Cum Israelitæ pervenissent in montem Hebal, sex tribus in eo consliterunt, aliæ sex in primo jugo montis Garizim. Interim sacerdotes inter utrumque jugum consistentes modo benedictiones in observatores legis, modo maledictiones et diras in eam violantes jacebant, populus vero ad singulas sive maledictiones sive benedictiones respondebat: *Amen.* Cum ergo benedictio pronuntiata fuerat, munus respondendi pertinebat ad eos qui erant in monte Garizim; cum maledictio, ad eos qui erant in jugo Hebal. Itaque *pones benedictionem et maledictionem*, idem est, ac benedicentes aut maledicentes, ut explicatum est. Vide infra cap. 27; et Josue cap. 8, a num. 30 usque ad finem.

30. *Juxta vallem tendentem et intrantem procul.* Juxta Aulon vallem in ingentem quamdam longitudinem protensam. Hæc vallis illa est quæ Genes. 12, 6, vocatur *convallis illustris.*

CAPUT XII. 2. *Gentes, quas.* Quarum terram et opes possessuri estis.

Subter omne lignum frondosum. In montibus, collibus, lucis, idololatræ suos colebant deos; horum ritus imitati sunt Judæi cum in idololatriam lapsi.

3. *Nomina eorum.* Ut ne me-

4. Non facietis ita Domino Deo vestro;

5. Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunetis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi et habitet in eo, venietis,

6. Et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras, decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et ovium.

7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri; ac lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum, vos et domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

8. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.

9. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem et possessionem quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

10. Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum; et absque ullo timore habitetis

11. In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit no-

---

moria quidem odolorum relinquatur, sed penitus aboleatur.

4. *Non facietis ita Domino Deo vestro.* Non imitabimini hos idololatras : legimus tamen sanctos viros nonnullos, ut Samuelem in excelsis immolasse, haud dubie peculiari Dei dispensatione.

5. *Ut ponat nomen suum ibi.* Tabernaculi vel templi locum intelligit.

6. *Primitias manuum vestrarum.* Primitias frugum quas manibus et labore vestro messuistis.

Vota. Oblationes ex voto.

Boum et ovium. Sub ovibus, ut alias frequenter, capras intellige: vox enim hebræa ad utramque speciem communis est.

7. *Comedetis.* De hostiis pacificis, sive de oblationibus, quibus licitum est vesci laicis: nam hostiis pro peccato, votivis, et holocaustis vesci non poterant laici, ut patet Num. 18, 9 et 15. Vel etiam hic sermo est de Israelitarum more, qui solebant in iis solemnitatibus quibus Jerosolymam vel ad locum tabernaculi conveniebant, ter scilicet in anno, agitare convivia et epulas in urbe in qua erat templum vel tabernaculum, et hoc erat comedere, lætari, aut epulari coram Domino.

In cunctis ad quæ miseritis manum. Quæ scilicet labore vestro vobis paraveritis, in his lætabimini, epulando ex iis coram Domino.

8. *Singuli quod sibi rectum videtur.* Non enim servabant Hebræi ceremonialia hæc præcepta in deserto.

11. *In loco etc.* Vel hæc conjugenda cum versiculo præcedenti, hoc modo : *habitabitis in loco etc.* et sensus erit: habitabitis secure in loco ubi erit tabernacu-

men ejus in eo: illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum, et quidquid præcipuum est in muneribus quæ vovebitis Domino.

12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur; neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos.

13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris:

14. Sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcumque præcipio tibi.

15. Sin autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide, et comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis; sive immundum fuerit, hoc est, maculatum et debile; sive mundum, hoc est, integrum et sine macula, quod offerri licet, sicut capream et cervum, comedes,

---

lum, quando ter in anno ad illud omnis Israel, juxta præceptum meum, confluet; non metuentes ne hostes fines vestros invadant. Vel, *in loco etc.* initium est periodi, et sensus erit quem exhibet textus hebræus, chald. et LXX, apud quos hæc sententia ita effertur: *Erit locus quem elegerit Dominus Deus vester, ut habitare faciat nomen suum ibi, illuc afferetis omnia etc.*

Primitias manuum vestrarum. Aquila, Symmachus, Theodotion, *spontaneas oblationes* interpretantur.

12. *Coram Domino.* Vel coram tabernaculo aut templo; vel in urbe in qua erit tabernaculum aut templum.

Atque Levites. Invitans ad epulas tuas Levitas, ut etiam pupillos, viduas, advenas, ut dicitur infra cap. 16, num. 11 et 14.

Neque enim habet aliam partem etc. Quia scilicet agros et vineas non sunt sortiti in partitione terræ.

13. *Holocausta tua.* Sub holocaustis intelligit etiam cætera genera hostiarum.

In omni loco quem videris. Ubicumque visum fuerit; nullo habito loci delectu, sitne is in quo Deus offerri sacrificia vult, an non.

15. *Sin autem comedere volueris etc.* Non immolando Deo, sed comestione communi et profana.

Comede juxta benedictionem Domini Dei tui. Comede de illis quæ benefice et largiter dederit tibi Deus. Vel juxta opes et facultates tuas.

Sive immundum fuerit, hoc est, maculatum. Maculatum, id est, mancum: opponitur enim integro, verbi gratia, si fuerit cæcum, claudum, mutilum; hæ enim sunt maculæ victimarum, ut patet Levit. 22, 22.

Sicut capream et cervum, comedes. Sensus est: comedes quæ Domino immolari possunt, v. g.

16. Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti et vini et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quæ voveris, et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum;

18. Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus et filia tua, et servus et famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis: et lætaberis et reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis ad quæ extenderis manum tuam.

19. Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra.

---

oves et boves, quamvis sint mancæ, quæ propter hunc defectum non sunt apta sacrificio, sicut capream et cervum potes comedere, quæ tamen animalia sacrificare non licet.

16. *Super terram quasi aquam effundes*. Quasi rem profanam, cujusmodi est aqua, et nullo ritu sacro.

17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti etc.* D. Hieron. in Ezech. cap. 45, cum verba fecisset de decimis, quæ Levitis dabantur, et de decimarum decimis quas δευτεροκάτας appellari dicit, de decimis de quibus hic est sermo ita scribit: *Erant quoque et aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eas cum iret ad templum in urbe Jerusalem, et in vestibulo templi, et sacerdotes ac Levitas invitarent ad convivia.*

Primogenita armentorum, et pecorum. Non mascula quæ integra sacerdotibus cedebant, ut patet Num. 18, 17; sed generis feminei quæ licet Deo peculiari consecratione non dedicarentur, absumebantur tamen more pacificorum illa immolando et in sacris illis epulis Jerosolymis consumendo, ut colligi potest cap. 14 infra, num. 23; ex quo fiebat, ut etiam horum primogenitorum portio aliqua ad sacerdotes perveniret.

Et omnia quæ voveris. Ut, v. g. si quis vovisset vitulum in harum epularum usum; nam si absolute Deo vovisset, sacerdotibus cedebant, ut patet ex Num. 18, 14, et ibi notavi.

Et primitias manuum tuarum. Fortasse accipi potest de primitiis fructuum qui ex nova arbore, quarto a plantatione anno colligebantur; qua de re mentio fit Levit. 19, 24, quos fructus Deo fuisse consecrandos, et in his solemnibus epulis consumendos tradit Joseph. lib. 4 antiq. c. 8. Dicuntur primitiæ manuum, id est, primitiæ laboris manuum, qui labor impenditur in serendis arboribus etc.

18. *In cunctus ad quæ extenderis manum*. In omnibus bonis et facultatibus tuis.

* Gen. 28, 14. Exod. 34, 24. Infra 19, 18.

20. * Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua;

21. Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus quæ habueris, sicut præcepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.

22. Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis: et mundus et immundus in commune vescentur.

23. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est; et idcirco non debes animam comedere cum carnibus,

24. Sed super terram fundes quasi aquam,

25. Ut bene sit tibi et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini.

26. Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino, tolles, et venies ad locum quem elegerit Dominus;

---

20. *Dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos etc.* Sermo est de dilatatione Abrahæ promissa, Genes. 15, 18, usque ad flumen Euphraten, quæ vitio Israelitarum facta non est, nisi imperfecte sub Davide et Salomone.

21. *Locus autem, quem elegerit Dominus etc.* Non quod ii, qui Jerosolymis v. g. habitabant, solerent, ut aliqui putant, oves, boves, et capras, quas domi erant comesturi, ad sacerdotes jugulandos adducere, etiam si ad hoc non tenerentur; ideoque absentibus indulgeatur, ut propter distantiam locorum hoc non servent: sed quod in publico festo et epulo, ea animalia quæ vel profana mactatione poterant occidere, vel sacra per sacerdotes illa immolando, frequenter sacra occiderent; ideo monet, ne religioni ducerent, qui longe a templo dissiti erant si secus facerent, et communi profanaque jugulatione conficerent.

22. *Sicut comeditur etc.* Poterat enim esse major ratio dubitandi, an carnibus animalium quæ Deo immolari poterant licitum esset vesci, quam an caprea et cervo. *Mundus et immundus in commune vescentur.* Intellige de immundo legali immunditia minore; hæc enim contagione non communicabatur, non autem de majore immunditia, cujusmodi immundi erant, qui cadaver tetigissent, seminiflui, mentruatæ, leprosi, puerperæ: quamvis enim hi has carnes comedere possent, non tamen in communi, ne alios inficerent, nisi omnes pari immunditia immundi essent, ut fiebat cum tota una familia erat ob cadaver hominis polluta.

23. *Sanguis enim eorum pro anima est.* Vide dicta Gen. 9, 4.

26. *Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino.* Quæ se-

27. Et offeres oblationes tuas carnem et sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris.

28. Observa et audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui.

29. * Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum; * Inf. 19, 1.

30. Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, et requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam.

31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas aversatur Dominus fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni.

32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

CAPUT XIII.

Pseudopropheta a Deo avertens occidi debet: quamtumvis propinquus sit vel amicus, imo et urbs vastari funditus, cujus habitatores id facere conati fuerint.

1. Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum,

2. Et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis;

3. Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra.

---

mel Deo ex præcepto vel obligatione voti consecraveris, ac seposueris in sacras epulas consumenda, cujusmodi erant ea de quibus dictum est num. 17.

31. *Offerentes filios et filias.* Vide Lev. cap. 18, num. 21.

32. *Nec addas quidquam, nec minuas.* Vide dicta cap. 4, n. 2.

CAPUT XIII. 1. *Prophetes.* Falsus propheta qui se pro vero venditat. Vel propheta verus, si subversus ipse, alios subvertere conaretur.

2. *Quos ignoras.* Quos hactenus non coluisti, nec pro diis habuisti.

3. *Tentat.* Tentari permittit.

Ut palam fiat. Heb. *ad sciendum*, quod verti potest, *ut sciat*, vel *ut sciatur;* ut sciat, quia Deus

4. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus; ipsi servietis, et ipsi adhærebitis.

5. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis; ut errare te faceret de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: et auferes malum de medio tui.

6. Si tidi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui,

7. Cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ;

8. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut induleearis et occultes eum,

* Inf. 17, 7. 9. Sed statim interficies: * sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum.

10. Lapidibus obrutus necabitur; quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis:

11. Ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile.

12. Si audieris in una urbium tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

13. Egressi sunt filii belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, et serviamus diis alienis quos ignoratis;

---

ad modum tentantis et explorantis seu scire volentis se gerit.

5. *De via.* De ritu vivendi et serviendi Deo.

6. *Frater tuus filius matris tuæ.* Additur hoc ad distinctionem cujuslibet judæi, qui fratres vocabantur; quia ex eodem populo et communi patriarcharum stirpe oriundi.

9. *Statim interficies.* Non privata auctoritate, sed crimen ad judices deferendo.

Sit primum manus tua super eum. Lapidationem exordiens, ut præcipitur infra cap. 17, 7.

13. *Filii belial.* Homines impii, facinorosi, diabolici, quasi viri absque jugo, a בלי *beli,* et עול *gnol, absque jugo;* vel, quod idem est, *exleges, prævaricatores, summe impii.* Sumitur nomen belial aliquando in Scriptura pro diabolo. Sic 3 Reg. 21, 13, vertit D. Hier. ubi pro filiis belial, dixit *filiis diaboli.*

14. Quære sollicite et diligenter, rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam,

15. Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora;

16. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus; non ædificabitur amplius,

17. Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis,

18. Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

CAPUT XIV.

Gentium ritus super mortuo fugiendus: animalium mundorum et immundorum discretio: et decimas esse solvendas.

1. Filii estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo;

2. * Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, et te elegit ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram. * Sup. 7, 6. Inf. 26, 18.

3. * Ne comedatis quæ immunda sunt. * Lev. 11, 4.

4. Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, et ovem, et capram,

---

14. *Abominationem hanc.* Criminis idololatriæ.

15. *Statim percuties.* Senioribus scilicet, et in primis supremo pontifice sententiam anathematis ferente: ad hanc enim pertinet præcedens illa veritatis inquisitio.

16. *Sit tumulus sempiternus.* Nunquam ea civitas reædificetur.

17. *Non adhærebit etc.* Nihil tibi reservabis.

Caput XIV. 1. *Filii estote Domini Dei vestri.* Idem his verbis significatur quod alibi, cum dicitur: *sancti estote, quia ego sanctus sum.* Lev. 11. 44, et alibi.

Non vos incidetis. Vide dicta de hoc Lev. 19, 28.

Calvitium super mortuo. Vide dicta Levitici 19, 27. Hic in hebræo est, *non ponetis calvitium inter oculos vestros ad mortuum,* anteriorem scilicet capitis partem pilis nudando, tondendo, aut radendo.

5. Cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.

6. Omne animal quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis.

7. De his autem quæ ruminant, et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.

8. Sus quoque, quoniam dividit ungulam, et non ruminat, immunda erit; carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis.

9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas et squamas, comedite;

10. Quæ absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt.

11. Omnes aves mundas comedite.

12. Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, et gryphem, et haliæetum,

13. Ixion, et vulturem ac milvum juxta genus suum;

---

5. *Bubalum*. Hebræa יחמור *jachmur*. LXX βούβαλον. Lib. 3 Reg. cap. 4, 23, inter cibos regios Salomonis et veneratione apprehensos bubali numerantur, quod non videtur convenire bubalis italicis, quos vernacula lingua appellamus *bufali*. Plin. lib. 8, cap. 13, docet bubalos gignere Africam, vituli cervice quadam similitudine. Aristoteles bubalum cervo conjungit, quorum sanguinem negat spissari et concrescere. His consentit Hesychius, cui βούβαλος est δορκάδιον, *parva caprea*.

Tragelaphum. Hircocervum; animal corporis forma cervum, cornibus et barba hircum referens; de quo videri potest Plin. lib. 8, cap. 33.

Pypargum. Capreæ genus, damis simile, de quo Plinius lib. 8, cap. 53.

Orygem. Sic etiam LXX. Alii *bovem sylvestrem*, sive *urum* verterunt. Orygem in caprarum sylvestrium genere reponit Plin. lib. 8, cap. 53. Aristot. lib. 2 de historia animalium, cap. 1, et Plin. lib. 11, cap. 46, bifulcum et unicorne hoc animal faciunt.

Camelopardalum. Animal est camelum et pardalim referens. Camelum capite et oblongo aliquantulum collo; pardalim seu pantheram macularum toto corpore varietate. Vide Plin. lib. 8, cap. 18.

6. *Omne animal quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis*. Cujusmodi sunt decem species duobus versibus præcedentibus commemoratæ; sed non dubium id etiam pluribus aliis competere.

7. *Camelum, leporem, chœrogryllum etc*. Vide Levit. cap. 11, n. 4 et deinceps.

13. *Ixion*. Est avis ex vulturum genere.

14. Et omne corvini generis,
15. Et struthionem, ac noctuam, et larum, atque accipitrem juxta genus suum;
16. Herodium ac cygnum, et ibin,
17. Ac mergulum, porphyrionem, et nycticoracem,
18. Onocrotalum, et charadrium, singula in genere suo; upupam quoque et vespertilionem.
19. Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur.
20. Omne quod mundum est, comedite.
21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. * Non coques hædum in lacte matris suæ. *Exod. 23, 19. 34, 26.
22. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos,
23. Et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.
24. Cum autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,
25. Vendes omnia, et in pretium rediges; portabisque manu tua, et proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus:

---

21. *Quidquid autem morticinum est.* De mundis scilicet animalibus; nam de immundis nihil erat opus præcipere. Vide Levit. 11, 39 et sequentibus. Porro sub morticinis intellige etiam ea quæ casu aliquo, vel lapsu, vel suffocatione in aquis, aut aliter necabantur.

Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat. Gentili in gentilissimo manenti, qui legibus judaicis de cibis mundis aut immundis non tenetur.

Quia tu populus sanctus etc. Quem nihil indecens facere convenit: hoc autem ex legis præscripto indecens et illicitum est.

Non coques hædum in lacte etc. Vide de hoc Exod. 23, 19. * Quod de hædo dicitur ad agnos etiam et vitulos pertinere videtur propter rationis paritatem.

22. *Decimam partem etc.* Vide dicta supra cap. 12, num. 17.

23. *Primogenita.* Vide dicta eodem cap. 12, n. 17.

24. *Tibique benedixerit.* Annuis proventibus locupletaverit, ut proinde cumulus bonorum in sanctam civitatem deferendus excrescat.

26. Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et omne quod desiderat anima tua; et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua;

27. Et Levites qui intra portas tuas est, cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore; et repones intra januas tuas.

29. Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

CAPUT XV.

Lex remissionis septimi anni in quos exerceatur: de servo hebræo qui noluerit manumitti: de primogenitis Domino sanctificandis et comedendis.

1. Septimo anno facies remissionem,

2. Quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.

---

26. *Sive ex armentis.* Hoc est, e bobus; ex his enim solis armenta conflabantur eorum quæ immolari et edi possent: et in hebræo diserte bos exprimitur.

Sive ex ovibus. Sub quibus et capras intellige.

Siceram. De sicera dictum est Levit. 10, 9.

27. *Levites qui intra portas tuas est.* Qui in urbe tua habitat.

28. *Anno tertio.* LXX, *μετὰ τρία ετη*, post tres annos, ultimo anno e tribus.

Aliam decimam etc. Hæc decima ad templi locum deferenda non erat, sed in Levitas et pauperes loci distribuenda.

29. *Et comedent et saturabuntur.* Hujus decimæ nullo modo erat particeps is qui eas e bonis suis dabat, sicut erat particeps earum quæ deferebantur ad epulas quibus intererat etiam deferens.

Caput XV. 2. *Ab amico vel proximo ac fratre suo.* Sermo est de Judæo qui genere frater est, ideoque amicus et proximus; proselyti enim anno septimo non liberabantur suis debitis, sed tantum Judæi. Porro debitum intellige ex mutuo aut vendito, non autem ex commodato: quia hoc proprie non est debitum, sed alienum, sive res ad alium spectans.

3. A peregrino et advena exiges: civem et propinquum repetendi non habebis potestatem.

4. Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra quam traditurus est tibi in possessionem.

5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ jussit, et quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.

6. Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur.

7. Si unus de fratribus tuis qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum,

8. Sed aperies eam pauperi, * et dabis mutuum, quo eum in- * Matt.
digere perspexeris. 5, 42.
Luc. 6,
9. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde 34.
tuo: Appropinquat septimus annus remissionis, et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.

10. Sed dabis ei; nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris.

11. * Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco * Matt.
ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, 26, 11.
qui tecum versatur in terra.

---

3. *A peregrino et advena exiges.* Etiamsi proselytus sit, poteris exigere.

Civem et propinquum. Gente judæum.

4. *Mendicus non erit inter vos.* Non est promissio aut benedictio, sed præceptum; ne quem patiantur mendicum, sed illi aut liberaliter largiendo, aut saltem mutuo dando, ferant opem. Erant quidem aliqui pauperes qui privatim egebant, (ut patet hoc cap. num. 11) mendici qui publice stipem colligerent nulli, ut etiamnum fit in bene ordinatis rebuspublicis.

5. *Ego hodie præcipio tibi.* De mutuo dando, et obligatione remittenda anno septimo.

6. *Fœnerabis.* Mutuum dabis, quia abundabis.

9. *Appropinquat septimus annus.* Cum remissio debiti facienda est.

Commodare. Mutuum dare.

Fiat tibi in peccatum. Irascatur tibi Dominus et puniat te; peccatum ponitur pro pœna peccati.

10. *Nec ages quippiam callide.* Non dando mutuum metu adventantis septimi anni.

* Exod. 21, 2. Jer. 34, 14. 12. * Cum tibi venditus fuerit frater tuus hebræus, aut hebræa, et sex annis servierit tibi; in septimo anno dimittes eum liberum:

13. Et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris;

14. Sed dabis viaticum de gregibus, et de area, et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.

15. Memento quod et ipse servieris in terra Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc præcipio tibi.

16. Sin autem dixerit: Nolo egredi; eo quod diligat te et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat;

17. Assumes subulam, et perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, et serviet tibi usque in æternum. Ancillæ quoque similiter facies.

18. Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos; quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.

19. De primogenitis, quæ nascuntur in armentis et in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium.

---

12. *In septimo anno dimittes eum liberum.* Vide dicta Exod. 21, 2.

16. *Sin autem dixerit: Nolo egredi etc.* Vide dicta eodem cap. 21, num. 21.

17. *Ancillæ quoque similiter facies.* Refert hoc ad viaticum, non ad auris perforationem, quæ in ancillis locum non habuit, vide Exod. 21, 7.

18. *Non avertas ab eis oculos tuos.* Non ages dure aut inhumaniter.

Quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi. Servivit tibi sex annos, non minus quam mercenarius cujus operam si conduxisses, mercedem numerare debuisses. Æquum ergo est, ut mercedis loco anno septimo eum manumittas cum aliquo viatico. * Vel sensus est: mercenarii ad triennium operas suas locare consueverunt, ut colligitur ex cap. 16 Isaiæ, numero 14; ne ergo tibi grave sit servum anno septimo liberum cum donis dimittere, servivit enim tibi duplo longiori tempore quam mercenarii faciant. Favet textus hebræus in quo habemus: *Quia duplex merces mercenarii* scilicet illi debetur

19. *Non operaberis in primogenito bovis.* Sermo est de primogenitis feminei generis; nam loquitur de iis promogenitis de quibus laicus vesci poterat, ut patet ex num. 20 sequenti; primogenita autem mascula tota erant Dei, et

20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu et domus tua.

21. * Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæ- * Lev.
cum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur 22, 20 et 21.
Domino Deo tuo; Eccli.

22. Sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus 35, 14.
quam immundus similiter vescentur eis quasi caprea et cervo.

23. Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas; sed effundes in terram quasi aquam.

CAPUT XVI.

Tres præcipuæ anni solemnitates, azymorum, hebdomadarum, et tabernaculorum: de justis judicibus constituendis, et de cavendo ab occasionibus idololatriæ.

1. Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.

2. Immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.

3. Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus

---

sacerdotum, adeo ut nihil rediret ad eum qui offerebat, quemadmodum aliquid redibat cum feminei generis primogenita offerebantur ritu victimarum pacificarum.

22. *Sed intra portas etc.* Mactando illud, alia mactatione communi et profana.

Tam mundus quam immundus. Quod locum non haberet, si animal immolatum fuisset ritu pacificorum: ex hujusmodi enim sacrificio soli mundi participare poterant, Levit. 7, 20 et sequentibus, et alibi.

Caput XVI. 1. *Mensem novarum frugum.* Mensem nisan sive martium, quo in terra promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ florescere: illæ enim offerebantur in paschate, scilicet secundo die azymorum, ut patet Lev. 2, 14, et Levit. 23, 10.

2. *Phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus.* Phase, id est, victimas paschales, quæ in solemnitate paschali de ovibus et de bobus offerri jubentur, Num. 28, 19. Non enim potest intelligi hoc loco *phase* de victima illa quæ ad vesperum diei decimæ quartæ immolabatur, quia hæc non aliud, quam agnus aut hædus esse poterat, non autem vitulus aut bos.

Ut habitet nomen ejus ibi. Ut illic colatur Deus, et invocetur nomine suo.

3. *Non comedes in eo.* Cum eo, scilicet phase.

comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto; ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.

4. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usque mane.

5. Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;

6. Sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto;

7. Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua.

8. Sex diebus comedes azyma: et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.

9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris;

Panem fermentatum. Totis enim septem diebus paschalibus comedebant panes azymos cum agno et aliis sacrificiis et cibis etiam communibus.

Afflictionis panem. Vel quia monumentum afflictionis quam passi fuerant in Ægypto, vel maxime quia is panis insuavis, insipidis, et stomacho gravis est.

In pavore. Heb. *cum festinatione;* utrumque verum, et cum pavore et cum festinatione egressi sunt, adeo ut panes fermentatos parandi tempus non habuerint.

5. *Immolare phase*. Proprie dictum, hoc est, agnum paschalem. Hunc tantum in loco ubi esset tabernaculum aut templum immolare poterant.

6. *Quando egressus es*. Particula *quando* non significat præcise tempus vesperæ, vel occasus solis, sed totam noctem, ut sensus sit: immolabis occumbente sole ad noctis vesperam, qua nocte de Ægypto egressus es. Vel *egressus* nomine, intellige etiam apparatum ad egressum.

7. *Maneque consurgens*. Mane quod omnem paschalem solemnitatem exactam consequitur; nam proximo die a comestione agni longum iter capessere non poterant, quia erat dies festus.

8. *Sex diebus comedes azyma*. Septem erant dies azymorum, excluditur autem hic septimus dies, de quo statuerat mox aliquid peculiare subnectere.

Collecta est Domini. De festo collectæ seu cœtus, vide dicta Levit. 23, 36.

9. *Ab ea die qua falcem etc*. Dies oblationis manipuli designatur, qui in paschatis festum immediate sequebatur, eratque decimus sextus mensis nisan. De hoc festo vide Levit. 23, 10. Jubentur autem numerari septem hebdomadæ

10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui;

11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus et vidua qui morantur vobiscum, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi;

12. Et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto: custodiesque ac facies quæ præcepta sunt.

13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas;

14. Et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus, et filia, servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt.

15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia.

16. Tribus vicibus per annum aparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. * Non apparebit ante Dominum vacuus;

17. Sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

*Exod. 23, 15. 34, 20. Eccli. 35, 6.

18. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis quas

---

ad diem pentecostes constituendum.

10. *Festum hebdomadarum*. Pentecosten.

Oblationem spontaneam. Supplenda vox *secundum*, vel *juxta*, secundum spontaneas oblationes quas offerre volueris.

11. *Et epulaberis coram Domino*. De hisce epulis vide dicta cap. 12, num. 17.

12. *Custodiesque ac facies quæ præcepta sunt*. Sensus est: propterea custodies ac facies, libenti scilicet animo, ex beneficiorum acceptorum memoria quibus excitamur ad divinarum legum custodiam.

13. *Solemnitatem quoque tabernaculorum*. De qua Levit. 23, a num. 34 et deinceps.

18. *Magistros*. Bonfrerius in Exod. cap. 18, versu 25, putat fuisse superiores quosdam judices toti uni tribui præfectos, aut certe fuisse judicum paredros et assessores, quos judices consulerent, ut omnia juxta divinæ legis præ-

Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio,

*Exod. 19. Nec in alteram partem declinent. * Non accipies perso-
23, 8. nam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, et
Levit.
19, 15. mutant verba justorum.
Sup. 1, 20. Juste quod justum est persequeris: ut vivas et possideas
17. terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi.
Eccli.
20, 31. 21. Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare
Domini Dei tui;

22. Nec facies tibi neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

CAPUT XVII.

Hostia delegenda, idololatria punienda, in gravi difficultate ad summum sacerdotem ejusque concilium recurrendum, et quæ regi eligendo sint observanda.

1. Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem in quo est macula aut quippiam vitii: quia abominatio est Domino Deo tuo.

2. Cum reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius,

3. Ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli, quæ non præcepi;

4. Et hoc tibi fuerit nuntiatum; audiensque inquisieris dili-

---

scriptum fierent. Ipsum vide late de hoc disputantem.

In omnibus portis. In omnibus urbibus et prætoriis ubi jus dicitur.

19. *Non accipies personam.* Eamdem sententiam habes Exod. 23, 8.

21. *Non plantabis lucum etc.* Ne videaris imitari ritus gentilium qui in honore suorum deorum lucos sacrabant.

22. *Statuam.* Qualem gentiles suis diis vel idolis constituunt.

Caput XVII. 1. *In quo est macula.* Vide dicta Exod. 12, 5.

2. *Intra unam portarum.* Urbium.

Malum. Idololatriam, ut patet ex sequentibus.

* *Transgrediantur pactum.* Transgredi pactum dicuntur ii qui a religione deficiunt. Vide ad Heb. 10, 29.

3. *Militiam cœli.* Astra quæ sunt quasi milites Deo famulantes, et pro eo, cum opus est, depugnantes.

genter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel:
5. Educes virum ac mulierem qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur.
6. * In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. *Inf. 19, 15. Matt. 18, 16. 2 Cor. 13, 1.
7. Manus testium prima interficiet eum, * et manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui. * Sup. 13, 9.
8. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram (1); et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus;
9. * Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem *2 Par. 19, 8.

(1) Lepram et lepram. *In edit Sixt. legitur* lepram et non lepram.

---

5. *Ad portas civitatis.* Extra civitatem. Moris enim erat Hebræis extra urbem vel extra castra extremo supplicio afficiendum educere, sic et Christus et S. Stephanus extra urbem passi sunt.

6. *In ore duorum etc.* Eamdem sententiam habes infra cap. 19, 15. Chaldæus vertit: *Per dictum duorum, aut trium testium reus convictus occidatur.*

7. *Manus testium etc.* Testes primi, deinde reliquus populus in eum mittent lapides.

8. *Inter sanguinem et sanguinem.* Si homicidii causa ambigua sit, aliis ut involuntarium excusantibus, aliis ut voluntarium et destinatum puniendum esse pronuntiantibus. Vel sensus est: si controversia difficilis et ambigua existat inter cognationes (quod enim hic habemus inter sanguinem et sanguinem, D. Hier. 2 Par. 19, 10, vertit *inter cognationem et cognationem*), hoc est, inter eos qui sunt diversarum cognationum, cujusmodi oriri subinde poterant vel circa possessiones vel circa res alias, veniendum erit ad sacerdotes etc.

Causam et causam. Litem super quacumque re.

Lepram et lepram. Aliis asserentibus lepram esse ejus generis quæ a sacris arcet, aliis vero negantibus.

* *Verba variari.* In hebræo est, *verba contentionem*, id est, si eo usque procedat judicum minorum contentio, ut inter illos convenire non possit, tunc ad sacerdotes et pontificem recurrendum.

Ad locum quem elegerit Dominus. In Jerusalem ubi est templum in quo habitat Dominus; vel, ante templum constructum, ad tabernaculum.

9. *Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem.* Per judicem hic vel intellige pontificem, ut vult Vatablus et alii; vel ejus vicarium. Sane causæ spirituales quæ ad religionem, sacras ceremonias, et similia spectabant, ad pontificem pertinebant. Reliquæ vero civiles disceptabantur a sæculari judice, cujusmodi erant reges et magistratus inferiores. Verum, quia non suis legibus, sed divinis rempublicam gu-

qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.

10. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te

11. Juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.

12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel:

13. Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

14. Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes;

15. Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

---

bernabant, si quid vel in jure vel in facto obscuritatis esset, quæ alias exhauriri non posset, ipsis judicibus laicis atque adeo et ipsi regi recurrendum erat ad pontificem, ut difficultatis exortæ solutionem acciperet.

10. *Docuerint te juxta legem ejus*. Qui consulunt sacerdotem acquiescere debent, et existimare sacerdotum et pontificis judicium datum esse juxta legem Domini; nam, ut ait Malach. cap. 2, 7, *labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est*.

12. *Sacerdotis imperio*. Pontificis.

Qui eo tempore ministrat Domino. Qui eo tempore fungitur pontificatu.

Et decreto judicis. Ejusdem pontificis cujus est ista judicare, an scilicet juxta legem fiant, nec ne.

Morietur homo ille. Morte punietur.

Auferes malum. Perniciosum hominem.

14. *Et dixeris: Constituam super me regem etc*. Non id vult Deus, ut rex illis præficiatur, satis enim liquet id Deo magnopere displicuisse, cum petierunt sibi constitui regem, 1 Reg. 8, 5 et sequentibus; et cap. 10, 19; et cap. 12, 17 et sequentibus. Si tamen id pertinacius petant ac desiderent Israelitæ, indicat Deus se permissurum, uti et postea permissit, 1 Reg. 8, 22; certis tamen conditionibus quas omnino, si regem velint, servari vult ac præcipit.

15. *Quem Dominus Deus tuus elegerit*. Id servatum in Saulis electione, item Davidis; deinceps successione ad regnum ventum est: quamquam et Salomon e pluribus

16. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini.

17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera.

18. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus leviticæ tribus,

19. Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ

---

fratribus ad regnum Dei peculiari electione vocatus est.

Qui non sit frater tuus. Hebræus, de gente tua; ne, si alienigena sit, ad aliam religionem subditos pertrahat; utque suos amet et ab illis vicissim diligatur. * Intellige hoc de rege electo, non de eo quem induxit necessitas, cui parendum.

16. *Non multiplicabit sibi equos.* Non vetantur equi aut eorum usus, sed nimia eorum copia; tum ne in bello illis nimium confidat, quia *fallax equus ad salutem,* Psalm. 32, 17; tum ne erigatur in superbiam, magnoque fastu et pompa incedat. Alia ratio statim subditur.

Nec reducet populum in Ægyptum. Quasi illud regnum suæ ditioni adjuncturus, equitatui suo fidens. * In hebræo, *ne redire faciat populum in Ægyptum ad multos equos habendos,* et sensus esse videtur, ne cupiat populus equorum amore in Ægyptum reverti.

Cum Dominus præceperit vobis. Nusquam id præceptum disertis verbis in Scriptura reperitur, implicite tamen indicatur; quia cum injectus est sermo ab Israelitis de reditu in Ægyptum, graviter illis Dominus succensuit.

Per eamdem viam. Quacumque via quæ ducat in Ægyptum, et sit eadem, ratione termini.

17. *Non habebit uxores plurimas.* Aliquas uxores habere poterant ut David, plurimas ut Salomon; salvo officio non poterant.

Quæ alliciant animum ejus. Effeminent, flectant ad vitium; id etiam vetitum ne pravo exemplo rex populo noceret, neve illum nimiis impensis gravaret.

Neque argenti et auri immensa pondera. Ne rex ex cupiditate auri et opum subditos spoliet, et ne ex opibus in fastum et luxum diffluat.

18. *Describet sibi Deuteronomium etc.* Philo, lib. de creatione principis, ait debuisse regem manu propria describere. Alii censent potuisse uti aliena manu.

Deuteronomium. Quia hic liber est quoddam mosaicæ legis compendium.

Accipiens exemplar a sacerdotibus. Ut ex incorrupto exemplari describat.

19. *Legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Non quod con-

suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et ceremonias ejus quæ in lege præcepta sunt.

20. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus, super Israel.

CAPUT XVIII.

Sacerdotibus et Levitis pro possessione cedunt oblationes ac sacrificia: cavenda omnis superstitio, de vero propheta suscitando, et falso propheta interficiendo: quomodo verus a falso discernendus.

* Num. 18, 20 et 23. Sup. 10, 9. 1 Cor. 9, 13.

1. Non * habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini et oblationes ejus comedent,

2. Et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis.

3. Hoc erit judicium sacerdotum a populo et ab his qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum;

---

tinue, vel quotidie illud legere teneatur; sed frequenter legat, ut memor sit eorum quæ in libro illo scripta sunt.

Ut discat timere Dominum. Timor enim Dei maxime inculcatur in Deuteronomio, quod est perpetua, ardensque concio Mosis, incitans Hebræos ad cultum Dei et legis observationem.

20. *Nec elevetur cor ejus in superbiam.* Ne insolescat, nec tyrannicos mores induat.

Super fratres suos. Gentem suam.

Declinet in partem dexteram vel sinistram. A lege Dei et rationis præscripto quacumque ratione deflectat.

Ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus. Exemplis enim ex sacris literis discimus reges eos qui pietatem non coluerunt, aut regno excidisse, aut ad filios suos, aut certe ad longam nepotum seriem regnum non transmisisse.

Caput XVIII. 1. *Non habebunt sacerdotes etc.* Vide supra Num. 18, 20.

3. *Hoc erit judicium sacerdotum.* Hoc erit quod de jure debetur sacerdotibus.

Offerunt victimas. Intellige hoc de pacificis.

Sive ovem. Cum qua intellige et capram; vox enim hebræa utramque complectitur.

Armum ac ventriculum. Armum et pectusculum, ut habetur Exod. 29, 27; et Levit. 7, 31.

4. * Primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione. * Num. 18, 21.

5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, et ministret nomini Domini ipse et filii ejus, in sempiternum.

6. Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus;

7. Ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ qui stabunt eo tempore coram Domino.

8. Partem ciborum eamdem accipiet quam et cæteri: excepto eo quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur.

9. Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium;

10. * Nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, * Lev. 20, 27.

11. Nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos, * aut quærat a mortuis veritatem: * 1 Reg. 28, 7.

---

* 4. *Primitias.* Græci vocant ἀφαίρεμα, quæ vox oblationem seu potius id quod offertur et seligitur significat. Debebat hoc esse non minus parte sexagesima fructuum.

Et lanarum partem. Primitiarum titulo; nam lanarum detonsio inter annuos fructus et proventus censetur.

5. *Nomini Domini.* Ipsi Domino.

6. *Exierit Levites etc.* Si Levita devotione ductus, et cupiens extra vices suas reliquo vitæ tempore ministrare Deo in tabernaculo, ut fecit Samuel.

7. *Qui stabunt.* Per vices ministrabunt.

8. *Partem ciborum eamdem accipiet.* Intellige vel alimenta ex ærario templi, vel ex aliqua decimarum portione a pontifice seposita in Levitarum actu ministrantium alimenta.

Ex paterna ei successione. Habere enim poterant in urbibus suis domos, suburbana, armenta etc

10. *Ducens per ignem.* Exurens in honorem Moloch, de quo Levit. 18, 21.

Ariolos sciscitetur. Ab iis responsa et divinationes quærens.

Observet somnia. Superstitiose existimans illis futura significari, aut expectans a dæmone responsum per somnium, aut ex visis nocturnis, quæ nullam habent cum rebus agendis connexionem, consilium capiendo.

Auguria. Non solum ex avium garritu, volatu, pastu, sed alio quocumque modo omina rerum futurarum captando.

Maleficus. LXX, *veneficus.* Præstigiator, ut indicant hebræa.

11. *Incantator.* Qui susurris

12. Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo:

13. Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo.

14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt; tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.

* Joann. 1, 45. Act. 3, 22. 15. * PROPHETAM de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies,

* Exod. 20, 21. 16. Ut petisti a Domino Deo tuo * in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.

17. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti.

* Joann. 1, 45. 18. * Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.

---

quibusdam et mussitationibus mira quædam facit.

Pythones. Pythones proprie dicebantur ii qui dæmonem responsa dantem haberent in ventre, vel ipsi dæmones e ventre loquentes. LXX appellant ἐγγαστρίμυθος, *ventriloquos*.

Nec divinos. LXX τερατοσκόπον, *portentorum inspectorem;* alibi eamdem vocem hebraicam vertunt γνώστην *gnosten*, cognitorem scilicet rerum arcanarum, qui profitetur se talia nosse, earum causas et significationes.

Quærat a mortuis veritatem. Quod necromanticorum est, qualis mulier illa erat quæ Sauli Samuelem suscitavit, 1 Reg. 28, 11.

13. *Perfectus eris, et absque macala etc.* In divino cultu et religione, quam nullis superstitionibus gentilium maculabis, ut patet ex versu sequenti.

15. *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus*. Vel sensus est, Dominus subinde prophetam suscitabit tibi, qui te doceat; vel dabit tibi Messiam Christum eximium prophetam, doctorem, legislatorem etc.

Prophetam ..... sicut me. Dicitur *sicut me*, id est, 1°, Quoad ducatum populi et legislationem. 2°, Quia liberabit ex servitute Ægypti, diaboli scilicet et vitiorum. 3°, Quia nos in terram beatorum deducet, ut Moses populum in terram promissionis. 4°, Quia multa patrabit miracula, ut Moses in Ægypto. 5°, Quia sicut cum Mose loquebatur Deus ore ad os familiariter, ita et cum Christo, idque longe excellentius: erat enim Christus quoad naturam humanam Verbo Dei, Deoque intime unitus.

16. *Quando concio congregata est*. Quo die totus populus ad accipiendam a Deo legem ad montis Sinai radices convenit, Exod. 20, 21.

18. *Ponam verba mea in ore ejus*. Hoc et prophetis convenit et etiam Christo qui de se ipso dicebat, Joann. 14, 10: *Verba quæ*

19. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam.

20. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.

21. Quod si tacita cogitatione responderis: Quo modo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus?

22. Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: et idcirco non timebis eum.

CAPUT XIX.

Separandæ sex urbes refugii, et qui ad eas tute confugient, et qui non: de veris falsisque testibus: et de terminis non transferendis.

1. Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus et in ædibus;

2. * Tres civitates separabis tibi in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, * Num. 35, 11. Jos. 20, 2.

3. Sternens diligenter viam; et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides: ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit evadere.

4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est: Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur,

---

ego loquor vobis, a me ipso non loquor.

20. *Ex nomine alienorum deorum.* Revelatione aut responso a dæmonibus accepto.

21. *Responderis.* Objeceris.

22. *Et non evenerit.* Quæ enim Deo inspirante prædicuntur a prophetis, ea semper eveniunt: neque enim Deus mentitur, aut mentiri potest.

Non timebis eum. Nec minas aut prædictiones illius. LXX *non abstinebitis ab eo*, manus scilicet ultrices, sed ut par est, curabitis ut pœnas debitas luat.

Caput XIX. 2. *Tres civitates separabis.* Sermo est de civitatibus refugii quæ transito Jordane constituendæ restabant; tres enim jam Moses ipse constituerat.

3. *Sternens diligenter viam.* Ne impedita sit, et fugam retardet ad asylum confugientium.

4. *Percusserit proximum suum*

5. Sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit; hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet:

6. Ne forsitan proximus ejus cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur et apprehendat eum si longior via fuerit, et percutiat animam ejus qui non est reus mortis: quia nullum contra eum qui occisus est odium prius habuisse monstratur.

7. Idcirco præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas.

* Gen. 28, 14. Exod. 34, 24. Sup. 12, 20.

8. * Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram quam pollicitus est,

9. (Si tamen custodieris mandata ejus, et feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore) addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis:

10. Ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus.

* Num. 35, 20.

11. * Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus;

---

nesciens. Soli enim involuntario homicidæ et inculpato concedebant jus asyli. Vide Num. 35, 11.

5. *Simpliciter*. Absque dolo vel fraude.

6. *Proximus ejus*. Cognatus occisi.

Percutiat animam ejus. Percutiat eum, occidat.

Nullum contra eum qui occisus est odium prius habuisse monstratur. Ex quo capitur conjectura, non dolo, sed causa occisum.

8. *Dilataverit etc*. Vide dicta supra cap. 12, 20.

Sicut juravit patribus tuis. Abrahæ facta est ista promissio, Gen. 15, 18, terminis etiam undequaque assignatis; eadem deinde confirmata Isaac, Gen. 26, 3; et Jacob, Gen. 28, 13, et 35, 12.

9. *Si tamen custodieris etc*. Ex quo patet promissionem hanc non absolute, sed cum conditione quæ hic exprimitur factam.

Addes tibi tres alias civitates etc. Si dilatatio illa, de qua num. 8, futura erat extra Chananæam, etiam civitates hæ tres addendæ, extra Chananæam eligendæ erant.

10. *Ut non effundatur sanguis etc*. Quod factu proclive esset, si asyla longe abessent.

Ne sis sanguinis reus. Ob hanc legem neglectam.

12. Mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi cujus sanguis effusus est, et morietur.

13. Non misereberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.

14. Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis possidendam.

15. * Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. * Sup. 17, 6. Matt. 18, 16. 2 Cor. 13, 1.

16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis;

17. Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis.

18. * Cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium; * Dan. 13, 62.

19. Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui:

20. Ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere.

21. Non misereberis ejus; * sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, exiges. * Exod. 21, 23 et 24. Lev. 24, 20. Matt. 5, 38.

---

12. *Seniores civitatis illius.* Non civitatis refugii, sed civitatis occisi.

13. *Auferes innoxium sanguinem.* Innoxii sanguinis culpam et reatum tolles ab Israel, qui reatus tamdiu adhæret populo israelitico, quamdiu impunita ea cædes relinquitur.

14. *Terminos proximi tui.* Terminos agrorum, vicinum submovendo et quæ illius sunt occupando.

15. *Stabit omne verbum.* Confirmabitur omnis accusatio, omne dictum, omnis res.

16. *Prævaricationis.* Culpæ contra legem admissæ.

17. *Ambo, quorum causa est.* Tam accusator quam reus, inter quos controversia est.

Ante Dominum. In loco ubi erit tabernaculum aut templum.

In conspectu sacerdotum et judicum. Causæ cognitione ad sacerdotes rei provocatione devoluta, vel a judicibus laicis juxta præscriptum hujus legis remissa.

19. *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit.* Lege talionis.

Auferes malum. Calumniatorem vel calumniam.

21. *Animam pro anima.* Vitam pro vita etc.

Qui tempore pugnæ domum sint remittendi: jura belli quomodo servanda: quæ arbores cædendæ ad machinas instituendas, quæ relinquendæ.

1. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti.

2. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum:

3. Audi, Israel; vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos:

4. Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.

5. Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu, pro-
* 1 Mac. clamabunt: * Quis est homo qui ædificavit domum novam, et
3, 56. non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne
forte moriatur in bello, et alius dedicet eam.

6. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio.

7. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam?

Caput XX. 5. *Et non dedicavit eam.* Et nondum eam inhabitavit; vox hebræa significat *dedicare, initiare,* eademque in templi altarisque dedicatione usurpatur, et in genere quotiescumque cum solemni aliquo ritu vel convivio rei cujuspiam usus inchoatur.

6. *Necdum fecit eam esse communem.* In heb. *necdum profanavit eam.* Commune Hebræis idem significat quod immundum aut pollutum. Porro vitis et alia quævis arbor ante annum quintum censebatur quodammodo sacra; neque enim tribus annis primis licebat ejus fructus attingere, donec anni quarti fructus Domino fuissent consecrati, ut habetur Levit. 19, 24; quo facto, anno tandem quinto incipiebat fieri communis, et per communem usum quodammodo a sacro ad profanum usum transire. Simplicius dici potest, hic *commune* illud appellari, quod cum prius esset intactum, jam usu et tactu quodammodo profanatur: Talis vinea de qua in suos usus dominus nondum fructus decerpsit; est enim impolluta, et, ut sic loquar, quodam sensu quasi virgo.

7. *Et non accepit eam.* Necdum nuptias celebravit, aut domum non deduxit, aut eam adhuc habet virginem, nec eam attigit.

vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam.

8. His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum: * Quis est homo formidolosus, et corde pavido? vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. * Jud. 7. 3.

9. Cumque siluerint duces exercitus, et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.

10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.

11. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, et serviet tibi sub tributo.

12. Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

13. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii,

14. Absque mulieribus et infantibus, jumentis et cæteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.

15. Sic facies cunctis civitatibus quæ a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus quas in possessionem accepturus es.

16. De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere:

17. Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:

18. Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes quas

---

10. *Ad expugnandam civitatem*. Sermo est de civitatibus extra terram promissam.

Offeres ei primum pacem. Invitabis ad deditionem pacificam et incruentam. * Nimirum ut Terentius ait:

> Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.

13. *In ore gladii*. Vide dicta Exod. 17, 13.

14. *Absque mulieribus etc.* A mulierum enim et infantium cæde in bello temperandum est, quamquam aliqui sunt casus in quibus etiam hi possunt interfici. Sic factum Num. 31, 17. * *Puerum ætas excusat, feminam sexus*, ut ait Seneca lib. 3 de ira, cap. 24.

Jumentis et cæteris. Cur enim ista vastentur quæ nihil commerita sunt.

16. *Quæ dabuntur tibi*. Intra terræ promissæ terminos.

Nullum omnino permittes vivere. De hominibus tantum hoc intellige, non de animalibus et jumentis.

ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum.

19. Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.

20. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in cæteros apta usus, succide, et instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat.

CAPUT XXI.

Cautio super homicidio occulto: de muliere in bello capta: de filio odiosæ primogenito, filio contumace, et eo qui suspensus est in ligno.

1. Quando inventum fuerit, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus,

2. Egredientur majores natu et judices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum:

3. Et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum nec terram scidit vomere,

4. Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ

---

19. *Arbores de quibus vesci potest,* Arbores frugiferas. * Pythagoras apud Jamblicum præcipiebat ἥμερον φυτὸν, καὶ ἔγκαρπον μήτε βλάπτειν, μήτε φθείρειν, *stativam et fructiferam arborem nec lædere nec perdere.*

Quoniam lignum est etc. Quia tibi in bello nocere non potest.

Caput XXI. 2. *Egredientur majores natu et judices.* Præmissa tamen de auctore cædis inquisitione sedula. Majores vero natu et judices, de quibus hic sermo, erant magistratus viciniorum opidorum agro in quo cædes facta erat.

Metientur. Si constabat de locorum distantia, non erat necessario adhibenda dimensio.

3. *Et quam viciniorem cæteris esse perspexerint etc.* In hanc enim cædis præsumtio cadebat ratione vicinitatis.

Quæ non traxit jugum. Fortasse ad indicandum occisorem virum fuisse sine jugo legis, quales Scriptura vocat filios Belial. Vide dicta supra c. 13, 13. Vitula hæc cædenda homicidæ typum gerebat, in cujus locum, cum ille non reperiretur, mactabatur.

4. *Ad vallem asperam atque saxosam.* Heb. *ad vallem ithan.*

nunquam arata est, nec sementem recepit; et cædent in ea cervices vitulæ:

5. Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, judicetur.

6. Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam quæ in valle percussa est,

7. Et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt:

8. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis.

9. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus.

10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris,

---

quod tamen proprium non est, sed appellativum significans locum quemcumque depressum, et ut additur, inaratum et incultum. Locus hic asper et confragosus animi duritiem refert occisoris; cavitas vallis malitiæ profunditatem designare potest.

Cædent in ea cervices vitulæ. Nulla in hac censenda est fuisse ratio sacrificii.

5. *Accedentque sacerdotes.* Non ut judicent, cum reus inventus non sit, sed ut manus lavent super vitula, simul cum magistratu civitatis ac senioribus.

Et benedicant in nomine ejus. Vide dicta cap. 10, num. 8.

Omne negotium. Lis, controversia.

6. *Lavabuntque manus suas super vitulam.* Vitula interfecta in valle, cadaver hominis fortasse jacere potuit in agro; vel ergo cadaver deportatum ad vallem vitulæ, vel vitula ad locum cædis, ubi cadaver.

7. *Nec oculi viderunt.* Nescimus auctorem cædis; si sciremus, non pateremur inultum.

8. *Redemisti.* Educens de Ægypto.

Et ne reputes sanguinem etc. Ne populo imputes innocentis cædem, ab eoque pœnas repetas.

Auferetur ab eis. Senioribus populi.

Reatus sanguinis. Non erunt rei effusi sanguinis, non illis imputabitur peccatum, nec illius pœnam luent.

9. *Tu autem alienus eris.* Alloquitur Moses populum cui homicidium, si non expiaretur, imputabatur.

11. Et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem,

12. Introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues,

13. Et deponet vestem in qua capta est; sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense: et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.

14. Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam.

15. Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus,

16. Volueritque substantiam inter filios suos dividere; non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ;

* 1 Par. 5, 1. 17. Sed filium odiosæ agnoscet * primogenitum, dabitque ei

---

11. *Voluerisque habere uxorem.* Sermo est de ea quæ ad judaicam religionem transire parata est, alioqui Judæis vetitum erat cum gentilibus matrimonia jungere.

12. *Radet cæsariem etc.* Cur istæ usurparentur ceremoniæ, varii varia. Probabilius eas pertinere ad luctum et funebrem habitum, quod etiam satis patet ex num. 13, ubi illi indulgetur, ut per unum mensem patrem ac matrem suam fleat.

Radet cæsariem. Permittitur hoc gentili captivæ, ut gentis suæ more raso capite mortuos fleat; alioqui enim Hebræis id erat vetitum Deuteron. 14, 1.

Circumcidet ungues. Fortasse etiam hoc servabatur a gentilibus in mœroris argumentum; textus heb. habet *faciet ungues*, quod videtur significare, crescere sinet. At LXX et vulgata et Philo, *resectos ungues* significant.

13. *Deponet vestem.* In luctu vestis mutabatur. 2 Reg. 14, 2, dicitur: *Lugere te simula, et induere veste lugubri.*

Uno mense. Tamdiu enim mortuos lugere solebant, ut patet in funere Aaronis, Num. 20, 30; et Mosis, Deut. 34, 8.

14. *Non sederit animo tuo.* Non placuerit.

Quia humiliasti eam. Pudicitiam ejus deflorando. * Est hæc qualiscumque expletæ libidinis pœna, quod dominus belli jure factus, feminam cognitam nec vendere poterat, nec ad serviles operas adigere, sed aut ducere eam debebat, aut liberam dimittere.

* 16. *Substantiam inter filios suos dividere.* Jus ergo pater habebat assignandi cuique filiorum suas portiones donando sive testando, quæ valebant usque ad jubilæum. Ecclesiastici 33, 24, dicitur: *In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.*

de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita.

18. Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contemserit;

19. Apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii,

20. Dicentque ad eos: Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat et luxuriæ atque conviviis.

21. Lapidibus eum obruet populus civitatis: et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat.

22. Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo;

23. Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, * quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno: et nequaquam contaminabis terram tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. * Gal. 3, 13.

---

17. *Dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia.* Hoc enim jus duplicis in hæreditate portionis præ cæteris fratribus afferebat jus primogenituræ.

Principium liberorum. Vide similem dicendi formulam explicatam, Gen. 49, 3.

*18. *Filium contumacem.* Quia lex satis dura, et ut loqui solemus odiosa, strictam accipit interpretationem, ut scilicet non porrigatur ad filiam, nec ad puerilem ætatem, quod malitiæ non adeo sit capax, nec ad filios emancipatos.

Coercitus. Parentum monitionibus, reprehensionibus, castigationibus.

19. *Ad portam judicii.* Olim enim juxta portas civitatum prætoria constituebantur et judicia exercebantur, cujus rei passim exempla occurrunt in Scripturis.

22. *Appensus fuerit in patibulo.* Quod ambiguum est an intelligendum sit de affixione in cruce, an de suspensione per funem intercluso spiritu, ut modo passim fieri solet. Late hic Bonfrerius de hoc disputat.

23. *Quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno.* Homo suspensus, ob genus supplicii infame Deo quodammodo est execrabilis et maledictus, quia Dei etiam ipsius judicio summa infamia notatus. Et ipsa mors per suspendium, in dedecus quodammodo Dei et ignominiam cedit, quod homo ad Dei similitudinem factus, tanquam luce hac indignus, tam atroci turpique supplicio fuerit afficiendus.

Pietas in rem proximi exercenda: de veste alterius sexus, de invento nido, de circumdando tecto domus, de non commiscendis rebus diversi generis: de fimbriis, de signis virginitatis, de adulterio, de corrupta in urbe vel in agro, de uxore patris non ducenda.

* Exod. 23, 4. 1. Non * videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo:

2. Etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, et recipiat.

3. Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.

4. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.

5. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.

6. Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis;

7. Sed abire patieris, captos tenens filios: ut bene sit tibi, et longo vivas tempore.

8. Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio et in præceps ruente.

Caput XXII. 1. *Bovem fratris tui.* Sub bove intellige equum, mulum et alia animalia; par enim omnium est ratio.

Et præteribis. Negliges, quasi non videris.

2. *Etiamsi non est propinquus.* Imo vero etiamsi sit inimicus; ut diserte habetur Exod. 23, 4.

5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* Ratio est quia dedecet et contra dignitatem est virilis sexus, si vestem muliebrem assumat. Adde quod hæc vestitus mutatio multis nequitiis viam aperiret.

6. *Nidum avis inveneris etc.* Ratio hujus legis fuit, ut per eam inducerentur Judæi ad pietatem et misericordiam etiam in bestias exercendam, *quod facilius*, ait Tertulianus lib. 2 contra Marcion. 17, *in pecudibus et bestiis præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.*

7. *Ut bene sit tibi etc.* Provocans in te vicissim divinam benignitatem et misericordiam.

8. *Facies murum tecti per circuitum.* Tecta domorum apud Judæos fiebant plana, ut in ipsis ambulare et versari liceret. Jubet

9. Non seres vineam tuam altero semine: ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.

10. Non arabis in bove simul et asino.

11. Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est.

12. * Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. *Num. 15, 38.

13. Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam,

14. Quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit: Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem:

15. Tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis qui in porta sunt;

16. Et dicet pater: Filiam meam dedi huic uxorem; quam quia odit,

17. Imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem: et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis:

18. Apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum,

19. Condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ; quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel: habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ.

---

ergo, ut septo et peribolo claudatur ea area quæ in tecto est, ne quis lapsu de tecto devolvatur.

9. *Sanctificentur*. Est antiphrasis; polluantur, non tam legali contaminatione, quam physica, corrumpendo et perdendo utrumque, dum nimia densitate sibi mutuo officiunt.

10. *In bove simul et asino*. Ratio est, quia eorum vires sunt inæquales; itaque asinus associatus bovi plus æquo gravaretur; et quia totum onus in eum recumberet aratri, propter humilitatem corporis ipsius.

11. *Vestimento quod ex lana etc.* Vide Levit. 19, 19.

12. *Funiculos in fimbriis etc.* Vide dicta Num. 15, 38.

14. *Objiciens ei nomen pessimum*. Quod vitium sibi afferri sit passa.

Eam non inveni virginem. Cum tamen se pro tali venditasset.

17. *Signa virginitatis*. Linteum sanguine tinctum, quem ex primo congressu cum virgine ab illa profluere aiunt medici.

18. *Verberabunt illum*. De more Judæorum, scilicet inflictis quadraginta uno minus flagellorum ictibus. Vide infra c. 25, 3.

19. *Et non poterit dimittere*

20. Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas:

21. Ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur; quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui: et auferes malum de medio tui.

*Lev. 20, 10. 22. * Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera: et auferes malum de Israel.

23. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea:

24. Educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui: et auferes malum de medio tui.

25. Sin autem in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus:

26. Puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est.

27. Sola erat in agro: clamavit, et nullus affuit qui liberaret eam.

28. Si invenerit vir puellam virginem quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit:

*Exod. 22, 16. 29. * Dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta

---

eam. Si ipsa in conjugio perseverare voluerit, ut ait Philo.

22. *Si dormierit vir cum uxore alterius etc*. Vide Lev. 20, 10.

23. *Si puellam virginem desponderit vir*. De desponsata de futuro intelligenda est hæc lex, ut a præcedenti sit diversa; vel certe de præsenti, sed necdum cognita.

24. *Quia non clamavit etc*. Ex illo enim clamoris neglectu consensisse præsumitur.

Uxorem. Mox futuram.

26. *Puella nihil patietur etc*. Ex loci enim circumstantia præsumitur non consensisse, sed vim passam esse.

27. *Clamavit*. Præsumitur clamasse, vel certe a clamore cessasse, quod nullum auxilium speraret.

28. *Apprehendens*. Vim inferens, ut habent LXX. Est casus diversus ab illo qui habetur Exod. 22, 16: ibi enim agitur de concubitu non vi extorto, sed fraude, blanditiis, promissis matrimonii, impetrato.

Res ad judicium venerit. Delata a parente vel curatore, seu eo cujus interest.

siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.

30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus.

CAPUT XXIII.

De his qui ab ecclesia Dei arcendi sunt vel admittendi: Idumæus et Ægyptius non sunt abjiciendi: de pollutione nocturna, et de loco ad necessaria naturæ deputando: de servo fugitivo, de mercede prostibuli, fugienda usura erga fratres, de voto, de vinea et segete proximi.

1. Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro, ecclesiam Domini.

2. Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.

3. * Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum: * 2 Esd. 13, 1.

4. Quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via

---

29. *Quinquaginta siclos.* Ob injuriam in ipsum violenta filiæ defloratione admissam.

Et habebit eam uxorem. Philo lib. de specialibus legibus addit, a constupratore dotem puellæ constituendam, quod ex alio casu simili, Exod. 22, 16, fit verisimile.

30. *Uxorem patris sui.* Eamdem legem habes, Levit. 20, 11.

Caput XXIII. 1. *Non intrabit .... ecclesiam Domini.* Intrare ecclesiam, idem est quod in civium numerum censeri, et de populo israelitico reputari, perinde ac si ex duodecim patriarchis oriundus esset; atque adeo uti et cæteros cives munerum et dignitatum publicarum capacem fieri. Hac igitur lege sancitur ne quis eunuchus in israeliticum populum admittatur, quantumvis judaismum complecteretur.

2. *Mamzer, hoc est, de scorto natus.* LXX, *ex meretrice*, ἐκ της πορνης. Fortassis sermo est tantum de alienigenis mamzeribus; hos enim inter suos viles et contemtibiles propter pudendos natales, non vult admitti in ecclesiam, etiamsi religionem judaicam suscipiant, nisi post decimam generationem.

Usque ad decimam generationem. Inclusive. Undecimus ergo nepos ex mamzere, diuturnitate temporis abstersa macula, ingredi poterat.

3. *Ammonites et Moabites etc.* Hi nunquam in ecclesiam admittebantur: intellige, nisi tam præclara essent viri alicujus ammonitæ, vel moabitæ merita, ut contra rationem videretur eum a Dei populo repellere. Sic admissus Achior, Judith 14, 6.

* Num. 22, 5. quando egressi estis de Ægypto; et * quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi:

5. Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te.

6. Non facies cum eis pacem; nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.

7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.

8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini.

9. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.

10. Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra,

11. Et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua: et post solis occasum regredietur in castra.

12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ,

13. Gerens paxillum in balteo: cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies

14. Quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos); et sint castra

---

6. *Nec quæras eis bona etc.* Cum iis non communicabis quoad convictum et commercia temporalia.

7. *Frater tuus est.* Iisdem majoribus natus, Isaac scilicet et Abraham.

Advena fuisti in terra ejus. Et aliquo tempore ibi populus benigne habitus est.

8. *Tertia generatione.* A suscepta lege judaica.

9. *Custodies te ab omni re mala.* Ab omni flagitio et injustitia et peccato: militia enim magnam occasionem et licentiam prave agendi suppeditat.

10. *Egredietur extra castra.* Bonfrerius hoc intelligit de templo aut atrio, ita ut qui sacerdos, v. g. pollutus fuisset, extra hæc septa egredi deberet; qui vero intus non esset, pollutione prohibente, ingredi non posset.

11. *Lavetur aqua.* Non ea lustrali cujus compositio describitur Num. 19, sed aqua vivente, fluviali scilicet vel fontana.

12. *Habebis locum extra castra etc.* Id constitutum partim ob naturalem honestatem, partim ob sanitatem.

13. *Paxillum.* Breve aliquod instrumentum ad effodiendam terram.

Cumque sederis. Cum alvum dejeceris.

14. *Quo relevatus es.* Excrementa.

Deus tuus ambulat in me-

tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.

15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit.

16. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum.

17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.

18. Non offeres mercedem prostibuli nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.

19. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem;

20. Sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingrederis possidendam.

21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.

23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.

24. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum.

---

dio castrorum. Scilicet propter arcam.

15. *Non trades servum domino suo etc*. Si dominus mancipium suum injuste vexet, ne tradas donec ira resederit.

Non erit meretrix etc. Prohibentur meretrices quæ pretio vulgant corpora, et prostibula.

18. *Non offeres mercedem prostibuli etc*. Ut solebant ethnici, apud quos meretricius quæstus idolis consecrari consueverat.

Nec pretium canis. Admissuræ canis generosi, v. g. venatici, ex quo qui proles expetunt, dominum pretium dant: hoc pretium ut indecorum offerri prohibetur. Vel nomine canis, publica meretrix intelligitur, quæ cynica, ac prorsus canina impudentia corpus vulgat.

Quidquid illud est quod voveris. Quasi dicat: Non solum non offeres pecuniam illam, sed nec aliam quamlibet rem quam voveris, pretio illo comparabis.

20. *Sed alieno*. Deo concedente, qui omnium Dominus est, et illa cui voluerit dare potest.

Commodabis. Mutuo dabis.

21. *Non tardabis reddere*. Nisi forte voti executio certo cuidam tempori fuerit alligata; tunc enim in illud differri potest.

24. *Ingressus vineam etc*. Ea-

25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas*, et manu conteres: falce autem non metes.

CAPUT XXIV.

Libellus repudii permittitur: misericordia in debitores pauperes: non neganda merces: de judicio advenæ et pupilli: reliquiæ messis ac vindemiæ pauperibus relinquendæ.

* Matt. 5, 31. 19, 7. Marc. 10, 4.

1. Si * acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimettet eam de domo sua.

2. Cumque egressa alterum maritum duxerit,

3. Et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit:

4. Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.

5. Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ; sed

---

dem ratio videtur de aliis aliarum arborum fructibus.

Caput XXIV. 1. *Habuerit.* LXX, *cohabitaverit.* Chaldæus, *concubuerit.*

Propter aliquam fœditatem. Sive vitium sit corporis, sive animi quæ fœditas quædam moralis est.

Scribet libellum repudii. Quo citra peccatum, Deo ita dispensante, solvebatur matrimonium. Erat autem hic liber charta vel schedula quæpiam, quam maritus dabat uxori, eique potestatem faciebat abeundi quo vellet et nubendi cui vellet.

2. *Alterum maritum duxerit.* Quod soluto matrimonio priori, licite facere poterat.

4. *Quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Quia ex conjunctione cum secundo marito indecentia quædam existit, sine qua non possit ad priorem maritum redire: videretur enim primus maritus non ex animo in repudium consensisse, sed potius alteri eam, in temporariam separationem consentiendo, concedere voluisse, ut corpore uxoris suæ abuteretur. Itaque reditus hic ad primum virum damnatur, et abominabilis Domino dicitur. * Antequam tamen cum secundo consummatum esset matrimonium, recipere illam non erat vetitum.

Ne peccare facias terram tuam. Ne simili permissione et conniventia terra vestra peccatis polluatur.

5. *Vacabit absque culpa do-*

vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua.

6. Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam: quia animam suam opposuit tibi.

7. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui.

8. Observa diligenter ne incurras plagam lepræ; sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite.

9. * Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in * Num. 12, 10.
via cum egrederemini de Ægypto.

10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas;

11. Sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit:

12. * Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, * Exod. 22, 26.

---

mi suæ. Ut oportunus et tempestivus conjugii usus conjugibus concedatur, et amor inter eos magis firmari possit. Similis lex habetur supra cap. 20, 7.

6. *Inferiorem et superiorem molam*. Sensus est, non esse auferenda pignoris loco ea sine quibus homo vivere non potest, cujusmodi sunt tam inferior mola quam superior: alterutra enim sublata frumentum commoli non potest.

Quia animam suam opposuit tibi. Heb. et LXX, *quia animam suam dat in pignore*, id est, rem sine qua vitam tueri non potest.

7. *Sollicitans fratrem suum*. Ut videlicet frater, id est, proximus se ei subjiciat, eumque sequatur ad alienigenas quibus eum vendat; vel *sollicitans*, id est, vexans eum in servitutem rapiendo. In hebræo, chaldæo, et LXX, habetur: *Cum repertus fuerit vir furans animam*.

8. *Ne incurras plagam lepræ*. Quam Deus immittet, si sacerdotum imperiis proterve inobediens fueris; hoc enim supplicio solebat Deus rebellionem et protervia in sacerdotes vindicare: habes exemplum in Maria sorore Mosis, Num. 12, 10; et in Ozia rege, 2 Paral. 26, 19.

10. *Non ingredieris domum etc.* Ratio legis est, ne creditor quam rem velit pro libito accipiat in pignus, fratremque contristet; sed electio pignoris tota debitori permittatur.

12. *Non pernoctabit apud te pignus*. In hebræo, chaldeo, et LXX, *non dormies in pignore ejus*, seu *cum pignore;* quod intellige, si ejusmodi sit, ut illo ad dormiendum ac sese nocte tegendum pauper indigeat, ut si stragulum aut vestimentum sit. Voluit Dominus tam brevi concessione pignoris, avertere creditores, ne illa a debitoribus acciperent, quæ licet quotidie accepta, quotidie reddenda essent.

13. Sed statim reddes ei ante solis occasum: ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo.

* Lev. 19, 13. Tob. 4, 15.

14. * Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenæ qui tecum moratur in terra et intra portas tuas est;

15. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.

* 4 Reg. 14, 6. 2 Par. 25, 4. Ezech. 18, 20.

16. * Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.

17. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.

18. Memento quod servieris in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

19. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ.

21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos; sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ.

22. Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

---

13. *Et habeas justitiam.* Misericordiam, quæ aliquando in Scripturis justitia appellatur; quia justorum est propria, cum e contrario viscera impiorum sint crudelia, ut dicitur Prov. 12, 10.

15. *Et ex eo sustentat animam suam.* Pauperes enim operarii in dies vivunt, ipsi et ipsorum familiæ.

16. *Unusquisque pro peccato suo morietur.* Dei tamen jussu, qui vitæ et mortis est dominus, aliquando filii propter peccata parentum necati sunt, ut filii Achan, Josue 7, 24; et filii Saulis, 1 Reg. 31, 2.

17. *Non pervertes judicium advenæ et pupilli.* Hi enim injuriæ magis opportuni esse solent.

18. *Memento quod servieris in Ægypto etc.* Ut malis eruditus aliis compatiaris; et ut memor beneficii divini quo ex Ægypto eductus es, hac recordatione ad obediendum Domino exciteris.

19. *Quando messueris etc.* Jubetur hic, et Levit. 19, 9, ut spicilegium et racematio, ut etiam olivæ quæ post collectionem in arboribus reliquæ fuerint, relinquantur pauperibus. Josephus 4 antiq. 8, ait, etiam dedita opera aliquid pauperibus fuisse dimittendum.

Judices juste judicent: quod plagis reus cædendus: bovi trituranti os non alligandum: semen fratri suscitandum: pœna mulieris verenda apprehendentis: non committenda in pondere et mensura injustitia: Amalecitæ delendi.

1. Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices: quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis.

2. Sin autem eum qui peccavit dignum viderint plagis: prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus:

3. Ita dumtaxat, * ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. * 2 Cor. 11, 24.

4. * Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. * 1 Cor. 9, 9. 1 Tim. 5, 18.

5. * Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui; * Matt. 22, 24. Marc. 12, 19. Luc. 20, 28.

6. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.

Caput XXV. * 2. *Prosternent.* LXX καθιεῖς αὐτὸν, *inclinabis eum,* scilicet ad humilem columnam.

3. *Ut quadragenarium numerum non excedant.* Ita D. Paulus, *quinquies,* inquit, *quadragenas una minus accepi,* 2 Cor. 11, 24. Judæi, ne quadragenarium numerum forte excederent, etiam intra illum se continebant 39 plagis tantum inflictis.

4. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges.* Bobus olim utebantur ad trituram, ut patet ex illo Osee 10, 11: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Vetat ergo ligari os bovi trituranti, quia par est, ut animalia laborantia comedant. Hoc loco utitur Paulus, 1 Cor. 9, 9, ad probandum prædicatores Evangelii ex sua prædicatione vivere posse; quamvis enim ad literam de bobus hæc lex intelligatur, primaria tamen Dei intentio in mysticum sensum ferebatur, quem explicat S. Paulus loco citato.

5. *Quando habitaverint fratres simul.* Id est, quando ejusdem tribus et familiæ fratres fuerint, qui in eodem loco habitare solent, videlicet ubi familiæ hæreditas; sive hi utrumque parentem eumdem haberent, sive alterum dumtaxat, sive aliter ejusdem familiæ fratres dici potuerint.

Suscitabit semen. Prolem quæ fratris defuncti nomen et stirpem propaget.

6. *Nomine illius.* Fratris defuncti. Heb. est, *primogenitus stabit nomine fratris sui.* Nomine, id est, loco fratris sui. Sic Booz filium ex Ruth susceptum non appellavit Mahalon, quo no-

7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque: * Non vult frater viri mei suscitare nomen (1) fratris sui in Israel, nec me in conjugem sumere.

* Ruth 4, 5.

8. Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere:

9. Accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, et dicet: Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui.

10. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati.

11. Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus:

12. Abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia.

13. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus:

14. Nec erit in domo tua modius major et minor:

15. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi:

16. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.

17. * Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto;

* Exod. 17, 8.

(1) Nomen. *In edit. Sixt. legitur* semen.

---

mine prior Ruth maritus vocabatur, sed Obed. Ratio vero totius hujus legis fuit, ne familiarum israeliticarum numerus minueretur, nec hæreditates tribuum et familiarum confunderentur, quod accidisset, si viduæ alienis viris nupsissent; bona enim sua in exteras familias transtulissent.

7. *Ad portam civitatis.* Ubi judicia exercebantur.

9. *Tollet calceamentum de pede ejus.* Hæc ceremonia, ut etiam consputatio, ad ignominiam inurendam pertinebat. Aliqui censent hanc calcei depositionem juris sui spoliationem aut cessionem significare.

Qui non ædificat domum. Id est, familiam; qui non suscitat prolem fratri suo.

12. *Abscindes manum illius etc.* Ratio hujus pœnæ est, tum quia pudendum et ignominiosum est hoc muliebre facinus; tum quia læso hoc membro, generationis et posteritatis fons omnis intercipitur.

13. *Diversa pondera.* Sic Prov. 20, 10, dicitur: *Pondus et pondus, mensura et mensura: utrum-*

18. Quomodo occurrerit tibi; et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum.

19. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub cœlo. Cave ne obliviscaris.

CAPUT XXVI.

Primitiæ ac decimæ ubi et quibus exsolvendæ, et sub qua verborum forma.

1. Cumque intraveris terram quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in ea;

2. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus;

3. Accedesque ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.

4. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui:

5. Et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregri-

---

que abominabile est apud Deum.

18. *Quomodo occurrerit tibi etc.* Historiam habes, Exod. 17: nulla tamen ibi mentio de cæso extrêmo agmine: quod ibi dictum non est, hic suppletur a Mose.

Et non timuerit Deum. Populum Dei violando et a tergo et ex insidiis invadendo.

19. *Delebis nomen ejus sub cœlo.* Idem Exod. 17, 14, præcipitur, et factum postea a Saule, 1 Reg. 15.

Caput XXVI. 1. *Obtinueris eam.* Quod factum est septimo anno ab ingressu in Chanaan.

2. *Primitias.* Annuas, quæ in festo tabernaculorum offerendæ erant, ut patet Num. 18, 12. Vide ibi dicta.

Pones in cartallo. Cartallus cophinus est, seu corbis in angustum desinens in ima sua parte.

4. *Ponet ante altare etc.* Quadam oblationis specie.

5. *Syrus.* Laban socer Jacobi, qui habitabat in Mesopotamia Syriæ, Gen. 28, 5.

Qui descendit in Ægyptum. Non statim, sed aliquot post annis.

natus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitæ multitudinis;

6. Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt imponentes onera gravissima;

7. Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem, atque angustiam;

8. Et eduxit nos de Ægypto in manu forti et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis;

9. Et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem:

10. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo.

11. Et epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi et domui tuæ, tu et Levites et advena qui tecum est.

12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur:

13. Loquerisque in conspectu Domini Dei tui: Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, et * dedi illud Levitæ et advenæ, et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi; non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui;

* Sup. 14, 29.

14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qua-

In paucissimo numero. Septuaginta hominum, filiorum scilicet suorum ac nepotum.

Crevitque in gentem magnam. Vide Exod. 1, 7.

7. *Humilitatem nostram.* Humiliationem, afflictionem.

8. *In ingenti pavore.* LXX, *in visionibus magnis.*

10. *Adorato Domino Deo tuo.* Humiliando se coram altari et orando, ut Deus eum dirigat in bono.

11. *Epulaberis etc.* De his epulis dictum supra, cap. 12, 7.

12. *Quando compleveris decimam cunctarum frugum etc.* De his decimis, vide Deut. 14, 28.

13. *Quod sanctificatum est.* Decimas quas sanctificari, id est, separari, et tibi in pauperibus alendis offerri mandasti.

* *Abstuli .... de domo mea.* Integras extuli et huc attuli, nec quidquam ex his domi remansit.

14. *Non comedi ex eis in luctu meo.* Non comedi ex iis immundus existens ex luctu et funere, quod illicitum est; neque enim quæ in victimas pacificas oblata sunt, ea immundi gustare possunt, ut patet Levit. 7, 20.

libet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri; obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi:

15. * Respice de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti. * Isa. 63, 15. Baruch 2, 16.

16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia, et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.

17. Dominum elegisti hodie ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias ceremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio.

18. * Et Dominus elegit te hodie ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius; * Sup. 7, 6.

19. Et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

CAPUT XXVII.

Transito Jordane, altare lapideum erigendum, lexque lapidibus inscribenda: benedictionis piorum et maledictionis impiorum ritus et formulæ.

1. Præcepit autem Moyses, et seniores Israel, populo, dicentes: Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.

2. Cumque transieritis Jordanem in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce levigabis eos,

---

Nec separavi ea in qualibet immunditia. Non solus ego immundus non fui, sed etiam quod obtuli mundum exstitit, a qualibet immunditia illud removi, secrevique ne contaminaretur.

Nec expendi ex his quidquam in re funebri. Vetitum enim erat ex his decimis Deo sanctificatis detrahere, aut in usum profanum, aut in convivium, pompamve funebrem, sepulcri erectionem etc. impendere.

16. *Ex toto corde etc*. Omni animi studio et contentione.

17. *Dominum elegisti hodie ut sit tibi Deus*. Renovando et confirmando fœdus antea cum Deo factum.

19. *Et nomen*. Et famam.

Caput XXVII. 2. *Ingentes lapides*. Fortasse duodecim pro numero duodecim tribuum, nec fuerunt iidem hi lapides cum lapidibus altaris.

Levigabis eos. Heb. *linies*, vel *incrustabis eos calce*.

3. Ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmisso: ut introeas terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis.

4. Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, et levigabis eos calce:

5. Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos
* Exod. 20, 25. Jos. 8, 31. * ferrum non tetigit,

6. Et de saxis informibus et impolitis: et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo,

7. Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo,

8. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide.

9. Dixeruntque Moyses et sacerdotes levitici generis ad omnem Israelem: Attende, et audi, Israel: hodie factus es populus Domini Dei tui;

10. Audies vocem ejus, et facies mandata atque justitias quas ego præcipio tibi.

11. Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens:

* Sup. 11, 29. 12. Hi stabunt * ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmisso: Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, et Benjamin.

13. Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan et Nephthali.

* Dan. 9, 13. 14. * Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce:

---

3. *Omnia verba legis hujus.* Deuteronomii scilicet. * Id propterea factum ut hoc novo ritu fœdus cum Deo instauraretur in primo terræ promissæ ingressu: et Israelitæ his solemnibus benedictionum pollicitationibus ac maledictionum interminationibus ad accuratiorem legis divinæ observationem excitarentur.

5. *De lapidibus quos ferrum non tetigit.* Rationem hujus præcepti vide supra, Exod. 20, 24.

7. *Comedesque ibi et epulaberis.* De pacificis scilicet hostiis, sacro epulo instituto.

8. *Plane et lucide.* Clare et distincte.

9. *Hodie factus es populus Domini Dei tui.* Explicatum hoc præcedenti cap. num. 17.

12. *Hi stabunt ad benedicendum populo.* Vide dicta cap. 11, 29.

Joseph. Ephraim et Manasse.

14. *Levitæ.* Sacerdotes.

Excelsa voce. Ut exaudiri possent saltem a primis qui responderent: Amen; quos reliquus totus cœtus voce consona comitaretur.

15. Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. Et respondebit omnis populus, et dicet: Amen.

16. Maledictus qui non honorat patrem suum, et matrem. Et dicet omnis populus: Amen.

17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus: Amen.

18. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. Et dicet omnis populus: Amen.

19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ. Et dicet omnis populus: Amen.

20. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus. Et dicet omnis populus: Amen.

21. Maledictus qui dormit cum omni jumento. Et dicet omnis populus: Amen.

22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ. Et dicet omnis populus: Amen.

23. Maledictus qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus: Amen.

24. Maledictus qui clam percusserit proximum suum. Et dicet omnis populus: Amen.

25. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus: Amen.

26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus: Amen.

---

15. *Sculptile*. Idolum e ligno aut lapide, quod fit sculpendo aut dolando.

Conflatile. Idolum ex metallis, quæ conflantur et in idoli figuram conformantur.

Ponetque illud in abscondito. Ut clam colat. Hæc ergo maledictio etiam in peccantem occulte jacitur.

Omnis populus. Sex tribus designatæ ad conclamandum benedictionibus cum benediceretur, et sex aliæ cum malediceretur.

16. *Qui non honorat*. Hebræa vox et græca significantior est: nam significat eum qui contemnit, despicit, ignominia afficit, ἀτιμάζων.

17. *Qui transfert terminos proximi sui*. Ut quæ illius sunt occupet, illo submoto.

18. *Cæcum*. Sic Levitici 19, 14: *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum*.

19. *Pervertit*. Perverse judicando in gratiam potentioris.

20. *Revelat operimentum lectuli etc*. Res turpis pudenter et honestis verbis exprimitur.

25. *Ut percutiat animam*. Ut vitam auferat.

Multiplex promittitur observantibus legem benedictio, et transgredientibus maledictio.

1. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ versantur in terra:

2. Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te; si tamen præcepta ejus audieris.

3. Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro.

4. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum.

5. Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ.

6. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens.

7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua.

8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terrâ quam acceperis.

9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus.

Caput XXVIII. 1. *Si autem audieris*. Convenit materia hujus capitis cum cap. 26 Levitici: in utroque enim et benedictiones legum observatoribus, et maledictiones violatoribus inferuntur.

Excelsiorem cunctis gentibus. Felicitate, opibus, imperio.

3. *Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro*. Hoc est, in omnibus bonis, seu quæ habueris in civitate seu quæ in agro, prosperaberis.

4. *Benedictus fructus ventris tui*. Feliciter liberos procreabis. * Eximie impletum est hoc in B. Virgine Christi Matre.

5. *Reliquiæ tuæ*. Quæ ex bonis asservanda in futurum reposueris; hoc enim significare videtur proprie vox hebræa, vel certe locum in quo ista reponuntur.

6. *Ingrediens et egrediens*. In omnibus actionibus et negotiis tuis.

7. *Per septem fugient etc*. His verbis significatur pavor et perturbatio, cum scilicet sine consilio et ordine res geritur, et quæ cuique sese obtulerit ad fugam via, sine ulteriori discussione arripitur.

9. *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum*. Constituet, stare faciet, sive habebit te constanter pro populo suo, vel perget habere te pro populo electo suo.

10. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te.

11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret tibi.

12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies.

13. Constituet te Dominus in caput, et non in caudam; et eris semper supra, et non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, et custodieris et feceris,

14. Ac non declinaveris ab eis nec ad dexteram nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

15. * Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te:

16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro:

17. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ:

18. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum:

19. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens.

20. Mittet Dominus super te famem et esuriem, et increpa-

* Lev. 26, 14. Lament 2, 17. Baruch 1, 20. Malac. 2, 20.

---

10. *Quod nomen Domini invocatum sit super te.* Quod populus Dei sis et voceris.

12. *Thesaurum suum optimum.* Sic et Job. 38, 22, dicitur: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?*

Fœnerabis. Mutuum præ opibus dare multis poteris.

13. *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam.* Hoc est, quod dixerat num. 1, *excelsiorem cunctis gentibus;* est forma dicendi adagialis.

15. *Audire.* Obedire.

16. *Maledictus eris in civitate etc.* Vide supra num. 3.

20. *Famem.* Vocem hebræam מארה *meera,* alibi S. Hieronymus vertit egestatem vel penuriam. LXX alicubi verterunt *κατάραν*, *maledictionem.* Alii vertunt *corrosionem*, vel *infortunium.*

Esuriem. Vocem hebræam מהומה *mehuma.* D. Hieron. aliis locis vertit *interfectionem, cædem, interitum, pavorem, terrorem, tumultum, insaniam.*

Increpationem. LXX, *consumtionem:* radix enim ex qua vox hebræa deducitur, *increpare*

tionem in omnia opera tua quæ tu facies; donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me.

21. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra ad quam ingredieris possidendam.

22. Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto ac rubigine, et persequatur donec pereas.

23. Sit cœlum, quod supra te est, æneum; et terra, quam calcas, ferrea.

24. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, et de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris.

25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ:

26. Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cœli et bestiis terræ, et non sit qui abigat.

27. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine: ita ut curari nequeas.

---

et *perdere* significat: bene noster vertit *increpationem;* nam increpatio Dei, qua in aliquem iratus insurgit, consumtionis causa est.

22. *Ardore*. LXX ἐρεθισμὸν habent, quæ vox significat *irritationem, pruritum, rosionem,* quæ in corpore ex ardore provenire solet.

Æstu. Vox hebræa etiam *siccitatem* significat et gladium.

Rubigine. Qui morbus est segetum, qui oritur vento orientali ingrediente spicas. LXX ὤχραν, vel ὠχρίαν, id est, pallorem verterunt, alibi ἀνεμοφθορίαν *venti*, sive *aeris corruptionem*.

23. *Cœlum .... æneum*. Ut non pluat imbrem, quo sata rigentur, sed durum sit instar æris.

Terra .... ferrea. Dura, sterilis ac si esset ferrea.

24. *Imbrem terræ tuæ pulverem*. Ut cum aqua pluvia indigeas, qua mollescat solum, omnia contraria tibi contingant, arido pulvere, loco imbris, delato.

26. *Sitque cadaver etc*. Extremæ cujusdam calamitatis apud Judæos habebatur, sepulchro caruisse et a bestiis devoratum fuisse.

27. *Ulcere Ægypti*. De quo ulcere, vide Exod. 9, 9.

Et partem corporis per quam stercora egeruntur. Hæmorrhoidas intelligit, vel alium ani morbum. Videtur ille esse quem passi leguntur Philisthæi, 1 Reg. 5, n. 6, 9, 12; quandoquidem omnibus iis locis eadem vox hebræa habetur, quæ hoc loco est.

28. Percutiat te Dominus amentia et cæcitate ac furore mentis,

29. Et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.

30. Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea. Domum ædifices, et non habites in ea. Plantes vineam, et non vindemies eam.

31. Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet.

32. Filii tui et filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus ad conspectum eorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua.

33. Fructus terræ tuæ et omnes labores tuos comedat populus quem ignoras: et sis semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus,

34. Et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui.

35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.

36. Ducet te Dominus, et regem tuum quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu et patres tui: et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi.

37. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit Dominus.

38. * Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia. * Mich. 6, 15. Aggæi. 1, 6.

---

28. *Amentia et cæcitate*. Cæcitate mentis.

29. *Palpes in meridie*. Etiam hæc de mentis tenebris accipienda sunt.

Non dirigas vias tuas. Inopia consilii res tuas male et imprudenter tractes, tibique proinde infeliciter omnia eveniant.

30. *Et non vindemies eam*. Heb. *et non profanes eam*. Vide supra cap. 20, n. 6.

31. *Immoletur*. Mactetur, occidatur, ne itaque intelligas hoc de sacra aliqua immolatione.

32. *Et deficientibus ad conspectum eorum*. Ita ut oculi tui tabescant conspecta dura filiorum servitute.

Non sit fortitudo in manu tua. Ad eos eripiendos.

36. *Diis alienis, ligno et lapidi*. Sive exemplo indigenarum provocatus, sive regum illius regionis imperio, ac terrore compulsus, quod Israelitis contigisse cognoscimus, Dan. 3.

37. *Eris perditus*. Heb. chald. *eris in desolationem, proverbium et fabulam*.

60. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi.

61. Insuper et universos languores et plagas quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat:

62. Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui.

63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra ad quam ingredieris possidendam.

64. Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus: et servies ibi diis alienis quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus.

65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumtam mœrore.

66. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ.

67. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea quæ tuis videbis oculis.

68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.

---

64. *A summitate terræ*. Ab extremitate.

65. *Deficientes oculos*. Tabescentes præ tristitia.

66. *Vita tua quasi pendens*. Eris semper de vita tua dubius.

68. *Reducet te Dominus classibus in Ægyptum*. Non jam terrestri itinere, ut aliqua spes sit elabendi, sed navibus, ut effugere non possis.

Et non erit qui emat. Tam multi eritis et tam vilia capita vos esse existimabunt. Hegesippus lib. 5 excidii, c. 47, ita de Judæis scribit post captam a Tito Hierosolymam: *Plurimi venales, sed pauci emtores: quia Romani in servitutem Judæos dedignabantur, nec Judæis supererant qui redimerent suos*.

Fœdus et juramentum Israelitarum cum Domino juxta Dei beneficia, et comminatio adversus fœdifragos.

1. Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab; præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.

2. Vocavitque Moyses omnem Israel, et dixit ad eos: * Vos vidistis universa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, * Exod. 19, 4.

3. Tentationes magnas quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia;

4. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.

5. * Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt. * Sup. 8, 2.

6. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis: ut sciretis quia ego sum (1) Dominus Deus vester.

7. * Et venistis ad hunc locum: egressusque est Sehon rex Hesebon, et Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, * Sup. 3, 1.

8. Et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse.

(1) Ego sum. *In edit. Sixt. legitur* ipse est.

Caput XXIX. 1. *Verba fœderis.* Innovati, instaurati et juramento firmati. Vide infra n. 12.

2. *Vocavitque Moses omnem Israel.* Omnes rursus adesse jussit; neque enim verisimile omnia quæ hoc libro habentur a Mose uno spiritu, nulla interposita quiete, esse dicta.

3. *Tentationes magnas.* Punitiones et flagella Ægyptiorum.

4. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens etc.* Quia vos cor, aures, oculosque mentis clausistis; unde vitio vestro factum est, ut non intelligeretis magnitudinem divinorum beneficiorum, et quænam essent partes, officiumque vestrum erga Deum.

5. *Non sunt attrita vestimenta.* Vide dicta supra cap. 8, n. 4.

6. *Panem non comedistis etc.* Quia manna fuit illis in cibum. Aliquando tamen edisse panem, et vinum bibisse credibile est, sed non frequenter, cum agerent in deserto.

Ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester. Qui norim servos meos alere mirabili modo, etiam cum frugum, aut carnium copia deest.

9. Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis.

10. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, et tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israel,

11. Liberi et uxores vestræ, et advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus et his qui comportant aquas:

12. Ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum,

13. Ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob.

14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo,

15. Sed cunctis præsentibus et absentibus.

16. Vos enim nostis quo modo habitaverimus in terra Ægypti, et quo modo transierimus per medium nationum, quas transeuntes,

---

9. *Ut intelligatis universa quæ facitis*. Prudenter agatis.

10. *Vos statis hodie cuncti*. Oportebat enim ut omnes ad susceptionem legis et fœderis convenirent; quia quod omnes attingit, ab omnibus probari debet.

Principes vestri. Pricipes tribuum.

Doctores. Quos supra, cap. 16, num. 18, appellavit magistros. Vide ibi dicta.

11. *Et advena etc*. Multi enim Ægyptii eos sequebantur. Aliqui etiam erant mancipia ipsorum Hebræorum.

Exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas. Quos necessarium ministerium adesse non patitur. In hebræo tamen, chaldæo, et LXX, est: *A lignorum cæsore usque ad comportantem aquam tuam:* quasi nullus plane abfuerit. D. Hieronymus videtur particulam מן *min* pro *præter* accepisse.

12. *Ut transeas fœdere*. Ut fœdus ineas. Vox illa *transeas*, videtur indicare renovationem fœderis per transitum inter partes diversas victimarum, ut factum in fœdere Dei cum Abraham, Gen. 15, 10. Vide ibi dicta.

Et in jurejurando. LXX, *in imprecationibus*. Vide dicta eodem cap. 15 Gen. num. 10.

13. *Suscitet te sibi in populum*. Vide dicta cap. 28, 9.

* 15. *Præsentibus et absentibus*. Cum iis qui nati sunt et nascentur. Fœdus enim est ad gentem totam pertinens. Sic dicunt reges se dare feuda huic et posteris ejus, qui nondum nati sunt.

16. *Per medium nationum*. Idumæos, Madianitas, Ammonitas, Moabitas.

17. Vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quæ colebant.

18. Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro, ut vadat et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem:

19. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei: et absumat ebria sitientem,

20. Et Dominus non ignoscat ei; sed tunc quam maxime furor ejus fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta quæ scripta sunt in hoc volumine; et deleat Dominus nomen ejus sub cœlo,

21. Et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, juxta maledictiones quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur.

---

18. *Sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* Sit quispiam qui sibi et aliis sit causa idololatriæ quæ fel et amaritudo appellatur, vel quia Deo ingratissima, vel quia idololatris fructus amaros procreat, videlicet gravia supplicia.

19. *Benedicat sibi in corde suo.* Falsa spe lactet se, et sibi cuncta prospera polliceatur, seque impunitum fore existimet.

Et ambulabo. Licet ambulavero.

Et absumat ebria sitientem. Proverbium est. In hebræo est, *ut addatur ebria sitienti.* LXX habent: *Ut non simul perdat peccator innocentem.* Cornelius particulam *non* a textu LXX tolli posse putat, cum non sit in hebræo, et sensus erit: Peccator sibi promittat impunitatem, et cum ipse sit ebrius iniquitate, integrum et innocentem absumat; vel, ut alii legunt, assumat in communionem sui criminis, eum sollicitando et trahendo ad idololatriam.*Ne ebria trahat secum sobriam ad saltandum. Bonfrerius putat in hoc proverbio subintelligendam vocem substantivam *terra: Absumet terra ebria sitientem*, et sensum esse: Terra pluviis inebriata perdat seipsam, quæ prius sitiens erat. Habetque locum proverbium hoc quotiescumque quis quidpiam desiderat, quod cum deinde illi conceditur, perniciem illi creat. Ad rem nostram applicando adagium, sensus erit: qui sibi impunitatem promittit, sibique indulgendo sceleribus quodammodo et idololatria quam sitiebat sese inebriat, grande malum sibi accerset, et se plane perdet.

20. *Furor ejus fumet.* Verti potest, *nasus ejus fumet.* Vox enim אף *aph* iram, et nasum qui sedes est iræ aut in quo eminet, significat: loquitur de Deo humano more.

22. Dicetque sequens generatio, et filii qui nascentur deinceps, et peregrini qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, et infirmitates quibus eam afflixerit Dominus,

23. Sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum * subversionis Sodomæ et Gomorrhæ, Adamæ et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo;

* Gen. 19, 24.

24. Et dicent omnes gentes: * Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

* 3 Reg. 9, 8. Jer. 22, 8.

25. Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum quando eduxit eos de terra Ægypti;

26. Et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi:

27. Idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta quæ in hoc volumine scripta sunt;

28. Et ejecit eos de terra sua in ira et in furore, et in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.

29. Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

---

23. *Sulphure et salis ardore comburens.* Hæc enim sterilem terram faciunt. Sic Judic. 9, 45, Abimelech Sichimam destructam sale seminat, ut sterilis efficiatur.

In exemplum. Ad similitudinem.

26. *Quos nesciebant.* Quos antea non colebant, nec cognoscebant pro diis.

Quibus non fuerant attributi. Quibus non fuerant ipsi tanquam pars, possessio, hæreditas, vel proprium peculium attributi.

29. *Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in sempiternum.* Hæc flagella futura, prævisa et decreta a Deo, sint abscondita Deo, ut scilicet ea non norit ut infligat nobis, hæc inquam flagella, quæ minitans intentavit, et prænuntiavit nobis et filiis nostris, ut eorum metu legem ejus servemus in sempiternum.

Lapsos hortatur Moses ad pœnitentiam, vera enim pœnitentia Deum placat: præceptum nobis datum non longe a nobis separatur: in ejus impletione vel neglectu proponitur bonum et malum; ut ultro bonum eligentes, vivamus et non pereamus, malo adhærentes.

1. Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo, et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus in quas disperserit te Dominus Deus tuus,

2. Et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua;

3. Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis in quos te ante dispersit.

4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus,

5. *Et assumet, atque introducet in terram quam possederunt patres tui, et obtinebis eam: et benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui. *2 Mac. 1, 29.

6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere.

7. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos et eos qui oderunt te et persequuntur.

8. Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui: faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie:

9. Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, et in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, et in rerum omnium largi-

---

Caput XXX. 1. *Benedictio, sive maledictio.* Benedictio si legem servaveris; maledictio si violaveris.

4. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus.* Cœli cardines sunt poli arcticus et antarcticus, vel quælibet mundi extrema plaga.

6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum.* Cordis mala et desideria noxia auferet.

8. *Reverteris.* Vel ad terram tuam, vel ad Deum.

9. *Revertetur enim Dominus.* Quia antea per peccata aversus fuerat, eosque deseruerat.

tate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis:

10. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris præcepta ejus et ceremonias quæ in hac lege conscripta sunt, et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua.

11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,

* Rom. 10, 6. 12. Nec in cœlo situm, ut possis dicere: * Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus?

13. Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est?

14. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.

15. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum:

16. Ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius ac ceremonias atque judicia, et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra ad quam ingredieris possidendam.

17. Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis;

18. Prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in terra ad quam, Jordane transmisso, ingredieris possidendam.

19. Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum:

Ut gaudeat super te in omnibus bonis. Ut delectetur tibi beneficia præstando.

11. *Mandatum hoc.* Tota Deuteronomii lex.

Non supra te est etc. Ut possis te excusare, quasi nequeas et nosse quæ præcipiuntur et effecta dare.

14. *Sed juxta te est sermo etc.* Habes legem Dei ad manum; ut in corde ac memoria habere discendo et ore pronuntiare possis.

15. *Proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.* Huc allusit Ecclesiasticus 15, 17: *Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam.*

19. *Testes invoco etc.* Sic et Isaias suam prophetiam a simili invocatione exorditur; et paulo post

20. Et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum), ut habites in terra pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

CAPUT XXXI.

Moses Josue sibi sufficit in ducem: Deuteronomium scribit, jubetque illud populo perlegi septimo anno remissionis, et in latere arcæ adservari.

1. Abiit itaque Moyses, et locutus est omnia verba hæc ad universum Israel,

2. Et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi, et ingredi, præsertim cum et Dominus dixerit mihi: * Non transibis Jordanem istum. * Num. 27, 13. Sup. 3, 27.

3. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas; et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus.

4. Facietque Dominus eis * sicut fecit Sehon et Og regibus Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos. * Num. 21, 24.

5. Cum ergo et hos tradiderit vobis, * similiter facietis eis sicut præcepi vobis. * Sup. 7, 2.

6. Viriliter agite, et confortamini; nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet nec derelinquet te.

7. Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israel: * Confortare, et esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, et tu eam sorte divides. * Jos. 1, 6. 3 Reg. 2, 2.

Moses cap. 32, suum canticum.

20. *Ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum.* Ipse est qui hæc tibi largitur.

Caput XXXI. 1. *Abiit itaque Moyses, et locutus est.* Id est, addidit ergo, vel cœpit loqui Moses verba quæ sequuntur. Hebræi enim per *egredi, abire, surgere,* sæpe intelligunt *incipere.*

2. *Egredi, et ingredi.* Ducem agere.

3. *Deus tuus transibit ante te.* Arca Dei præcedet te, sicut et postea factum, Josue 3; imo et Deus invisibiliter præibit, ut inimicos tuos prosternat.

Josue iste transibit ante te. Præcedet, ducis munus exercens.

8. Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet nec derelinquet te: noli timere, nec paveas.

9. Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel.

10. Præcepitque eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum,

11. Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis,

12. Et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis, et advenis qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant impleantque omnes sermones legis hujus;

13. Filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam.

14. Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii:

15. Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.

16. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alie-

---

9. *Legem hanc.* Deuteronomium.

Et tradidit eam sacerdotibus. Horum enim erat legem scire, ac populum docere, et in anno remissionis populo prælegere.

Qui portabant arcam. Qui portare poterant si volebant, et de facto aliquando studio pietatis et religionis contestandæ et exercendæ causa portabant; cum alioqui hoc munus Levitarum esset. Additur hoc de arca, quia liber hic, ut infra habetur num. 26, in latere arcæ poni debebat.

10. *Anno remissionis.* Septimo quoque anno. De anno remissionis, vide Exod. 23, 11.

13. *Filii quoque eorum etc.* Parvuli, qui nihil adhuc noverunt, ideoque pariter ignorant hanc Dei legem.

14. *State in tabernaculo testimonii.* In atrio ante hostium tabernaculi, quia tabernaculum ingredi soli poterant sacerdotes.

Ut præcipiam ei. Ut rerum gerendarum præcepta illi tradam.

nos in terra ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo.

17. Et irascetur furor meus contra eum in die illo; et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem: invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.

18. Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos.

19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel: ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel.

20. Introducam enim eum in terram pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis: detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum.

21. Postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram quam ei pollicitus sum.

22. Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel.

23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun, et ait: Confortare,

---

17. *Abscondam faciem meam ab eo.* Vultum benevolum, protectionem, aliaque beneficia subtraham.

19. *Canticum istud.* Quod sequenti capite describitur.

Sit mihi carmen istud pro testimonio. Quod vel eorum improbitatem et ingratitudinem coarguat, vel punitionem infligendam contestetur, ne se vel non de flagitio admonitos, vel de suppliciis non præmonitos queri possint.

20. *Detrahentque mihi.* Spernent me, contumeliis afficient. In hebræo, chald. et LXX habetur, *exasperabunt me.*

21. *Respondebit ei canticum istud pro testimonio.* Eos de improbitate redarguet, et merito puniri ostendet.

Scio enim cogitationes ejus. LXX, *malignitatem.* Vox hebræa animi figmentum et imaginationem significat, quasi dicat: Scio non deesse qui mala cogitent, non obstantibus tot maledictionibus, admonitionibus, contestationibus.

Hodie. Junge cum *scio. Scio hodie.*

23. *Præcepitque Dominus Josue.* Hoc loco primum incipit Dominus alloqui Josue, ut ei auctoritatem apud populum adjungat, et ut jam Mose morituro, ei populi præfecturam confirmet.

et esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum; et ego ero tecum.

24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit;

25. Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:

26. Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.

27. Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et egrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero!

28. Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos cœlum et terram.

29. Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via quam præcepi vobis: et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.

30. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit.

CAPUT XXXII.

Canticum Mosis, quo Dei refert beneficia, populique ingratitudinem sæpius a Domino castigatam: jubetur Moses montem Abarim ascendere, ut promissam terram contempletur.

1. Audite, cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

---

26. *In latere arcæ.* Non tamen intra arcam.

27. *Contentionem tuam.* Rebellionem, contumaciam, cervicis duritiem.

28. *Invocabo contra eos cœlum et terram.* Testes futuros tantæ impietatis.

29. *Per opera manuum vestrarum.* Actiones vestras.

30. *Audiente universo cœtu.* Domino senilem vocem adaugente, ut ad omnium aures deferri posset.

Verba carminis hujus. Suquentis cantici.

Caput XXXII. * 1. *Audite, cœli.* Testes invocat semper mansuros, et eos per quos Deus sua judicia erat executurus. Vide supra c. 5, 26; et c. 28, 12 et 23. Æneas apud Virgilium, lib. 12:

Esto nunc sol testis et hæc mihi terra precanti.

Deinde Latinus:

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro.

2. Concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.

3. Quia nomen Domini invocabo : date magnificentiam Deo nostro.

4. Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.

5. Peccaverunt ei, et non filii ejus, in sordibus: generatio prava atque perversa.

6. Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?

7. * Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas : interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi. * Job 8, 8.

8. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam; constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

---

2. *Concrescat.* Defluat, distillet; nam vox hebræa proprie distillare significat. Porro D. Hier. vertit *concrescat,* quia ut e cœlo stillent pluviæ, necesse est prius vapores concrescere.

Ut pluvia. Quemadmodum enim pluvia plurimis minutis guttis defluens terram infundit; ita cantici hujus plures sententiæ sæpius repetitæ et cantatæ, corda Hebræorum molliant, penetrent, ac bene afficiant.

3. *Date magnificentiam.* Magnificate, magnitudinem ejus prædicate.

4. *Omnes viæ ejus judicia.* Omnia quæ agit justa sunt.

5. *Et non filii ejus.* Id est, facti sunt.

In sordibus. Propter sordes, peccata scilicet et idololatriam.

6. *Qui possedit te.* Tanquam propriam hæreditatem et peculium.

7. *Memento dierum antiquorum.* Heb. *dierum seculi;* revoca in memoriam dies ex quo mundus esse cœpit.

Cogita generationes singulas. Quæ sibi successerunt; illas percurrendo, et quid in illis acciderit reputando.

Dicent tibi. Beneficia scilicet quæ in sequentibus commemorantur.

8. *Quando dividebat Altissimus gentes.* In Babel, hominibus in varias terræ plagas divisis.

Quando separabat filios Adam. Aliis alio dimissis.

Constituit terminos populorum. Jam tunc cogitavit de populo israelitico, et decrevit illi attribuere terram populorum Chananæorum.

Juxta numerum filiorum Israel. Quæ regio numero filiorum Israel par esset, illisque alendis sufficeret.

9. Pars autem Domini, populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus.

10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui.

11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas, et assumsit eum, atque portavit in humeris suis.

12. Dominus solus dux ejus fuit: et non erat cum eo Deus alienus.

13. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo;

14. Butyrum de armento, et lac de ovibus, cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan; et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum.

---

9. *Pars autem Domini, populus ejus.* Quasi dicat: Nec hoc contentus, voluit sibi populum hunc peculiariter eligere, quem foveret et ornaret.

Funiculus hæreditatis. Portio peculiaris Dei. Alluditur ad modum dividendæ et mensurandæ terræ, ductis funiculis, ut olim fiebat.

10. *Invenit eum in terra deserta.* Non fortuito, sed ex destinato, ut eum sibi adjungeret et perpetuo fœdere devinciret.

Circumduxit eum. Per desertum.

Et docuit. Dando legem et vitæ præcepta, vel castigationibus erudiendo.

Quasi pupillam oculi. Diligentissima et intentissima cura.

11. *Sicut aquila provocans ad volandum.* Docens et instituens ad volatum.

Et super eos volitans. Ut exemplo proposito volare condiscant. Sic Hebræi in Ægypto quasi nidulo conclusi non audebant egredi, Deus vero illos excitavit, ut inde quodammodo evolarent.

Portavit in humeris suis. Peculiare hoc est aquilis; aliæ enim aves, cum pullos suos transferunt, unguibus apprehendunt.

12. *Dominus solus dux ejus fuit.* Per columnam nubis et ignis.

13. *Super excelsam terram.* Non situs eminentia, sed soli fertilitate. Loquitur Moses de re futura tanquam de præterita; respiciens tempus quo canticum hoc erat ab Israelitis decantandum.

Mel de petra. Apes enim in cavis petris et cavernulis in topho excavatis sponte mellificant, et in Palæstina et alibi.

Oleumque de saxo durissimo. Oleis etiam in confragosis locis feliciter provenientibus, et magnam baccarum copiam fundentibus.

14. *Cum adipe agnorum.* Agnis optimis et pinguissimis.

Et arietum filiorum Basan.

15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

16. Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

17. Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

18. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.

19. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.

20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii.

21. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis: et * ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.

22. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad

* Jer. 15, 14. Rom. 10, 19.

Arietum pinguium in regionis Basan pascuis inerrantium.

Cum medulla tritici. Tritico electissimo et præstantissimo.

Sanguinem uvæ. Vinum rubore sanguinem referens.

15. *Incrassatus est dilectus.* Opibus, deliciis, luxu.

Salutari suo. Heb. *salute sua.*

16. *In diis alienis.* Eos colendo.

17. *Dæmoniis et non Deo.* Dæmoniis qui non sunt Deus.

Diis quos ignorabant. Qui ante ignoti illis erant.

Novi recentesque venerunt. Dii novi humana adinventione introducti sunt.

19. *Filii sui et filiæ.* Israelitæ et Israelitides.

20. *Abscondam faciem meam ab eis.* Misereri et benefacere desinam.

Et considerabo novissima eorum. Exitus calamitosissimos iis immittam, et eorum interitu me pascam.

21. *In eo qui non erat Deus.* Idolum colendo, quod divinitate carebat.

In vanitatibus suis. Idolis quæ vanitates et mendacia passim in Scriptura appellantur.

In eo qui non est populus. Provocabo eos ad invidiam et zelotypiam, eligens mihi ecclesiam ex gentibus quas Hebræi ne populi quidem nominare dignantur. Vel *qui non est populus*, scilicet Dei.

22. *Ignis succensus est in furore meo.* Ira mea supra modum exarsit.

Et ardebit usque ad inferni novissima. Nihil relinquet intactum, ad ipsas etiam extremas inferni regiones perveniet. Sunt locutiones metaphoricæ et hyperbolicæ.

inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.

23. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.

24. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

25. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

26. Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia.

28. Gens absque consilio est, et sine prudentia.

* Jer. 9, 12. 29. * Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!

30. Quo modo persequatur unus mille, et duo fugent decem

Montium fundamenta comburet. Montium profundissimas radices comburet, easque in sterilitatem vertet.

23. *Sagittas meas*. Plagas quibus eos quasi sagittis configam.

Complebo in eis. Heb. *consumam* vel *exhauriam*: tam multas calamitatum sagittas immittam, ut pharetra mea quodammodo exhauriatur.

24. *Devorabunt eos aves*. Sermo est de hominibus viventibus, qui ab avibus quantumvis rapacibus devorari non solent; quamquam carnivoras aliquas, ut aquilas et vultures, aliquando in homines involasse incredibile non est, et si Deus immittat, sane proclive.

Cum furore. Pagninus vertit, *cum veneno*.

Trahentium super terram. Trahentium se, quod reptilia faciunt, serpentes scilicet.

26. *Dixi: Ubinam sunt*. Heb. *exterminabo eos*. LXX, *dispergam eos*, ut scilicet de iis quæri possit, ubinam sunt?

Cessare faciam ex hominibus memoriam. Delebo memoriam.

27. *Sed propter iram inimicorum distuli*. Distuli propter inimicos iratos et vindictæ cupidos, quibus si justitiæ meæ ministris in hac ultione usus fuissem, eam non mihi ut sequitur, sed sibi arrogarent, quasi suis viribus effecissent.

28. *Gens absque consilio est*. Qui sibi victorias tribuunt, absque consilio et prudentia sunt.

29. *Utinam saperent etc*. Divinam in hoc manum agnoscentes.

Ac novissima providerent. Quid ipsis tandem propter superbiam hanc aliaque scelera eventurum sit.

30. *Quo modo persequatur unus mille etc*. Qui fieri possit,

millia? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?

31. Non enim est Deus noster ut dii eorum: et inimici nostri sunt judices.

32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.

33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

34. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?

35. * Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur * Eccli. 28, 1. Rom. 12, 19. Heb. 10, 30.
pes eorum: juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.
36. Judicabit Dominus populum suum, et * in servis suis misere- *2 Mac. 7, 6.

---

nisi divina virtute, cui proinde victoria adscribenda est.

Vendidit eos. Vendere in Scriptura non infrequenter significat tradere.

Conclusit illos. In manibus scilicet inimicorum suorum.

31. *Non est enim Deus noster ut dii eorum.* Qui peccata dissimulet et non puniat.

Et inimici nostri sunt judices. Cujus rei inimici nostri testes esse possunt qui divinæ ultionis vim experti sunt ipsi, et quid peccantes Israelitæ passi sunt, non ignorant.

32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ.* Populus hic qui fuerat mihi vinea electa, factus est vinea Sodomorum, degenerans in vitia, et pessimus evadens.

Uva eorum uva fellis. Fructus quos producunt, opera scilicet eorum fellea sunt, amara, pessima.

33. *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Non tantum sunt mala eorum opera, sed venenata, et præsentissimam afferentia perniciem, alios scilicet inficiendo, et ad impietates trahendo.

34. *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis.* Non propterea quod ultionem differo, scelerum populi oblitus sum, hæret memoria illorum et tandem in vindictam erumpet.

35. *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* Meum est qui justus sum hæc ulcisci, quod faciam suo tempore.

Ut labatur pes eorum. Ut corruant et pereant.

36. *Judicabit.* Ulciscetur et puniet.

Et in servis suis miserebitur. Puniet noxios, puros a scelere et integros non eodem cum impiis excidio involvet. Vel quos punivit, pœnitentia tandem ductos, iterum fovebit, quippe servos ac filios suos.

Videbit quod infirmata sit manus. Videbit eos omnem plane potentiam defecisse ad resistendum, scilicet inimicis.

bitur: videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumti sunt.

* Jerem. 2, 28.

37. Et dicet: * Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam,

38. De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum? surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.

* 1 Reg. 2, 6. Tob. 13, 2. Sap. 16, 13.

39. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me: * ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo; * et non est qui de manu mea possit eruere.

* Job 10, 7. Sap. 16, 15.

40. Levabo ad cœlum manum meam, et dicam: Vivo ego in æternum.

41. Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea; reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.

42. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis.

* 2 Mac. 7, 6.

43. * Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servo-

Et clausi quoque defecerunt. Mœnibus et arcibus inclusi.

Residuique consumti. Ad paucitatem redacti.

37. *Et dicet.* Per prophetas suos.

Ubi sunt dii eorum. Idola gentilium, in quibus sperastis.

38. *De quorum victimis comedebant adipes.* Insultando hoc dicit, nam in vero et ordinato Dei cultu omnis adeps victimarum a nemine comedi, sed soli Deo adoleri debebat, ut patet Lev. 3, 17.

Et bibebant vinum libaminum. Quod soli Deo libari et effundi debebat.

39. *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Quos voluero.

40. *Levabo ad cœlum manum meam.* Id est, jurabo. Hæc et sequentia usque ad versum 43, videntur dirigi ad hostes populi judaici.

Vivo ego in æternum. Per vitam meam, quæ æterna est, juro.

41. *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Cum paravero gladium ultionis meæ, ut sicut fulgur terreat et citissime penetret.

Et arripuerit judicium manus mea. Cœpero exercere judicium et ultionem.

42. *De cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis.* Puniam gentes propter fusum cruorem occisorum Israelitarum, et propter eosdem Israelitas in captivitatem adductos, et propter nudata capita rasione in morem mancipiorum eorumdem Israelitarum gentibus inimicorum.

43. *Laudate, gentes, populum ejus.* O gentes, dum hæc intelligitis, laudate populum Domi-

rum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui.

44. Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue filius Nun.

45. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel;

46. Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba quæ ego testificor vobis hodie; ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa quæ scripta sunt legis hujus:

47. Quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in terra ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam.

48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens:

49. Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo qui est in terra Moab contra Jericho, et vide terram Chanaan quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte.

50. Quem conscendens jungeris populis tuis, * sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis: * Num. 20, 26. 27, 13.

51. * Quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificastis me inter filios Israel. * Num. 20, 12. 27, 14.

52. E contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

---

ni, eo quod tam propitium et justum habeat Dominum.

Sanguinem servorum suorum. Siquidem et boni cum malis in communi plaga affligebantur et cædebantur. Vel per servos intellige respisientes, quos tamen inimici vexare pergebant.

44. *Ipse et Josue.* Ita ut in canendo adjutorem haberet Moses Josuam, jam in imperio collegam et successorem; idque eo fine ut Josue condisceret officii sui esse populum ab omni idololatria avertere.

46. *Ponite corda vestra.* Animum advertite.

Quæ ego testificor. Serio prædico, adhibitis testibus cœlo et terra.

47. *Ut singuli in eis viverent.* Per eorum observationem feliciter viverent.

49. *Abarim, id est, transituum.* Vox *transituum* a D. Hier. addita est, ut explicaret quid significaret *Abarim.*

In montem Nebo. Nebo erat jugum, vel cacumen montis Abarim.

50. *Jungeris populis tuis.* Morieris, congregaberis ad populum tuum, ut alibi loquitur Scriptura.

51. *Quia prævaricati estis etc.* Vide Num. 20.

52. *E contra.* E regione.

Benedicit Moses moriturus duodecim tribubus Israel, iisque olim obventura prædicit.

1. Hæc est benedictio qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.

2. Et ait: Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.

* Sap. 3, 1. 3. Dilexit populos, * omnes sancti in manu illius sunt: et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

4. Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob.

Caput XXXIII. 1. *Homo Dei.* Homo divinus, homo totus ad Dei voluntatem factus.

2. *Dominus de Sinai venit.* Cum inde nobis legem dedit et promulgavit.

De Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan. Dicitur de Seir ortus, et de Pharan apparuisse, quod ab ea parte in qua ad montem Sinai existentibus Hebræis cernebantur juga montis Seir et Pharan, quæ in eadem eremo conspicua erant, visus sit primo divinus splendor apparere, et paulatim ad montem Sinai accedere, ubi tandem resedit, totumque montem nebula, fumo, igne, complevit.

Sanctorum millia. Angelorum scilicet.

Ignea lex. Quia Deus eam ex igne, seu monte igneo et ardente, dedit Israeli. Dicitur lex ista in dextera ejus esse, ad modum scilicet dantis, vel eam dare volentis.

3. *Dilexit populos.* Vel positus est numerus pluralis pro singulari; vel per populos intelligit israeliticas tribus, quarum unaquæque integri populi instar habebat. Hæ tribus vocantur populi et gentes, Genes. 48, 19.

Omnes sancti in manu illius sunt. Totus populus Dei cultui dedicatus, illique sepositus et sanctificatus. Sunt in manu, id est, potestate et gubernatione Dei.

Et qui appropinquant. Verti potest, *qui appropinquaverunt.*

Pedibus ejus. Ad radices montis, ex quo a Deo lex dabatur. * Verum quia ex hebræo etiam verti potest, *ipsi juncti sunt ad pedem tuum,* sensus esse potest: *Ipsi sunt discipuli tui:* mos enim discipulorum sedere ad pedes magistrorum. Vide Act. 22, 3, et sequitur explicatio: *Accipient de doctrina illius.*

Accipient de doctrina illius. Verti potest, *acceperunt* de doctrina illius, sanctam scilicet legem qua ad omnem honestatem vitam componerent.

4. *Hæreditatem multitudinis Jacob.* Hoc est, quæ quasi hæreditario jure sit ad Jacobi posteros transitura, et in eo populo permansura.

5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

6. Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero.

7. Hæc est Judæ benedictio: Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.

8. Levi quoque ait: Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et judicasti ad aquas contradictionis:

9. Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro vos: et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt,

---

5. *Erit apud rectissimum rex.* Verti potest, *fuit apud dilectum rex*, et sensus erit, habuit dilectus populus regem, hoc est, ducem, gubernatorem ac legislatorem Mosen, qui ut rex monarchico modo Israel gubernavit. Vel sensus est: habebit reges populus dilectus, quod factum est in Saule, et aliis deinceps.

6. *Vivat Ruben, et non moriatur.* Allusum est ad prædictionem Jacob, qui de Ruben dixerat: *effusus es sicut aqua, non crescas*, Genes. 49, 4. Confirmat hoc Moses docens non fore quidem delendam tribum illam de populo Israel, sed numero capitum non admodum augendam.

7. *Audi, Domine, vocem Judæ.* Tribus Judæ precantis, ut promissa terra potiri liceat.

Et ad populum suum introduc eum. Et ad terram quam occupatura est introduc eam.

Manus ejus pugnabunt pro eo. Popullo expellendo, et ineunda possessione terræ.

Et adjutor illius. Deus scilicet.

8. *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo.* Supple, data est. Virum sanctum appellat Aaronem, quia sanctificatus per consecrationem in pontificem. Huic data *perfectio* et *doctrina*, quæ gestabat in rationali, ut habemus, Ex. 28, 30. Laudat ergo Moses tribum Levi a pontificatu illi concesso.

Quem probasti in tentatione. Deus Aaron et Mosen eorumque fiduciam tentavit et exploravit, cum populus in Cades propter aquæ defectum murmuravit, de quo vide Num. 20, 12, et ibi dicta.

Et judicasti ad aquas contradictionis. Judicatus est Aaron, quia terra promissionis propter illud peccatum exclusus est, ut etiam Moses.

Ad aquas contradictionis. Ubi contradixit et murmuravit populus.

9. *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos etc.* Quasi dicat: Levitæ in punitione idololatrarum qui vitulum adoraverant, Exod. 32, 28, non sunt miserti amicorum, cognatorum, fratrum, ac filiorum, matrum, aut patrum, sed eos æque ac alios idololatras occiderunt.

Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servave-

10. Judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel: ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum.

11. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus: et qui oderunt eum, non consurgant.

12. Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.

13. Joseph quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente;

14. De pomis fructuum solis ac lunæ;

---

runt. Pactum cum Deo initum, Exod. 24, 8.

10. *Judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel*. Nectenda hæc cum superioribus per appositionem, quasi dicat: Hi custodierunt pactum et eloquia tua, quæ nihil aliud sunt quam judicia et lex tua.

Ponent thymiama in furore tuo. Ad te placandum, quod et fecisse Aaronem legimus, N. 16, 47.

11. *Benedic, Domine, fortitudini ejus*. Laudetur bellica fortitudo Levitarum, quæ maxime enituit in Machabæis.

12. *Amantissimus Domini*. Quemadmodum Jacob Benjamin eximie dilexit, ita et Dominus; quare ex hac tribu primus rex Israeli datus est Saul, et in finibus Benjamin edificatum est templum.

Habitabit confidenter in eo. Heb. *super eum*, Dominum scilicet, cum, ut dixi, intra fines suos templum haberent Benjamitæ et Dominum in eo habitantem.

Quasi in thalamo tota die morabitur. Dominus in templo.

Et inter humeros illius requiescet. Chaldæus vertit: *et in terra ejus habitabit majestas Domini*. Dicitur Deus super humeros Benjamin requiescere, quia futurum erat ut templum Dei super edito monte Moria exstructum, ad eum modum emineret, quo caput eminet super humeros.

13. *De benedictione Domini terra ejus*. Terra ejus a Deo erit benedicta, mire fertilis et amœna. Convenit tota hæc benedictio utrique tribui, Manassis scilicet et Ephraim, sed præcipue Ephraim.

De pomis cœli. Optimis fructibus, ob clementiam cœli et benignos in terram illam influxus.

Et rore, atque abysso subjacente. Facit enim ad fertilitatem ros decidens in sata, et fructus, et aquarum profunda fluenta juxta arbores decurrentia, juxta illud Psalmi 1, 3 *et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*.

14. *De pomis fructuum solis ac lunæ*. Hæc enim duo astra ad bonitatem et maturitatem fructuum maxime occurrunt; luna de nocte humorem subministrando, sol diurno calore humorem excoquendo.

15. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum;

16. Et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. Benedictio illius * qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem nazaræi inter fratres suos. *Exod. 3, 2.

17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius; in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ: hæ sunt multitudines Ephraim; et hæc millia Manasse.

18. Et Zabulon ait: Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Issachar, in tabernaculis tuis.

19. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas

---

15. *De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.* Laudat fructus a soli bonitate: meliores enim sunt ii qui in supinis collibus, quam qui proveniunt in planitie; colles dicuntur æterni et montes antiqui, quia cum ipsa terra a Deo creati sunt.

16. *Et de frugibus terræ.* Campestris et planæ.

Et de plenitudine ejus. Abundantia et copia.

Et super verticem nazaræi. Joseph, qui cur dictus sit nazaræus, vide supra 49, Genes. num. 26.

17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* His verbis regni israelitici, quod in tribu Ephraim præcipuam sedem habuit gloria et fortitudo describitur. Taurus qui in armento dominatur, regis symbolum est; dicitur primogenitus, ut alludatur ad primogenitorum jus, quod ablatum a Ruben consecutus est Joseph.

Cornua rhinocerotis cornua illius. Cornua in Scriptura sæpe sunt fortitudinis symbolum, hinc Psalm. 74, extollere et confringere cornua, est potentiam extollere et deprimere. Nominatim vero rhinocerotis cornua celebrantur, ut cum dicitur, Num. 23, 22, *cujus fortitudo similis est rhinoceroti.*

Hæ sunt multitudines Ephraim; et hæc millia Manasse. Quibus hæ benedictiones conveniunt.

18. *Lætare, Zabulon, in exitu tuo.* Occasione exportationis mercium; nam Zabulon proximus mari mercaturæ addictus fuit.

Et Issachar, in tabernaculis tuis. Tentoriis, casis, mapalibus, agricolarum ac pastorum vitam securam et quietam ducentium.

19. *Populos vocabunt ad montem.* Lætæ et alacres hæ duæ tribus; quippe divitiis et terræ fructibus abundantes, ascendent statis temporibus ad templum, et sua alacritate alias tribus ad idem officium religionis provocabunt.

Victimas justitiæ. Quæ immolantur ut legis præscripto satisfiat.

Inundationem maris quasi lac sugent. Opibus et deliciis externis, quæ navibus invehuntur, affluent: convenit hoc etiam Issachar, quæ tribus, dato Zabuloni frumento etc. opes illas marinas vicissim accipiebat.

justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.

20. Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem.

21. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel.

22. Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.

23. Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini; mare et meridiem possidebit.

Thesauros absconditos arenarum. Vel aurifodinas intelligit, vel thesauros ac gemmas ab exteris allatas, quæ e terra vel arenis extrahi et colligi solent.

20. *Benedictus in latitudine Gad.* Vel latitudine terræ spatiosæ quam trans Jordanem accepit: vel per latitudinem, prosperitatem intelligit.

Quasi leo requievit. Hostes suos non timens.

Cepitque brachium et verticem. Fortes adversarios suos et reges eorum.

21. *Vidit principatum suum.* Excellentiam quamdam suam præ aliis tribubus agnovit et ea gavisus est.

Quod in parte sua. In finibus suis.

Doctor esset repositus. Moses sepultus esset; licet locus nesciretur.

Qui fuit cum principibus populi. Qui Moses in egressu ex Ægypto et vaga per desertum peregrinatione dux, et comes cæterorum populi principum fuit.

Et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel. Juste rexit populum, juxta divinam legem.

22. *Dan catulus leonis.* Vel ad totam tribum, vel ad Samson peculiariter refertur.

Fluet largiter de Basan. Tribus Dan terram suam sortita est ad meridiem Judæ; aliqua tamen pars hujus tribus relicta possessione sibi attributa, aliam sibi sedem quæsivit, et extrema terræ promissæ ad aquilonem et Libanum incoluit; ubi et urbs nomine Dan exstitit. Non procul ab hac urbe duo fontes Jor et Dan oriuntur, qui Jordanem efficiunt; quia ergo fluvius hic terræ sanctæ præcipuus est, dicitur Dan fluere, hoc est, aquas suppeditare ad faciendum flumen et terram rigandam.

De Basan. In regione Basan, quæ et Batanæa dicitur, lacus exiguus est, qui *Phiala* dicitur, ex quo aquæ per subterranæos meatus influunt in fontem Dan, ex quo postea Jordanes.

23. *Nephthali abundantia perfruetur.* Fuit enim regio ejus amœnissima et uberrima.

Mare et meridiem possidebit. Delicias et opes quæ per mare advehuntur; quasi dicat: Nihil deerit

24. Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum.

25. Ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.

26. Non est Deus alius ut Deus rectissimi: ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes,

27. Habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna: ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere.

28. Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cœlique caligabunt rore.

29. Beatus es tu, Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris

---

huic tribui, solum habebit uberrimum, et insuper aliunde deliciis abundabit, a Sidoniis, Tyriis ac Phœnicibus conterminis suis, importatis.

24. *Benedictus in filiis Aser.* Propter copiosam et decoram prolem.

Sit placens fratribus suis. Ejus virgines ad connubia expetentur ab aliis tribubus.

Tingat in oleo pedem suum. Tanta olei copia abundabit, ut eo etiam pedes lavare possit, ut Job. 29, 6, dicebat: *Quando lavabam pedes meos butyro.*

25. *Ferrum et æs calceamentum ejus.* Claviculis ferreis et æreis in calceis ad ornamentum infixis.

Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. Senectus viridis et vegeta, juventuti non absimilis.

26. *Rectissimi.* Dilecti populi Israelis.

Ascensor cœli auxiliator tuus. Qui cœlum inhabitat, et illi quodammodo inequitat.

Magnificentia ejus. Magna ejus sapientia et potentia.

27. *Sursum.* Scilicet in cœlo.

Et subter brachia sempiterna. Brachia sua æterna extensa ad opem ferendam nobis, qui inferiores sumus.

Conterere. Est imperativus passivus; non dicet tantum, sed faciet, conteretque; nam dicere Dei est efficax.

28. *Confidenter, et solus.* Etiam solus absque alio præsidio securus erit.

Oculus Jacob in terra frumenti et vini. Oculi Israelitarum contemplabuntur terram feracem vini et frumenti, quam possidebunt.

Cœlique caligabunt rore. Ros per stillas defluit, et si quando copiosus sit, caligine et nebula solem obtegit, donec rore subsidente, sol nobis reddatur. Promittit ergo copiam roris.

29. *Salvaris in Domino.* Per Dominum.

Scutum auxilii tui. Scutum ad auxilium tibi ferendum.

Et gladius gloriæ tuæ. Neque enim solum scuto protegeris ab hostibus, sed gladio etiam illos impetes.

in Domino? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.

CAPUT XXXIV.

Contemplata terra moritur Moses, et occulte a Deo sepultus fletur a populo, illique Josue substituitur: commendatur propheta Moses a Deo familiaritate et factis per ipsum signis.

* Sup. 3, 27. 32, 49. 2 Mac. 2, 4.

1. Ascendit * ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan,

2. Et universum Nephthali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum,

3. Et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor.

* Gen. 12, 7. 15, 18.

4. Dixitque Dominus ad eum: * Hæc est terra pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.

Negabunt te. Resistent, contradicent tibi, subjici nolent.

Eorum colla calcabis. Eosque coges tibi ignominiosa subjectione parere.

Caput XXXIV. 1. *De campestribus Moab.* In quibus hactenus Israelitarum castra trans Jordanem stationem habuerunt.

Super montem Nebo, in verticem Phasga. Nebo mons altissimus montium Abarim: Phasga vertex sublimissimus montis Nebo. Eo ascendit, quia inde late patebat prospectus promissæ terræ.

Terram Galaad. Late capitur terra Galaad pro tota ea terra quam Rubenitæ, Gaditæ, Manassitæ, possederunt trans Jordanem.

Usque Dan. Usque ad eam urbem, quæ postmodum a Danitis possessa, dicta fuit Dan, cum antea *Lesem* vel *Lais* diceretur. Vide superiori cap. num. 22.

2. *Et universum Nephthali.* Quæ scilicet Nephthalitis attribuenda erat. Idem intellige de aliis tribubus Ephraim, Manasse, Juda etc.

Mare novissimum. Mare Mediterraneum ad occidentem.

3. *Et australem partem.* Quam tribus Juda et Simeon terminabant.

Latitudinem campi Jericho. Hæc cum sua longissimi campi planitie in tribu Benjamin exstitit.

Civitatis palmarum. Jericho quæ sic alibi appellatur, Jud. 1, 16, et 3, 13; et 2 Paral. 28, 15. Ita dicta a multitudine palmarum.

Usque Segor. Juxta Asphaltitem lacum, in quam se recepit Lot, Genes. 19, 23.

5. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino:

6. Et sepelevit eum in valle terræ Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.

7. Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est: non calligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.

8. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus: et completi sunt dies planctus lugentium Moysen.

9. Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi.

10. Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem,

11. In omnibus signis atque portentis quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

12. Et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israel.

---

5. *Mortuusque est ibi Moyses.* Ultimum hoc caput Deuteronomii, aut saltem mortem Mosis, alii ab Esdra, alii, quod verisimilius, a Josue scriptam existimant.

* *In terra Moab.* In terra quæ olim Moabitarum fuerat, sed postea ab Amorrhæis occupata vetus nomen adhuc retinebat.

6. *Et sepelivit eum.* Dominus angelorum ministerio.

Contra Phogor. E regione ejus loci in quo Phogor idolum colebatur.

Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem. Id propterea factum a Deo ne Israelitæ ad idololatriam propensi, eum pro Deo colerent.

8. *Fleveruntque eum etc.* Justa funebria illi persolverunt. * Idque triginta diebus, quot dies etiam Aaronis et Mariæ luctui impensos narrat Josephus lib. 4 antiq. cap. 4. Alioqui luctus septimo die finiebatur, Eccles. 22, 13.

9. *Repletus est.* Repletus fuerat; factum enim hoc est aliquanto ante mortem Mosis.

Posuit super eum manus. Posuerat.

10. *Sicut Moyses.* Hoc est, similis Mosi quoad ea quæ sequuntur.

Quem noscet Dominus facie ad faciem. Cum quo Deus ita familiariter ageret et colloqueretur.

11. *Quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti.* Cui Deus concessit tot signa et prodigia facere propter quæ facienda miserat eum.

EX
CORNELIO A LAPIDE.

SYNOPSIS
OMNIUM PRÆCEPTORUM QUÆ DEUS MOSI DEDIT
COLLECTA EX PENTATEUCHO.

Quia leges mosaicæ sive veteris Testamenti plurimæ sunt, eæque sparsim et confuse toto Pentateucho proponuntur et commiscentur, visum est eas omnes hic in suas classes distribuere, unicaque quasi synopsi ob oculos ponere.

Leges sive præcepta mosaica alia sunt
- Simplicia, alia sunt
  - Moralia sive naturalia.
  - Ceremonialia.
  - Judicialia.
- Mixta, alia sunt
  - Moralia et ceremonialia simul.
  - Moralia et judicialia simul.
  - Ceremonialia et judicialia simul.
  - Moralia, ceremonialia et judicialia simul.

PRÆCEPTA MORALIA SIVE NATURALIA DECALOGI.

Primum. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes: non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles. *Exodi* 20, 2 *et sequentibus.* Huc pertinent et hoc explicant sequentia.

1. Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. *Deut.* 6, 4 *et* 5.

2. Erunt verba in corde tuo; et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens, et ambulans, dormiens atque consurgens. *Deut.* 6, 6 *et* 7.

3. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. *Deut.* 6, 16.

4. Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Levit.* 19, 2.

5. Non inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. *Deut.* 18, 10 *et* 11.

6. Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. *Ib. v.* 13.

7. Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies. *Ibidem, v.* 15.

8. Si surrexerit in medio tui prophetes, frater, filius, filia, aut

uxor, et dixerit: Eamus, et serviamus diis alienis; non acquiescas, sed statim interficies. *Deut.* 13.

9. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos. *Exodi* 20, 23. Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem, ut adoretis eum. *Levit.* 26, 1.

10. Non adores nec colas solem, lunam, stellas etc. *Deut.* 4, 19. Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. *Ibidem, v.* 24.

11. Dissipate aras deorum et gentium, et confringite statuas, lucos comburite, idola comminuite; disperdite nomina eorum de locis illis. *Deut.* 12, 3.

12. Non addetis ad verbum quod vobis, loquor, nec auferetis ex eo. *Deut.* 4, 2.

Secundum. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui id fecerit. *Exodi* 20, 7. Huc pertinent et hoc explicant sequentia.

1. Per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. *Exodi* 23, 13.

2. Per nomen Domini Dei tui jurabis. *Deut.* 6, 13.

3. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. *Levit.* 19, 12.

4. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. *Deut.* 23, 21 *et* 23.

5. Qui maledixerit Deo, et blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. *Levit.* 24, 15 *et* 16.

Tertium. Memento, ut diem sabbati sanctifices: non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt; et requievit in die septimo. *Exodi* 20, 8 *et sequentibus.*

Quartum. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram. *Ibidem, v.* 12. Huc pertinent quæ sequuntur.

1. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices, *Exodi* 22, 28.

2. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio. *Deut.* 16, 18.

3. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. *Ibid. v.* 19.

4. Coram cano capite consurge, et honora personam senis, et time Dominum. *Levit.* 19, 32.

Quintum. Non occides. *Exodi* 20, 13. Huc pertinent.

1. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. *Levit.* 19, 17.

2. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Ibidem, v.* 18.

3. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum. *Ibidem, v.* 14.

4. Proximum vi non opprimes. *Ibidem*, *v.* 13.

5. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus. *Deut.* 24, 16.

Sextum. Non mœchaberis. *Exodi* 20, 14. Huc pertinent.

1. Prohibitiones matrimonii et copulæ cum patre et matre. *Levit.* 18, *v.* 7: cum noverca, *v.* 8: cum sorore, *v.* 9: cum nepte, *v.* 10: cum sorore privigna, *v.* 11: cum amita et matertera, *v.* 12 et 13.

2. Rursum in gradibus affinitatis, cum uxore patrui, *v.* 14: cum nuru, *v.* 15: cum uxore fratris, *v.* 16: cum filia et nepte privigna, *v.* 17: cum sorore uxoris, *v.* 18.

3. De semine tuo non dabis idolo Moloch. *Ibidem, v.* 21.

4. Cum masculo non commiscearis. *Ibidem, v.* 22.

5. Cum omni pecore non coibis. *Ibid. v.* 23.

6. Ne prostituas filiam tuam. *Levit.* 19, 29.

7. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. *Deut.* 23, 17.

Septimum. Non furtum facies. *Exodi* 20, 15. Huc pertinent.

1. Non decipiet unusquisque proximum suum. *Levit.* 19, 11.

2. Non contristabis, nec affliges advenam et peregrinum: quia et vos peregrini fuistis in Ægypto. *Exodi* 22, 21.

3. Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseris eos, vociferabuntur ad me; et ego exaudiam eos, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. *Ibidem, v.* 22, 23 *et* 24; *et Deut.* 10, 18.

4. Nolite facere iniquum aliquid in regula, in pondere, in mensura. *Levit.* 19, 35.

5. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus. *Ibidem, v.* 36.

6. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus: nec erit in domo tua modius major et minor. *Deut.* 25, 13 *et* 14.

7. Non transferes terminos proximi tui. *Deut.* 19, 14.

8. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. *Levit.* 19, 15.

9. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. *Levit.* 24, 18.

Octavum. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Exodi* 20, 16. Huc pertinent.

1. Non suscipies vocem mendacii. *Exodi* 23, 1.

2. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec, in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. *Ibidem, v.* 2.

3. Mendacium fugies. *Ibidem, v.* 7.

4. Non eris criminator, nec susurro in populo. *Levit.* 19, 16.

5. Non facies calumniam proximo tuo. *Ibidem, v.* 13.

Nonum. Non concupisces uxorem proximi tui. *Deut.* 5, 21.

Decimum. Non concupisces domum proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt. *Ibidem.*

PRÆCEPTA CEREMONIALIA, IN SUAS CLASSES DISTRIBUTA.

Ceremonialia:

1 De loco victimarum et sanctuarii.
2 De vasis sancti sanctorum.
3 De vasis sancti.
4 De vasis atrii.
5 De tabernaculo et atrio.
6 De vestibus sacerdotum et pontificis.
7 De consecratione eorum, et Levitarum.
8 De eorum dotibus et muniis.
9 De eorumdem urbibus et proventibus.
10 De sacrificiis.
11 De primogenitis, primitiis et decimis.
12 De censu et oblationibus.
13 De nazaræis et votis.
14 De puerpera.
15 De lepra et leprosis.
16 De iis qui fluunt semine aut sanguine.
17 De eunucho et mamzere.
18 De aqua lustrationis.
19 De munditie castrorum.
20 De simplicitate.
21 De habitu et vestitu.
22 De cibis mundis et immundis.
23 De festis.
24 De homicidiis.

I. *Ceremonialia de loco victimarum et sanctuarii.*

1. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, sed in eo quem elegerit Dominus, ibi offeretis holocausta, victimas, decimas, primitias, vota, donaria, et primogenita; ex iisque comedes ibi in conspectu Domini, et lætaberis. *Deut.* 12, 6, 7, 13, 14.

2. Quod si longior sit via et locus, vendes ea, et proficiscens ad locum, ex pretio emes quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et comedes coram Domino, tu et domus tua, et Levites qui intra portas tuas est. *Deut.* 14, 24 *et sequentibus.*

3. Quin et si ad esum tantum mactes bovem, ovem, aut capram, id facies apud templum, dummodo non procul ab eo habites, ut ibi adipem Deo adolere, et sanguinem illi effundere et libare possis. *Deut.* 12.

4. Ter in anno ascendes ad templum, scilicet in paschate, in pentecoste, et in festo tabernaculorum: nec apparebis in conspectu meo vacuus. *Deut.* 16, 16.

5. Proclamabunt Levitæ maledictiones versus montem Hebal, in violantes legem Dei; et benedictiones versus Garisim, in observantes legem Dei, juxta ritum explicatum. *Deut.* 27.

II. *Ceremonialia de vasis sancti sanctorum, scilicet de arca, propitiatorio, et cherubim.*

1. Arcam de lignis setim compingite, et deaurate, cujus longitudo habeat duos cubitos et semis; latitudo cubitum et dimidium; altitudo cubitum et dimidium, habeatque quatuor circulos aureos quibus inserantur duo vectes, ut portetur in eis, ponesque in arca tabulas legis. *Exodi* 25, 10 *et seq.*

2. Facies et propitiatorium de aureo mundissimo, quod sit operculum arcæ. *Ibidem, v.* 17.

3. Duos quoque cherubim aureos facies, qui utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, respiciantque se mutuo: inde loquar ad te. *Ibid., v.* 18 *et seq.*

III. *Ceremonialia de vasis sancti, scilicet de mensa, candelabro, et altare thymiamatis.*

1. Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem: et inaurabis eam, et pones super eam panes propositionis in conspectu meo semper. Facies et annulos et vectes quibus portetur. *Exodi* 25. De panibus hisce vide dicta, *Levit.* 24, 5.

2. Facies et candelabrum ductile ex talento auri, quod habeat septem calamos, qui singuli habeant tres ordines scyphorum, sphærularum, et liliorum. Impones eis lucernas septem cum oleo, ut luceant ex adverso. *Exodi* 25, *v.* 31 *et seq.*

3. Lucernas has disponet, et accendet sacerdos vespere, ut luceant usque mane. *Exodi* 27, 21.

4. Facies altare ad adolendum thymiama, de lignis setim, habens cubitum longitudinis, et cubitum latitudinis, et duos cubitos altitudinis: vesties illud auro. Facies et annulos et vectes quibus portetur. Pones illud ante velum quod est ante arcam. *Exodi* 30, 1, 2, 3, 4.

5. Adolebit sacerdos super illud thymiama, mane et vespere. *Ibid. v.* 2 *et* 8.

6. Thymiama compones ex stacte, onyche, galbano, et thure lucidissimo. *Ibid. v.* 34.

IV. *Ceremonialia de vasis atrii, scilicet de altari holocaustorum et labro æneo.*

1. Facies altare de lignis setim, quod habeat quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, et tres in altitudine: cavum erit, craticulam illi facies æneam, item vectes, denique lebetes, forcipes, fuscinulas, et ignium receptacula. *Exodi* 27, 1 *et seq.*

2. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna. *Levit.* 6, 12.

3. Altare de terra aut lapide insecto facies mihi, et offeres super eo victimas. *Exodi* 20, 24.

4. Non ascendes per gradus ad altare meum. *Ibidem, v.* 26.

5. Non plantabis lucum apud altare. *Deut.* 16, 21.

6. Facies labrum æneum, ut missa aqua lavent in ea sacerdotes manus suas ac pedes, quando accessuri sunt ad altare. *Exodi* 30, 18, 19 *et* 20.

V. *Ceremonialia de ipso tabernaculo et atrio.*

1. Facies tabernaculum, id est, sanctum sanctorum, et sanctum: et ante sanctum atrium.

2. In sancto sanctorum pones arcam, cum propitiatorio et cherubim: item urnam cum manna. *Exodi* 16, 34. Et virgam Aaron quæ floruit. *Numer.* 17, 10.

3. In sancto pones mensam in parte australi: candelabrum in meridionali, et in medio altare thymiamatis. *Exodi* 40, 20 *et seq.*

4. Denique in atrio pones altare holocaustorum, et labrum æneum. *Ibidem, v.* 26 *et seq.*

5. Tabernaculum compinges ex viginti tabulis, utrimque in longum porrectis, et a tergo in latum decem tabulis: anterius vero velo tegetur. Tabulæ hæ singulæ erunt altæ decem cubitos, latæ cubitum cum dimidio. Unde longitudo tabernaculi erit triginta cubitorum, latitudo decem, altitudo decem: ita ut sanctum sanctorum habeat decem cubitos, tam longitudinis quam latitudinis et altitudinis, sanctum vero habeat reliquos viginti cubitos longitudinis, latitudinis vero et altitudinis decem: velum polymitum dividat sanctum a sancto sanctorum.

6. Tabulæ hæ singulæ habeant binas bases argenteas quibus in terra subsistant: habeant et vectes quinque utrimque, quibus invicem astringantur.

7. Tabulæ hæ pro tecto habeant quatuor tegumenta, scilicet 1°, Decem cortinarum polymitarum. 2°, Undecim sagorum cilicinorum. 3°, Pelles arietum rubricatas. *Exodi* 26.

8. Atrium sit ante sanctum sub dio, quod undique cingatur columnis et velis: in ejus anteriori parte sacerdotes sacrificent: in posteriori sit populus orans et spectans sacrificia. *Exodi* 27.

VI. *Ceremonialia de vestibus sacerdotum et pontificis.*

1. Facies pontifici sex vestes, 1°. Ephod. 2°, Rationale cum duodecim gemmis, in quibus insculpes duodecim nomina filiorum Israel, item *urim* et *tummim*, id est, doctrina et veritas. 3°, Tunicam hyacinthinam cum zona polymita, ex qua inferne dependebunt tintinnabula, et mala punica. 4°, Tiaram cum lamina aurea, cui inscribes *sanctum Domino*. 5°, Tunicam lineam cum baltheo. 6°, Femoralia linea.

2. Sacerdotibus vero facies 1°, Femoralia linea. 2°, Tunicam lineam cum baltheo. 3°, Cidarim sive tiaram. *Exodi* 28.

VII. *Ceremonialia de consecrationi pontificis, sacerdotum et Levitarum.*

1. Facies unguentum ex stacte, cinnamomo, calamo, casia, et oleo, eoque unges et consecrabis tabernaculum, arcam, mensam, candelabrum, labrum, altare, omniaque vasa eorum, Aaronem quoque cum filiis. *Exodi* 30, 23 *et seq*.

2. Consecra, o Moses, Aaronem et filios ejus sacerdotes, hoc ritu. 1°, Lava eos. 2°, Indue eos vestibus sacerdotalibus. 3°, Offer vitulum pro peccato, et duos arietes, unum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam, cum panibus azymis. 4°, Per dies septem quotidie unge tam ipsos quam altare. Denique die octavo Aaron suas quasi primitias celebret, omnisque generis victimas immolet. *Exodi* 29 *et Levit.* 8 *et* 9. Tumque duodecim principes duodecim tribuum sua dona offerant tabernaculo recens erecto, scilicet 1°, Simul sex plaustra. 2°, Seorsim singuli vicissim suas victimas et vasa ad usum tabernaculi. *Numer*. 7.

3. Levitas hoc ritu consecra. 1°, Tu, o Moses, asperges eos aqua lustrationis. 2° Radant ipsi pilos omnes carnis suæ. 3°, Lavent vestes suas. 4°, Offerant unum bovem pro peccato, alterum in holocaustum. 5°, Siste eos Domino. 6°, Filii Israel imponant eis manus suas. 7°, Aaron offerat eos Domino, eorumque boves immolans pro eis oret. *Numer*. 8, 6 *et seq*.

VIII. *Ceremonialia de eorum dotibus et muniis.*

1. Levitæ servient in tabernaculo a vigesimo quinto anno usque ad quinquagesimum. *Ibidem*, *v*. 24, 25.

2. Levitæ custodient et portent omnia vasa tabernaculi. *Numer*. 3, 6. Scilicet Caathitæ portent arcam, mensam, candelabrum et altare: Gersonitæ cortinas et vela: Mereritæ tabulas, vectes, columnas et bases. *Numer*. 4.

3. Sacerdotes careant maculis, id est, vitiis corporis, puta non sint cæci, non claudi, non parvo, grandi vel torto naso, non fracto pede vel manu, non gibbosi, non lippi, non habeant albuginem in

oculo, non jugem scabiem, vel impetiginem, non sint herniosi. *Levit.* 21, 17 *et seq.*

4. Sacerdotes abstineant funeribus et planctu. *Ibid. v.* 1.

5. Pontifex nec matrem nec patrem plangat. *Ibid. v.* 2.

6. Pontifex uxorem non ducat, nisi virginem et nobilem. *Ibidem, vers.* 13.

7. Sacerdotes cum ingrediuntur tabernaculum, vinum et siceram non bibant, ne moriantur, ut discernant inter sanctum et profanum, utque doceant filios Israel præcepta mea. *Levit.* 10, 9, 10 *et* 11.

8. Quicumque e stirpe Aaron fuerit leprosus, seminifluus aut immundus, non comedet ex iis quæ Deo sanctificata sunt. *Levit.* 22, 4.

9. Sacerdotum munus est, 1°, Sacrificare in atrio. 2°, Quotidie vespere accendere lucernas candelabri in sancto. 3°, Singulis diebus sabbatinis ponere novas panes propositionis in mensa. 4°, Quotidie mane et vespere adolere thymiama. 5°, Benedicere populo.

10. Proprium pontificis est, semel in anno, in die expiationis, expiare totum populum, ipsumque tabernaculum, lustrando sanctum sanctorum. *Levit.* 16.

11. Hac forma sacerdotes benedicant populo: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat tibi faciem suam, et misereatur tui, convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. *Num.* 6, 24, 25 *et* 26.

IX. *Ceremonialia de eorumdem urbibus et proventibus.*

1. In terra Israel partem non habeant sacerdotes et Levitæ. *Numer.* 18, 20.

2. Dabitis Levitis urbes ad habitandum, et suburbana ad mille cubitos in circuitu pro alendis eorum pecoribus, *Numer.* 35.

3. Sacerdotes habeant, 1°, Omnia primogenita. 2°, Omnes oblationes. 3°, Omnes victimas; puta ex holocausto pellem, ex pacifica pectusculum et armum dextrum, ex hostia pro peccato totam carnem, ex mincha totum, excepto pugillo qui crematur Domino. *Levit.* 6 *et* 7; *et Num.* 18.

4. Levitæ habeant omnes decimas, ex iisque rursum decimas dent sacerdotibus, easque meliores et selectiores. *Num.* 18, 26.

5. Si Levites desiderans servire Domino, ex urbe sua venerit ad templum, ut ibi ei ministret, partem ciborum accipiet eamdem quam et cæteri qui ministrant: insuper et partem decimarum quæ ei in sua urbe ex lege debetur, nanciscetur. *Deut.* 18, 6 *et seq.*

X. *Ceremonialia de sacrificiis, scilicet de holocausto, mincha, hostia pacifica, et victima pro peccato.*

1. Victima holocausti sit mascula et integra, totaque Deo comburatur, excepta pelle quæ cedet sacerdoti sacrificanti. *Levit.* 1; *et Lev.* 7, 8.

2. Victima hæc sit vel ex bobus, vel ex ovibus et capris, vel ex turturibus et columbis. *Levit.* 1.

3. Quotidie offeres holocaustum juge, puta agnum mane et agnum vespere, qui tota nocte in altari cremetur, cum decima parte ephi similæ, quæ conspersa sit oleo quartæ partis hin, et simul libabis vini quartam partem hin, tam mane quam vespere. *Num.* 18, 3 *et seq.*

4. Mincha, id est, sacrificium farreum offeratur, vel ex simila, vel ex spicis, vel ex panibus coctis, sive clibano, sive sartagine, sive craticula. *Levit.* 2.

5. Mincha sale condiatur, eique infundatur oleum, et imponatur thus. *Ibid. v.* 1.

6. Mincha sit infermentata et careat melle. *Ibidem, v.* 11.

7. Pugillus ex mincha cremetur Deo: reliquum cedat sacerdoti. *Ibidem.*

8. Hostia pacifica sit bos, ovis, aut capra: ex ea, 1°, Sanguis et adeps cum renibus et cauda, si sit ovis, adoletur Deo. 2°, Pectus et armus dexter cedat sacerdoti sacrificanti. 3°, Caro reliqua cedat laico offerenti. *Levit.* 3.

9. Immundus non comedet ex ea. *Levit.* 7, 20; sed soli mundi, tam mares quam feminæ, idque primo die, si sit hostia gratiarum actionis, vel etiam secundo die, si sit hostia votiva vel spontanea: si quid supersit tertio die, igne comburetur. *Levit.* 7, 15 *et seq.*

10. Hostia pro peccato, per ignorantiam commisso a pontifice vel populo, sit hircus: a plebeio, sit capra vel ovis. *Levit.* 4. Ex hac sanguis, adeps, renes et cauda cremabuntur Deo; reliquam carnem comedent sacerdotes cum filiis masculis. *Levit.* 6, 18; *et Levit.* 7, 3.

11. Qui calumniam aut injuriam fecit proximo, offerat arietem pro peccato. *Levit.* 6, 6.

12. Victima quælibet sit sine macula, id est, sit integra, puta non sit cæca, fracta: scabiosa etc. *Levit.* 22, 22.

13. Victima carnium habeat sua libamina, puta similam, oleum, vinum, sal, et thus, ea mensura quæ præscribitur. *Num.* 15, 4 *et seq.*

14. Si quando habebitis epulum, et dies festos, et calendas; canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis. *Num.* 10, 10.

XI. *Ceremonialia de primogenitis, et primitiis et decimis.*

1. Sanctifica mihi omne primogenitum masculum, tam de hominibus quam de jumentis; mea sunt enim omnia. *Exodi* 13, *v.* 2 *et* 12.

2. Primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies. *Ibidem, v.* 13.

3. Primogenitum hominis pretio redimes, puta quinque siclis. *Numer.* 18, 16.

4. Primogenitum animalis septem diebus sit cum matre sua: die octava reddes illud mihi. *Exodi* 22, 30.

5. Primogenita nemo poterit vovere: Domini enim sunt. *Levit.* 27, 26.

6. Primogenitum immundum redimatur. *Levit.* 27, 27.

7. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium. *Deut.* 15, 19.

8. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu (o sacerdos) et domus tua. *Ibidem, v.* 20.

9. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini. *Exodi* 23, 19.

10. Primitias spicarum hordei offeres in paschate, puta die secundo azymorum. *Levit.* 23, 10.

11. Primitias panum offeres in pentecoste. *Ibidem, v.* 17.

12. Primitias frugum omnium offeres in fine anni, easque offerens dices: Profiteor hodie coram Domino, quod Deus introduxerit me in terram melle et lacte manantem. *Deut.* 26, 2 *et sequent.*

13. Cum plantaveris arborem, fructus quos tribus primis annis illa proferet, abjicies quasi immundos et incircumcisos: fructus vero quarti anni offeres Domino: itaque quinto anno vesceris fructibus ejus, *Levit.* 19, 23 *et seq.*

14. Decimæ fructuum et frugum omnium Deo offerantur. *Lev.* 27, 30.

15. Decimæ animalium, puta ovis, bovis, et capræ, Deo offerantur. *Levit.* 27, 32.

16. Quotannis duplices decimas separabis; primas dandas Levitis, secundas pro itinere et victimis dandis Deo, cum ter in anno ascendes ad templum: tertio vero anno separabis decimas pro pauperibus. *Deut.* 14, 22 *et seq.*

XII. *Ceremonialia de censu solvendo et de oblationibus.*

1. Quando tuleris summam filiorum Israel, dabunt singuli pretium pro animabus suis; puta dimidium sicli, idque trades in usus tabernaculi. *Exodi* 30, *v.* 12, 13, 16.

2. Offerant filii Israel pro fabrica tabernaculi aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum, byssum, pillos caprarum, pelles arietum, ligna setim, oleum, aromata, lapides onychinos, et gemmas. *Exodi* 25, 3 *et seq.*

3. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui. *Deut* 23, 18.

4. Levitæ decimas meliores et pinguiores offerant Domino. *Numer.* 18, 32.

XIII. *Ceremonialia nazaræorum et votorum.*

1. Vovens votum nazaræi, 1°, Vinum, siceram, et quidquid ab uvis exprimitur, non bibet, nec uvas recentes, aut siccas comedet. 2°, Comam non tondebit. 3°, Non intrabit ad funus, etiam patris et matris.

4°, Si quis coram eo moriatur, polluetur: unde radet caput die primo et septimo: octavo vero die offeret duos turtures vel duos pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum. 5°, Completis diebus voti, offeret agnum anniculum in holocaustum pro peccato et arietem in hostiam pacificam, cum sua simila et libamine, tuncque radet caput et crines comburet Domino. *Numer.* 6.

2. Homo qui se devovit Deo, redimat se pretio, quod pro ætate et sexu taxatura Deo. *Levit.* 27, 2.

3. Animal immolabile, Deo per votum oblatum, reipsa detur, non mutetur in aliud, nec redimatur. *Ibidem*, *v.* 9 *et* 10.

4. Animal quod immolari non potest si Deo voveatur, vendetur, pretio quod sacerdos statuet: quod si vovens dare voluerit, addat insuper quintam pretii partem. *Ibidem*, *v.* 11, 12 *et* 23.

5. Domus Deo vota, pretio a sacerdote taxando vendatur: quod si vovens eam redimere voluerit, addat pretio taxato quintam ejus partem. *Ibid.* *v.* 14 *et* 15.

6. Hæres vovens agrum hæreditarium, qui triginta modiis hordei seritur, redimere eum potest quinquaginta siclis, solvendis pro rata annorum qui supersunt usque ad jubilæum: quod si eum non redimat, sed ager alteri vendatur, nunquam ipse eum, ne quidem in jubilæo recipere poterit; sed ager absolute et in perpetuum cedet in jus Dei et sacerdotum. *Ibid.* *vers* 16 *et seq.*

7. Si vovens agrum non sit hæres, sed emtor agri, hic redimet eum pretio, quod taxabit sacerdos, juxta numerum annorum qui supersunt usque ad jubilæum: nam in jubilæo ager ad primum hæredem redire debet. *Ibidem*, *v.* 22 *et seq.*

8. Quod per votum *cherem*, id est anathematis, Deo consecratum est, non redimatur; sed moriatur, aut naturaliter, si animal sit; aut civiliter, si homo sit, domus aut ager. *Ibid.* *v.* 28 *et* 29.

9. Pater filiæ, maritus uxoris votum irritare potest, si illi contradicat statim, id est, primo die quo illud rescivit; quod si eo die taceat, secundo die contradicere votumque irritare nequit. *Num.* 30.

XIV. *Ceremonialia purificationis puerperæ.*

1. Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus. *Levit.* 12, 2.

2. Die octavo circumcidetur infantulus. *Ibid.* *v.* 3.

3. Ipsa manebit triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. *Ibid.* *v.* 4.

4. Sin feminam pepererit, immunda erit quatuordecim diebus, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. *Ibid.* *v.* 5.

5. Cumque expleti fuerint dies purificationis, offeret agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato; si pauper sit, offeret duos turtures tantum, vel duos pullos columbarum. *Ibidem*, *v.* 6 *et* 8.

XV. *Ceremonialia de lepra et leprosis.*

1. *Levit.* 13 septem statuuntur species lepræ: prima est lepra alba et lucens, *vers.* 3. Secunda est lepra recurrens, *vers.* 7. Tertia est lepra inolita, *vers.* 10. Quarta est lepra mundissima, *vers.* 13. Quinta est lepra capitis et barbæ, *vers.* 29. Sexta est lepra in calvitio, *vers.* 42. Septima est lepra vestis, *vers.* 47, et domus, *cap.* 14, *vers.* 35.

2. *Levit. cap.* 13, *v.* 44, 45 *et* 46, quinque mandantur leproso. 1°, Ut habeat vestes dissutas. 2°, Caput nudum. 3°, Os tectum. 4°, Clamet se sordidum. 5°, Solus habitet extra castra.

3. *Levit.* 14 statuitur ritus quo legaliter expiari debet is qui a lepra est curatus, scilicet 1°, Ut sacerdos aspergat expiandum sanguine passeris, per alium passerem, alligatum baculo cedrino, cum cocco et hyssopo, mox passerem vivum avolare sinat, *vers.* 5. 2°, Expiandus lavet vestes, radat pilos corporis, ac lavet seipsum, *vers.* 8. 3°, Die octavo offerat agnum pro delicto et agnum pro peccato, et ovem anniculam in holocaustum, cum tribus decimis similæ et olei sextario, *vers.* 10. Si mundandus sit pauper, pro hisce jam dictis, offerat agnum pro delicto, et duos turtures vel duos pullos columbæ, unum pro peccato alterum in holocaustum, cum tribus decimis similæ et olei sextatario, *vers.* 21. 4°, Sanguine agni tingat sacerdos aurem dextram mundandi, et pollices dextræ manus et pedis. 5°, Ex oleo aspergat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundat super extremum auriculæ dextræ, et super pollices manus ac pedis dextri, et super caput expiandi, *vers.* 25 *et seq.* Simili ratione lustranda est vestis aut domus cum a lepra fuerit curata, *vers.* 49.

XVI. *Ceremonialia de seminifluis, concumbentibus, menstruatis et hæmorrhoissis.*

1. Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. *Levit.* 15, 2.

2. Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, et ubicumque sederit. *Ibidem, v.* 4.

3. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua etc. *Ibid. v.* 5.

4. Si sanatus fuerit, numerabit septem dies, et lotis vestibus et toto corpore, erit mundus. *Ibid. v.* 13.

5. Die autem octavo offeret duos turtures vel pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum. *Ibid. v.* 14 *et* 15.

6. Vir de quo egredietur semen coitus (concumbens cum muliere), lavabit aqua omne corpus suum, et immundus erit usque ad vesperum. *Ibid. v.* 16. Idem faciet mulier. *Ibid. v.* 18.

7. Mulier quæ patitur menstrua, septem diebus separabitur. *Ibidem, vers.* 19.

8. Hæmorrhoissa immunda erit, omnem stratum in quo dormierit, et omne vas in quo sederit, pollutum erit. *Ibid. v.* 25 *et* 26.

9. Si steterit sanguis numerabit septem dies, et octavo die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum pro peccato, alterum in holocaustum. *Ibid.* v. 28, 29 *et* 30.

XVII. *Ceremonialia de eunucho et mamzere sive spurio.*

1. Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, ecclesiam Domini. *Deut.* 23, 1.

2. Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini; usque ad decimam generationem. *Ibid.* v. 2.

XVIII. *Ceremonialia de aqua lustrationis ex cinere vitulæ rufæ.*

1. Accipe vaccam rufam sine macula, quæ non portaverit jugum: hanc immolet sacerdos extra castra, totamque comburat cum ligno cedrino, cocco bis tincto, et hyssopo. Colliget autem vir cineres vaccæ, qui in aquam vivam spargentur, iisque is qui immundus est, præsertim ex contactu mortui vel morticini, aspergetur die tertio et septimo, itaque expiabitur. *Num.* 19, 2 *et seq.*

2. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et omnia vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus: sic et qui tangunt cadaver, vel ossa, aut sepulchrum hominis mortui, immundi sunt et expiabuntur aspersione aquæ cineralis jam dictæ die tertio et septimo. *Ibid.* v. 14 *et seq.*

3. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiæ. *Ibid.* v. 20.

XIX. *Ceremonialia de munditie castrorum.*

1. Homo nocturno pollutus somnio, egredietur extra castra, et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua. *Deut.* 23, 10 *et* 11.

2. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo; cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies quo relevatus es, et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, quia Dominus est in medio castrorum tuorum. *Ibid.* v. 12, 13 *et* 14.

XX. *Ceremonialia de simplicitate et fuga duplicitatis.*

1. Non seres vineam tuam altero semine. *Deut.* 22, 9.
2. Non arabis in bove et asino. *Ibid.* v. 10.
3. Non indueris veste ex lana et lino contexta. *Ibid.* v. 11.
4. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. *Levit.* 19, 19.

XXI. *Ceremonialia de habitu et vestitu.*

1. Non attondebitis comam in rotundum, nec radetis barbam. *Levitici* 19, 27.

2. Super mortuo non incidetis carnes, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. *Ibid. v.* 28.

3. Non facietis calvitium super mortuo: quoniam populus sanctus es Domino. *Deut.* 14, 1 *et* 2.

4. Vestes vestræ habeant fimbrias cum vittis hyacinthinis, quæ vos semper admoneant legis Dei. *Num.* 15, 38 *et* 40.

XXII. *Ceremonialia de cibis mundis et immundis.*

1. Terrestria quæ ungulam dividunt, et ruminant, munda sunt, ut bos, ovis, hædus, cervus, capra: bubalus, tragelaphus, pygargus, camelopardalus. *Deut.* 14, 4, 5 *et* 6.

2. Quæ vero ungulam non dividunt, ut camelus, lepus, cuniculus, chœrogryllus, aut non ruminant, ut porcus, immunda sunt. *Levit.* 11, 4, 5, 6 *et* 7.

3. Pisces mundi sunt qui habent pinnulas et squamas; immundi qui vel pinnulis vel squamis carent. *Ibid. v.* 9 *et* 10.

4. Aves immundæ sunt, aquila, gryphus, haliæetus, ixius, vultur, milvus, struthio, noctua, larus, accipiter, herodius, cygnus, ibis, mergulus, porphyrio, nycticorax, onocrotalus et charadrius. *Deut.* 14, *vers.* 12 *et seq.*

5. Omne quod reptat et pennulas habet, immundum est. *Ibidem, vers.* 19.

6. Reptilia omnia immunda sunt, et tangentem contaminant. *Levitici* 11, 29 *et seq.*

7. Locustæ; quia saliunt, mundæ sunt. *Ibid. v.* 21 *et* 22.

8. Mustela, mus, crocodilus, mygallæ, chamæleon, stellio, lacerta, talpa, immunda sunt. *Ibid. v.* 29, 30 *et* 31.

9. Omnis cibus, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit. *Ibid. vers.* 34.

10. Si mortuum fuerit animal, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum; et qui comederit ex eo, lavabit vestes suas, et immundus erit usque ad vesperum. *Ibid. v.* 39 *et* 40.

11. Non comedetis animal sponte mortuum, sed peregrino illud vendetis. *Deut.* 14, 21.

12. Carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus. *Exodi* 22, 31.

13. Adipem non comedetis, sed Deo adolebitis si sitis juxta templum. *Levit.* 17, 6.

14. Sanguinem non comedetis, sed eum Deo effundetis. *Ibidem.*

XXIII. *Ceremonialia festorum.*

Pascha. 1. Mensis iste (nisan, id est, martius) primus erit in mensibus anni. Decima ejus die tollat sibi quisque agnum, aut hædum,

qui integer sit, masculus, anniculus, quem immolabit decima quarta die ad vesperam, assabit et comedet cum lactucis agrestibus et panibus azymis: septem diebus comedetis azyma. *Exodi* 12, 2 *et seq*.

2. Os non confringetis ex eo: nullus incircumcisus vescetur ex eo, sed quicumque circumcisus est, esto sit advena, sit servus. *Ib.v*.44 *et* 46.

3. In eadem domo comedetur; non efferes extra domum foras, e carne non relinquent quidquam ex eo usque mane, sed quod reliquum est igne comburent. *Ibidem, v*. 10 *et* 46.

4. Qui fuerit immundus, aut in via procul, faciat phase mense secundo, die decima quarta ad vesperam. *Num*. 9, 10 *et* 11.

5. In loco quem elegerit Dominus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis phase. *Deut*. 16, 6.

6. Primo die azymorum et septimo, abstinebitis ab opere. *Exodi* 12, 16.

7. Secundo die azymorum offeres primitias spicarum hordei, et cum eis offeres agnum in holocaustum: nec ante gustabis novum panem aut polentam. *Levit*. 23, 10 *et seq*.

8. In paschate quotidie per septem dies, immolabis in holocaustum vitulos duos, arietem unum, agnos septem, et pro peccato hircum unum, cum suis libaminibus. *Num*. 28, 16 *et seq*.

1. Pentecostes. Numerabis a secundo die azymorum quinquaginta dies, et quinquagesima erit pentecoste: in qua offeretis panes primitiarum duos, offeretisque cum panibus septem agnos, vitulum unum et arietem unum in holocaustum, hircum alterum pro peccato, et duos agnos in hostiam pacificorum. *Levit*. 23, 15 *et seq*.

2. Rursum ratione festi offeretis vitulos duos, arietem unum, agnos septem in holocaustum, et hircum unum pro peccato. *Num*. 28, 27.

Tubarum. Primo die mensis septimi, erit festum clangoris tubarum: opus non facietis in eo. *Levit*. 23, 24 *et* 25. Tuncque immolabitis vitulum unum, arietem unum, agnos septem. *Num*. 29, 2.

Expiationis. Decimo die mensis septimi erit festum expiationis: in eo affligetis animas vestras. *Levit*. 23, 27. In eo offeretis vitulum unum, arietem unum, agnos septem. *Num*. 29, *vers*. 8. Insuper pontifex dabit sortes duobus hircis, uter immoletur, uter sit emissarius, expiabitque sanctum et sanctum sanctorum eo ritu quem dixi. *Lev*. 16.

Tabernaculorum. Decimo quinto die mensis septimi celebrabitis festum tabernaculorum per septem dies, tumque 1°, Habitabitis in tabernaculis. 2°, Accipietis fructus citri, spatulas palmarum, ramos myrti et salicum; et saltabitis lætabundi coram Domino. *Levit*. 23, 34 *et seq*. 3°, Offeretis per singulos dies victimas præscriptas. *Num*. 29, 13.

Cœtus. Dies octava erit festum cœtus et collectæ. *Levit*. 23, 36.

Calendæ. Primo die cujusque mensis offeretis in holocaustum vitulos duos, arietem unum, agnos septem, cum suis libaminibus. *Num*. 28, 11.

SABBATUM. Septimo die septimanæ, erit solemnitas sabbati: in eo non facietis opus: nec ignem accendetis. *Exodi* 35, 2 *et* 3. Tumque præter sacrificium juge, offeretis duos agnos in holocaustum, cum suis libaminibus. *Num.* 28, 9.

SEPTIMUS ANNUS. Anno septimo, qui est libertatis et remissionis, 1°, Non seres, non metes, non putabis, non vindemiabis. 2°, Remittes fratri tuo, puta judæo, omnia quæ tibi debet. 3°, Servos hebræos liberos dimittes. 4°, Leges Deuteronomium. *Hæc omnia patent Exodi* 23, 11, *et cap.* 21, 2; *Lev.* 25, 3 *et seq. Deut.* 31, 10.

JUBILÆUM. 1. Anno septies septimo, id est, quadragesimo nono mense septimo, proclamabis sequentem annum quinquagesimum fore jubilæum. *Levit.* 25, 8 *et seq.*

2. In jubilæo 1°, Non seres: nec metes. 2°, Remittes judæo omnia debita. 3°, Servos manumittes. 4°, Omnes redibunt ad avitas hæreditates gratis et sine pretio. *Ibidem*, *v.* 11 *et seq.*

XXIV. *Ceremonialia circa homicidia.*

1. Si inventum sit cadaver occisi in agro, seniores urbis vicinæ adducent vitulam ad vallem asperam, ibique eam mactabunt, ac super eam lavabunt manus suas, et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc: nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israel. *Deuteron.* 21, 1 *et seq.*

2. Homicida casualis sit in urbe refugii usque ad mortem pontificis. *Num.* 35, 25.

PRÆCEPTA JUDICIALIA IN SUAS CLASSES DISTRIBUTA.

Judicialia:

1 Regis.
2 Belli.
3 Matrimonii et repudii.
4 Homicidiorum.
5 Cædis animalium.
6 Testis.
7 Servi et ancillæ.
8 Bestiarum.
9 Mercenariorum, peregrinorum et pauperum.
10 Pignorum.
11 Usurarum.
12 Furtorum et damnorum.
13 Depositi.
14 Commodati.

I. *Judicialia regis.*

Regem delige ex gente tua, isque non multiplicet, 1°, Equos. 2°, Uxores. 3°, Opes. 4°, Describat legatque assidue Deuteronomium. 5°, Superbe non efferat se supra populum. *Deut.* 17, *vers.* 15 *et seq.*

II. *Judicialia belli.*

1. Si exieris ad bellum, stabit sacerdos ante aciem, dicetque : Audi, Israel, nolite metuere, nolite cedere, quia Dominus in medio vestri est. *Deut.* 20, 1 *et seq.*

2. Duces quoque proclamabunt, ut qui ædificarunt novas domos, aut vineas, item sponsi et pavidi, domum redeant. *Ibid. v.* 5, 6 *et* 7.

3. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. *Deut.* 23, 9.

4. Si urbs se dat, fiat tributaria ; sin secus, vi expugnetur, masculi omnes occidantur, præter infantes : in Chananæa autem omnes omnino etiam feminæ et infantes occidantur. *Deut.* 20, *vers.* 11 *et seq.*

5. Arbores frugiferas juxta urbem ne cædas, sed infrugiferas, ut ex eis machinas bellicas instruas. *Ibid. v.* 19 *et* 20.

6. Fac duas tubas argenteas ductiles, quibus convoces populum, quando movenda sunt castra. *Num.* 10, 2.

7. Si exieritis ad bellum, clangetis ululantibus tubis, et Deus recordabitur vestri, dabitque victoriam. *Ibid. v.* 9.

8. Delebis memoriam Amalec de sub cœlo. *Deut.* 25, 19.

9. Delebis Chananæos omnes. *Exod.* 23, 33.

III. *Judicialia matrimonii et repudii.*

1. Matrimonium nemo contrahet in gradibus consanguinitatis et affinitatis prohibitis. *Levitici* 18. *Recensui eos ibi, et in præcepto sexto decalogi.*

2. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes. *Levit.* 18, 19.

3. Si frater mortuus sit sine liberis, uxorem ejus accipiet frater ejus, et suscitabit semen fratri suo, et primogenitum nomine illius nominabit. *Deut.* 25, 5 *et* 6.

4. Sin noluerit, uxor fratris coram senioribus tollet calceamentum de pede ejus, et spuet in faciem ejus, vocabiturque domus discalceati. *Ibid. v.* 7 *et seq.*

5. Si uxor non invenerit gratiam in oculis mariti ob aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam. *Deuteron.* 24, 1.

6. Si uxor dimissa nupserit secundo marito, et ille deinde dimiserit eam, non poterit illa ad priorem maritum reverti. *Ibid. v.* 2 *et* 3.

7. Si quis in bello captam mulierem alienigenam ob pulchritudinem

adamarit, introducet eam in domum suam, quæ radet caput suum; et præcidet ungues, ac mutabit vestem, flebitque patrem et matrem per mensem, quo expleto accipiet eam in uxorem: si postea ei displicuerit, non vendat, sed liberam eam dimittat. *Deut.* 21, 11, 12, 13, 14.

8. Si maritus habuerit duas uxores, unam dilectam, alteram odiosam, et filius odiosæ fuerit primogenitus, dabit ei jura primogenituræ, nec præferet ei filium dilectæ. *Ibid. v.* 15 *et* 16.

9. Puellæ quæ deficiente prole mascula, hæredes sunt patris sui, nubant in tribu sua, non in aliena. *Num.* 36, 6.

IV. *Judicialia circa homicidia.*

1. Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur. *Levitici* 24, 17.

2. Non accipies pretium ab eo qui reus est sanguinis, sed occides eum sine misericordia. *Num.* 35, 31.

3. Qui irrogaverit maculam, sicut fecit, sic fiet ei: oculum pro oculo, dentem pro dente, restituet. *Levit.* 24, *v.* 19 *et* 20.

4. Qui casu vel ignorans occidit hominem, fugiet ad civitates refugii, ibique manebit usque ad mortem pontificis. *Num* 35, 25.

5. Si extra urbes refugii deprehendatur, propinquus occisi interficiet eum. *Ibid. v.* 19.

6. Qui percusserit virum lapide, si surrexerit ille, et ambulaverit foris, percutiens operas ejus, et impensas in medicos restituet. *Exodi* 21, 19.

7. Qui percusserit servum, vel ancillam virga, et illi mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. *Ibidem, v.* 20.

8. Sin autem uno die, vel duobus supervixerint, non subjacebit pœnæ: quia servus est, qui pecunia est emtus. *Ibidem, v.* 21.

9. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, pendet percussor id quod arbitri judicabunt. *Ibidem*, *v.* 22.

10. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. *Ibidem, v.* 23 *et* 24.

11. Si percusserit quis oculum servi aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit: pari modo si dentem eis excusserit. *Ibidem, v.* 26 *et* 27.

12. Qui furem diurnum occidit, occidatur. *Exodi* 22, 3.

13. Facies murum tecti per circuitum, ne quis ex eo labatur, sisque sanguinis reus. *Deut.* 22, 8.

14. Suspensi cadaver non manebit in ligno, sed eadem die sepelietur, quia maledictus omnis qui pendet in ligno. *Deut.* 21, 23.

15. Si quem judices plagis dignum judicent, pro mensura delicti, erit et plagarum modus, sed numerum quadragenarium non excedet. *Deut.* 25, 3.

16. Si rixati fuerint duo viri, et uxor unius apprehenderit verenda alterius, abscindes manum illius. *Deut.* 25, 11 *et* 12.

V. *Judicialia circa cædem animalium.*

1. Qui percusserit animal, reddet aliud. *Levit.* 24, 21.
2. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur. *Exodi* 21, 29.
3. Si bos cornupeta fuerit, et contestati sunt dominum, nec recluserit eum, occideritque hominem, bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occident. *Ibidem.*
4. Si servum, vel ancillàm invaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur. *Ibid. v.* 32.
5. Si quis aperuit cisternam, ceciderique bos, aut asinus in eam; reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. *Ibid. v.* 33 *et* 34.
6. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit; vendent bovem vivum, et divident pretium, cadaver quoque mortui inter se dispertient. *Ibidem, v.* 35.

Si enim sciebat quod bos cornupeta esset, et non custodivit eum dominus, reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet. *Ibidem, v.* 36.

VI. *Judicialia testis.*

1. Non stabit testis unus contra aliquem, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum. *Deut.* 19, 15.
2. Testis falsus crimen talione luat, detque animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente etc. *Ibidem, v.* 19.
3. Manus testium prima lapidet colentem deos alienos, deinde manus reliqui populi. *Deut.* 17, *v.* 7.
4. Testis, nisi indicaverit id quod vidit aut scit, portabit iniquitatem suam. *Levit.* 5, 1.

VII. *Judicialia servi et ancillæ, id est, servæ.*

1. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit. *Deuteronomii* 23, 15.
2. Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi: et in septimo egredictur liber gratis. *Exodi* 21, 2.
3. Non dimittes eum vacuum, sed dabis ei viaticum. *Deut.* 15, 14.
4. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habens uxorem, et uxor egredietur simul. *Exodi* 21, 3.
5. Sin dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios, mulier et liberi erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. *Ibid., v.* 4.
6. Si uxorem et proles nolit dimittere servus, judices ad postem

aurem ejus perforabunt subula, et servus erit domino suô in seculum id est, usque ad jubilæum. *Ibid. v.* 5 *et* 6.

7. Hebræa in servam emi nequit, nisi herus promittat se eam sibi vel filio in uxorem accepturum: quod si illa postea ei displicuerit, non vendet eam, sed liberam dimittet. *Ibid. v.* 7 *et* 8.

8. Si eam filio uxorem dederit, et insuper aliam ei superinduxerit, curabit ut priori, scilicet servæ, jus conjugale constet, cum congruo vestitu et pretio pudicitiæ, id est, sustentatione uxori debita: si tria ista non fecerit, egredietur serva gratis, fietque libera. *Ibid. v.* 9, 10 *et* 11.

9. Si paupertate compulsus, vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes; sed quasi mercenarius operabitur apud te, usque ad jubilæum, tumque cum liberis suis liber egredietur. *Levit.* 25, *v.* 39, 40 *et* 41.

10. Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, et de advenis. *Ibid. v.* 44 *et* 45.

11. Si quis hebræus se vendiderit peregrino, unus e propinquis redimet eum pretio, taxando pro rata annorum qui supersunt usque ad jubilæum; quod si redemtus refundere possit, exibit liber: sin autem, ut mercenarius serviet propinquo redimenti se, usque ad jubilæum. *Ibid. v.* 47 *et seq.*

VIII. *Judicialia circa misericordiam in bestias.*

1. In nido non accipies matrem cum pullis. *Deut.* 22, 6.

2. Si videris asinum amici vel inimici tui sub onere decumbere, erigendo eriges eum. *Deut.* 22, 4; *Exodi* 23, 5.

3. Non arabis in bove et asino. *Deut.* 22, 10.

4. Non coques hædum in lacte matris. *Exodi* 23, 19.

5. Non aligabis os bovi trituranti. *Deut.* 25, 4.

6. Si videris bovem, asinum, aut pecudem etc. fratris tui errare, colliges et reduces eum fratri tuo, etiamsi is tibi sit inimicus. *Deuteron.* 22, 1, 2 *et* 3.

7. Primogenitus bovis septem diebus sit cum matre sua, die octava offeres illum Domino. *Exodi* 22, 30.

IX. *Judicialia circa mercenarios, peregrinos, pupillos et viduas.*

1. Non detinebis mercedem mercenarii usque mane. *Levit.* 19, 13.

2. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas. Idem fac in segete et spicis. *Deut.* 23, *v.* 24 *et* 25.

3. Cum messueris segetes, non tondebis eas usque ad solum, nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis capienda dimittes. *Levit.* 19, 9 *et* 10.

4. Idem facies in olivis, in olea post excussionem remanentibus. *Deut.* 24, 20. Et in manipulo quem oblitus es in agro. *Ibid. v.* 19.

5. Cura, ut in te non sit indigens et mendicus. *Deut.* 15, 4.

6. Aperies manum pauperi, et dabis mutuum, esto annus septimus remissionis instet. *Ibid. v.* 8 *et* 9.

X. *Judicialia circa pignora.*

1. Si pignus acceperis a proximo vestimentum, ante noctem reddes ei, quia ipsum est in quo dormit. *Exodi* 22, *v.* 26 *et* 27.

2. Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam: quia inde ipse et alii vivunt. *Deut.* 24, 6.

3. Cum repetes a proximo rem tuam, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. *Ibid. v.* 10 *et* 11.

XI. *Judicialia circa usuras.*

1. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget commodabis. *Deut.* 23, 19 *et* 20.

2. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exodi* 22, 25.

XII. *Judicialia circa furta et damna illata.*

1. Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit aut vendiderit, quinque boves pro uno, et quatuor oves pro una restituet. *Exodi* 22, 1.

2. Si vivens bos aut asinus apud eum repertus fuerit, duplum restituet. *Ibid. v.* 4.

3. Si non habet quod reddat, ipse vendatur. *Ibid. v.* 3.

4. Occidens furem nocturnum, innocens habeatur: occidens vero furem diurnum, occidatur. *Ibid. v.* 2 *et* 3.

5. Qui deliquerit et damnum fecerit proximo, confitebitur peccatum suum, et reddet ipsum caput, quintamque insuper partem ei in quem peccavit. *Num.* 5, *v.* 6 *et* 7.

6. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena; quidquid optimum habuerit in agro, aut vinea, pro damni æstimatione restituat. *Exodi* 22, 5.

7. Si egressus ignis invenerit spicas, et comprehenderit segetes in agris, reddet damnum qui ignem succendit. *Ibid. v.* 6.

Plagiarius qui furatur hominem ut vendat, occidatur. *Deut.* 24, 7.

XIII. *Judicialia circa depositum.*

1. Si depositarius per fraudem rem depositam interverterit, restituet duplum. *Exodi* 22, 9.

2. Si per negligentiam ejus res deposita sublata sit furto, reddet simplum. *Ibid. v.* 12.

3. Si sine ejus negligentia et culpa res sublata sit, nihil restituet. *Ibid. v.* 10 *et* 11.

4. Si depositum, puta animal, occisum sit a bestia, depositarius deferat ad deponentem id quod occisum est, et nil aliud restituat. *Ibid. v.* 13.

XIV. *Judicialia circa commodatum.*

1. Qui a domino aliquid commodato postulavit, si illud debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur. *Exodi* 22, 14.

2. Quod si dominus præsens fuerit, non restituet, præsertim si commodatarius, vel conductor commodatum non acceperat gratis, sed ejus usum mercede conduxerat. *Ibid. v.* 15.

LEGES MIXTÆ SIVE COMPOSITÆ, AC IN PRIMIS MORALES AC CEREMONIALES SIMUL.

1. Memento ut diem sabbati sanctifices. *Exodi* 20, 8.

2. Cave in matrimonio et copula carnali gradus consanguinitatis et affinitatis; tum jure naturæ, tum lege divina ceremoniali vetitos. *Lev.* 18. Quos recensui in sexto præcepto decalogi.

3. Omne quod Domino consecratur voto *cherem*, id est, anathematis, redimi non poterit, sed morte morietur. *Lev.* 27, *v.* 28 *et* 29.

4. Decimas et primitias animalium et frugum offer Domino. *Levit.* 27, 30 *et* 32.

5. Ferias Domini celebrabitis. *Levit.* 23, 4.

6. Erunt præcepta Dei in corde tuo: ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et in ostiis domus tuæ. *Deut.* 6, *v.* 6, 7 *et* 8.

7. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas. *Deut.* 12, 32.

8. Ascendes ad templum ter in anno. *Deut.* 16, 16.

9. Consecra sacerdotes et pontifices. *Exodi* 29.

10. Offer Domino sacrificia et victimas quaslibet. *Lev.* 1 *et seq.*

11. Offer aurum, argentum, æs etc. ad fabricam templi. *Exodi* 25, 3 *et seq.*

SECUNDÆ LEGES MIXTÆ SUNT MORALES ET JUDICIALES SIMUL.

I. *Circa quatuor prima decalogi præcepta.*

1. Maleficos non patieris vivere. *Exodi* 22, 18.

2. Qui immolat diis, occidetur. *Ibid. v.* 20.

3. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos. *Levit.* 20, 27.

4. Qui dederit de semine suo Moloch, lapidetur. *Levit.* 20, 2.

5. Si surrexerit prophetes, filius, filia, aut uxor tua, et dixerit: Eamus, et serviamus diis alienis, statim interficies eum: sit primum manus tua super eum, et post te omnis populus mittat manum; lapidibus obrutus necabitur. *Deut.* 13, 1 *et seq.*

6. Si urbs idem fecerit, delebis eam cum incolis usque ad pecora: omnia quæ in ea sunt succendes et combures Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius. *Ibid. v.* 12 *et seq.*

7. Qui maledixerit Deo, et blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. *Levit.* 24, 15 *et* 16.

8. Chananæos omnes perdendo perdes, non inibis cum eis fœdus, nec conjugia, non habitabunt in terra tua: avocabunt enim filios tuos a me, et colent deos alienos. *Exodi* 23, 32 *et* 33.

9. Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur. *Exodi* 21, *vers.* 15.

10. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. *Ibid. v.* 17.

11. Parentes filium rebellem et epulonem adducent ad judices: ex quorum sententia, lapidabunt eum omnes homines urbis illius. *Deut.* 21, 18 *et seq.*

II. *Circa sextum præceptum, puta circa incestam copulam et libidinem.*

1. Mœchus et adultera, morte mulctentur. *Levit.* 20, 10.

2. Si quis dormierit cum noverca, vel nuru sua, vel cum masculo, uterque moriatur. *Ibid. v.* 11, 12 *et* 13.

Sic et qui dormierit cum matertera, amita, uxore fratris, vel patrui aut avunculi sui. *Ibid. v.* 19 *et seq.* Item qui viderit turpitudinem sororis suæ. *Ibid. v.* 17.

3. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, vivus ardebit cum eis. *Ibid. v.* 14.

4. Vir, vel mulier, quæ cum pecore congressa est, morte moriatur. *Ibid. v.* 15.

5. Si quis in urbe concubuerit cum virgine, quæ alteri desponsata est, et illa non clamavit, uterque lapidibus obruetur. *Deut.* 22, *v.* 23, 24.

6. Sin in agro id fecerit, ipse morietur solus, puella nihil patietur. *Ibid. v.* 25 *et* 26.

7. Qui vim infert virgini non desponsatæ, eam habebit uxorem, nec poterit eam unquam dimittere; et insuper patri ejus solvet quinquaginta siclos. *Ibid. v.* 29.

8. Si quis dormierit cum ancilla, id est serva, vapulabunt ambo, et non morientur: quia non fuit libera, offerentque arietem pro peccato Domino. *Levit.* 19, *v.* 20 *et* 21.

9. Si concubuerit quis cum virgine non desponsata, dotabit eam et habebit eam uxorem. *Exodi* 22, 16.

10. Si pater virginis eam dare noluerit, dotabit eam. *Ibid.* v. 19.

11. Si maritus accuset sponsam dicens: Non inveni eam virginem; si verum est quod objicit, lapidibus obruent eam: sin autem, proferent parentes virginis signa virginitatis ejus, et ex iis judices condemnabunt maritum ad verberationem, et ad centum siclos argenti, dandos patri sponsæ: atque sponsam tota vita sua retinere cogetur. *Deut.* 22, 13 *et seq.*

12. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea. *Deut.* 22, 5.

TERTIÆ MOSIS LEGES MIXTÆ SUNT CEREMONIALES ET JUDICIALES SIMUL.

1. Qui non fecerit phase stato tempore, exterminabitur de populis suis. *Num.* 9, 13.

2. Septem diebus (phase) fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel. *Exodi* 12, 19.

3. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari etc. venies ad sacerdotes et ad judicem, faciesque quodcumque dixerint tibi etc. *Deuteron.* 17, 8, 9, 10.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio et decreto judicis, morietur. *Ibid.* v. 12.

4. Idumæi et Ægyptii non intrabunt in ecclesiam Domini, usque ad tertiam generationem: nec mamzer, usque ad decimam: nec Ammonites et Moabites, usque in æternum; quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua; et quia conduxerunt contra te Balaam, non facias cum eis pacem, nec quæras eis bona. *Deut.* 23, 1 *et seq.*

5. Si inveneris nidum non capies matrem cum pullis: sed capies pullos, et matrem avolare sines. *Deut.* 22, 6, 7.

6. Non arabis in bove et asino. *Ibid.* v. 10.

7. Si maritus zelotypus uxorem habeat suspectam de adulterio, adducet eam ad sacerdotem, qui dabit ei bibere aquas maledictionis, quas cum biberit, si rea sit intumescet et rumpetur uterus ejus, femurque ejus putrescet, itaque ipsa erit in maledictionem. Ritum hujus probæ cum sacrificio descripsi *Num.* 5.

8. Terra non vendetur in perpetuum, sed pro rata annorum qui supersunt usque ad jubilæum; quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis. *Levit.* 25, 23. Vide ibi dicta.

QUARTÆ LEGES MOSIS MIXTÆ SUNT MORALES, CEREMONIALES ET JUDICIALES SIMUL.

1. Qui concubuerit cum muliere in fluxu ejus menstruo, interficientur ambo. *Levit.* 20, 18.

2. Filia sacerdotis si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. *Levit.* 21, 9.

3. Qui polluerit sabbatum, id est, opus fecerit in eo, morte morietur. *Exodi* 31, 14.

4. Levitæ ex decimis suis dabunt decimas sacerdotibus, easque meliores et pinguiores, ne polluant oblationem filiorum Israel, et ne moriantur. *Num.* 18, 26, 32.

5. Pater filiæ, maritus uxoris vota irritare potest primo die quo ea scivit, non secundo. *Num.* 30.

6. Leprosus solus habitet extra castra. *Levit.* 13, 46.

7. Jumentum tuum non facies congredi cum alterius generis animantibus. *Lev.* 19, 19.

8. Crocodilum, murem, talpam, mustelam, lacertam non comedes. *Lev.* 11, 29, 30.

9. Denique huc pertinent leges mortis latæ in incestuosos, qui cum nepte, nuru, matertera etc. fornicantur. *Levit.* 20, *v.* 19 *et seq.* Hæ enim leges partim naturales sunt, partim ceremoniales, partim judiciales.

LIBER JOSUE,

HEBRAICE JEHOSUA.

CAPUT PRIMUM.

Confortatus Josue a Domino monet populum ut se ad Jordanis transitum præparent, tribus autem Ruben, Gad, et dimidiam Manasse, ut fratres ad promissam terram deducant.

1. Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei:

2. Moyses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel.

3. * Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. *Deut. 11, 24.

4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

Caput I. 1. *Et factum est post mortem Moysi.* Post funebrem scilicet ejus luctum, qui totos triginta dies tenuit, Deut. 34, 8. Salianus tamen id contigisse putat, dum adhuc justa persolverentur Mosi, quia ex textu videretur celeritas indicari, qui obstat triginta dierum mora.

Servi Domini. Fuit Moses Dei servus, quia tota vita sua Deo servivit, omnesque suas actiones, studia et cogitationes ad illius cultum et voluntatem contulit.

Ministrum Moysi. Qui familiæ Mosis præpositus fuerat, qui in sacris precibus illi aderat, qui nunquam ab illius latere discedebat, omnes ejus observans nutus, ut, quæ juberet, effecta daret.

3. *Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam.* Vide dicta Deuteron. 11, 24.

4. *A deserto et Libano etc.* Describit fines terræ promissæ, de quibus vide dicta Deut. 1, 7.

* *Omnis terra Hethæorum.* Vel per Hethæos omnes septem Chananæorum nationes intelligit, ut vult Abulensis. Vel, ut placet Masio, peculiaris Hethæorum mentio fit, quod illos utpote cæteris bellicosiores magis Hebræi formidarent. Incolebant enim Hethæi Hebron et vicina loca in quibus Enacim gigantum posteritas et reliquiæ versabantur, ut patet Num. 13, 23. Itaque animandus fuit dux et populus ut etiam fortissimos He-

* Inf. 3, 7. Heb. 13, 5. 5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: * sicut fui cum Moyse, ita ero tecum; non dimittam nec derelinquam te.

* Deut. 31, 7, 23. 3 Reg. 2, 2. 6. * Confortare, et esto robustus: tu enim sorte divides populo huic terram pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis.

7. Confortare igitur, et esto robustus valde: ut custodias et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.

8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam.

9. Ecce præcipio tibi, confortare, et esto robustus; noli me-

---

thæos se superare posse confiderent.

5. *Nullus poterit vobis resistere*. Ita resistere, ut victoriam ferat.

Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. Quoad gratiam et auxilium; quoad familiaritatem vero, inferiore quodam modo: nam, Deut. 34, 10, dicitur: *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem etc.*

7. *Ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram*. Phrasis in Scripturis frequens, qua quicumque deflexus significatur a lege divina.

Ut intelligas cuncta quæ agis. Chald. et rabbini vertunt: *ut prospere agas in cunctis quæ agis*. Sed hebræum verbum etiam valet prudentem esse, beneque rem intelligere. Sane plurimum luminis a sacris litteris et devina lege prudentia mutuatur.

8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo*. Os, et faciem significare potest, et eam partem quæ est loquendi instrumentum. Volumen ergo legis frequentissime præ oculis habere jubetur Josue, et quæ in illo continentur corde meditari et ore loqui.

Meditaberis in eo diebus ac noctibus. Sanctorum virorum jugis exercitatio hæc est, de quibus David, Psalm. 1, 2: *In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo. Hic enim finis est meditationis. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*, ad Rom. 2, 13.

Tunc diriges viam tuam. Feliciter et prospere tibi fluent omnia. Sic meditanti in lege divina eadem promittitur prosperitas: *et erit tanquam lignum etc. et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur*, Psalm. 1, 3.

Et intelliges eam. Vide dicta num. 7.

9. *Ecce præcipio tibi*. Verti potest: *Numquid non præcipio tibi?* quæ interrogatio magnam

tuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

10. Præcepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite:

11. Præparate vobis cibaria; quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

12. Rubenitis quoque et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse ait:

13. Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram:

14. * Uxores vestræ, et filii, ac jumenta, manebunt in terra quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem; vos autem transite * Num. 32, 26.

---

vim habet, quasi dicat: Aspice quisnam sit qui bono et alacri animo te esse jubet. * Etiam de fortitudine leges præcipere docet Aristoteles, lib. 5 moral. cap. 3, v. g. de non deserendis ordinibus, de armis non abjiciendis etc.

Noli metuere, et noli timere etc. Hoc illud est, quod apud Isaiam legimus, cap. 41, 10: *Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei.*

10. *Principibus populi.* Summis singularum tribuum magistratibus.

11. *Præparate vobis cibaria.* Manna adhuc depluebat singulis diebus; jubentur ergo copiosius illud colligere, usitataque tunsione et coctione præparare. * Vel certe præter manna, quod tantæ multitudini alendæ adhuc necessarium erat, permittit Josue ut alios cibos quærant et parent, quos scilicet nancisci potuerint.

* *Post diem tertium transibitis.* At aliquanto post transierunt, cum cap. sequenti missi sunt exploratores, iique per triduum latuerint in montibus, et post reditum illorum adhuc per triduum transitus dilatus sit, cap. 3, 1. Resp. τὸ *transibitis* significare, ex hoc loco recedetis ut transeatis. Vel hæc dicuntur per hysteron proteron; nam missio exploratorum et totum caput secundum præponi debet huic Josue præcepto per castra divulgato, ita ut tres dies quorum hic fit mentio, sint iidem cum illis tribus diebus qui habentur cap. 3, 1. Ita Abulens. et alii.

13. *Mementote sermonis etc.* Revocat Josue in memoriam Rubenitis et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse, quibus conditionibus terram trans Jordanem possederint; non quod eorum voluntati diffideret, sed quia etiam sponte currentes incitare consultum est: nam licet fremens equus sorbeat terram, tamen, *ubi audierit buccinam, dicit: Vah.* Job. 39, 25.

armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis,

15. Donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis: et sic revertemini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum.

16. Responderuntque ad Josue, atque dixerunt: Omnia quæ præcepisti nobis faciemus; et quocumque miseris, ibimus.

17. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi: tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.

18. Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur: tu tantum confortare, et viriliter age.

CAPUT II.

Missi exploratores in urbem Jericho, a Rahab meretrice, promissa illi misericordia, a morte liberantur.

1. Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito; et dixit eis: Ite, et considerate terram, ur-

---

14. *Ante fratres vestros.* In prima acie, primoque loco in viis ac præliis.

Omnes fortes manu etc. Relictis tamen domi iis qui ad civitatum, regionisque custodiam necessarii erant.

15. *Contra solis ortum.* Orientem versus.

17. *Tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.* Duplex esse potest sententia: prima exceptiva; in omnibus obedimus, modo tu Deo consentanea et legi præcipias. Secunda verior, optativa seu votiva; utinam tibi Dominus adsit, ut adfuit Mosi.

18. *Qui contradixerit etc. moriatur.* Deus in rebelles solebat animadvertere: adhuc tamen sibi hanc legem dicunt, ut qui obedire detrectaverint, morte plectantur.

Caput II. 1. *Duos viros exploratores.* Probabile est missos fuisse, durante adhuc luctu. Vide dicta cap. 1, num. 1. Olim Moses, Num. 13, miserat duodecim, sed tunc omnia pacata erant, ac proinde minor suspicionibus locus: nec cautius agendum fuit. Duo missi ut se consilio et mutua ope juvarent.

In abscondito. Ipsis etiam Israelitis ignorantibus, et inscio universo penitus populo.

Considerate terram. Non Chananæam totam, sed proxima loca in quæ populus ingressus erat, ac nominatim Jericho. * Ut cognoscatis quæ sunt hostium consilia, et qui ad resistendum animi.

bemque Jericho. * Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris * Heb.
meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. 11, 31.
Jac. 2,
2. Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum: Ecce viri in- 25.
gressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram.

3. Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam; exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt.

4. * Tollensque mulier viros, abscondit, et ait: Fateor, ve- * Inf.
nerunt ad me, sed nesciebam unde essent: 6, 17.

5. Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt: persequimini cito, et comprehendetis eos.

Qui pergentes ingressi sunt etc. Jordanem exploratores vel natatu transierunt, vel vadatione; nam Jordanis vada legimus, Judic. 3, 28, et cap. 12, 5; et ita fieri potuisse indicatur hoc cap. num. 7, cum dicitur: *per viam quæ ducit ad vadum Jordanis.* * Deo etiam facile fuit de lintre aliquo incolarum custodia destituto providere. Excubias Chananæorum non admodum intentas, facile fefellerunt; nam Jerichuntini in tanta hostium propinquitate metu soluti agebant, vel potius desides stulteque securi.

Mulieris meretricis, nomine Rahab. Negant aliqui fuisse meretricem, voluntque vocabulum hebraicum significare *cauponariam, hospitalariam;* vel ut loquitur D. Aug. lib. 10 civit. c. 18, *stabulariam.* Verius est fuisse meretricem, quod patebit alia loca Scripturæ, in quibus eadem vox occurrit consideranti. Hebraica vox est זונה *zonah.* * Hæc est Rahab cujus mentio in genealogia Christi, Matt. 1, 5.

Quieverunt apud eam. Manserunt. LXX κατέλυσαν vertunt, quod apud aliquem divertere et morari significat. Verti etiam potest, *dormierunt.*

2. *Nuntiatumque est regi.* Eadem die qua appulerant exploratores, ut vult Serarius, vel sequenti, ita ut noctem unam in domo Rahab dormierint, die sequenti urbem lustrarint, vesperi vero delati sint, ut vult Cajetanus.

4. *Abscondit.* In solario scilicet inter lini stipulas, ut dicitur n. 6. Solarium est suprema domus pars, soli exposita: ea in Palæstina modice declivis erat, ac fere plana, ut ibi ambulare liceret, et spatiari, et etiam vestes ad solem expandere etc. Lini stipulæ sunt linum nondum stupariis malleis subactum, et ab aceribus purgatum. Hebræus habet *lignum lini;* LXX λινοκαλάμῃ, *lini calamos* dixerunt.

Nesciebam unde essent etc. Non in una re mentita est Rahab. Sed mendacium officiosum fuit, et culpa levis. *Fortasse etiam putavit mendacium officiosum culpa vacare.

6. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat.

7. Hi autem qui missi fuerant secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis: illisque egressis statim porta clausa est.

8. Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait:

9. Novi quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ.

* Exod. 14, 21. * Num. 21, 24.

10. Audivimus quod * siccaverit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto; * et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus qui erant trans Jordanem, Sehon et Og, quos interfecistis.

11. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cœlo sursum et in terra deorsum.

* Inf. 6, 22.

12. * Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei; detisque mihi verum signum,

---

6. *In solarium etc.* De hoc dictum numero præcedenti.

* 7. *Ad vadum Jordanis.* Quia sicubi transituri erant Jordanem, illic putabantur vado transituri.

Porta clausa est. Urbis scilicet, ne exploratores fugerent, si forte alicubi laterent: vel quia nox appetebat.

8. *Necdum obdormierant.* Fortasse timore discusso, alioque satellitibus digressis, sese ad quietem composuerant exploratores.

9. *Novi quod Dominus.* Noverat ex admirabilibus rebus quæ de Israelitis passim spargebantur, et illustratione divina: ejus enim fides commendatur a D. Paulo ad Heb. 11, 31.

Irruit in nos terror vester. Non naturalis tantum, sed a Deo etiam immissus, quod promissam fuerat, Levit. 26, 36: *dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis etc.*

Elanguerunt. Heb. *liquefacti sunt*, in modum scilicet nivis tabescentis, aut ceræ quam solvit ignis. LXX habent versiculo 11, *mente emoti sumus*, ἐξέστημεν.

11. *In cœlo sursum et in terra deorsum.* Immensus est, omnia pervadit loca, et tam quæ sursum sunt in cœlo quam quæ deorsum in terris pro arbitratu suo moderatur.

12. *Ego misericordiam feci vobiscum.* Vox hebraica חסד *chesed* in Scripturis latissime patet, ut beneficentiam complectatur, quæ in alios confertur, sive meriti sint sive immeriti, sive miseri sive non miseri.

Detisque mihi verum signum. Quod ubi vobis vestrisque monstravero, vere ac certo tuta sim, ego meique omnes.

13. Ut salvetis patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas, et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte.

14. Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem.

15. Demisit ergo eos per funem de fenestra: domus enim ejus hærebat muro.

16. Dixitque ad eos: Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant; et sic ibitis per viam vestram.

17. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a juramento hoc quo adjurasti nos,

18. Si, ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos: et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam.

19. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis

---

13. *Salvetis*. LXX, ζωγρήσατε, vivos capite, vivos servate.

Et eruatis animas nostras a morte. Communi urbis excidio, et civium cæde eripiatis.

14. *Anima nostra sit pro vobis in mortem*. Jurandi formula, quasi dicat: Devovemus vobis animam nostram ad mortem. Male nos perdat Deus si fidem fefellerimus, quam vobis damus. * Non dubitant exploratores pro Josue polliceri quod æquitas postulabat, ut scilicet benemeriti beneficium reponeretur. Servata est hæc fides infra cap. 6, 25. Similem historiam vide Judic. 1, 25.

Si tamen non prodideris nos. Sed salvos dimiseris, et nemini indicaveris nos hic latere, aut salvos fore qui in domum tuam se receperint, ne forte nimis multi confluant et vita indigni.

Misericordiam et veritatem. Sincere agendo, et optima fide, et quæ promisimus ad unguem effecta dando.

15. *Demisit ergo eos per funem de fenestra*. Vox hebraica חבל *chebel* significat funem, non quemcumque sed fortem, qui ex pluribus compositus est. Fuit vero ex serico aut lino coccinei coloris; nam ille idem funis quo de fenestra dimissi sunt exploratores, idem in signum relictus, ut domui illi parceretur.

17. *Innoxii erimus*. Carebimus culpa, et pœnam non merebimur.

18. *Funiculus iste*. Funis tenuis ex multis filis tenuibus complicatus, quamvis exilis sit, ponderi tamen corporis humani sustinendo par esse potest, ut experientia docet.

19. *Sanguis ipsius erit in ca-*

qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.

20. Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento quo adjurasti nos.

21. Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.

22. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos.

23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt et descenderunt exploratores de monte; et, transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi,

24. Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

CAPUT III.

Siccatum Dei miraculo Jordanem populus transit.

1. Igitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies.

---

put ejus. Suo vitio peribit. * Jure belli cadunt qui in urbe capta a resistentibus se non sejungunt.

Redundabit. Quasi dicant: Nos rei erimus homicidii. Chald. *culpa necis ejus in caput nostrum*.

20. *Erimus mundi*. Immunes, non tenebimur juramento.

21. *Appendit funiculum coccineum in fenestra* Statim appendit, fortasse ut videre possent exploratores modum quo, dum expugnanda urbs esset, pensurus esset; signumque illud apprime nossent, nec ullus errori locus in re tanti momenti relinqueretur.

24. *Tradidit Dominus etc.* Quod jam futurum erat, quasi factum narrant, ob spem certissimam.

Caput III. 1. *De nocte consurgens*. Nox hic est antelucanum tempus, quod noctis quidem extremum est, sed tenebricosum adhuc et admodum matutinum; hoc enim est quod LXX vertere solent ὀρθρίζειν; et Lucæ 21, 38 dicitur *manicare*.

De Setim. Aberat Jordanis sexaginta stadiis a Setim; octo stadia unum milliare italicum conficiunt.

Morati sunt ibi tres dies. Ibi, id est, in Setim et Jordanis ripa: nam ad Jordanem una tantum nocte mansisse, ea scilicet quæ consecuta est diem qua eo appulerant, patet ex textu hebræo in quo sic habemus: *Venerunt ad Jordanem ipsi et omnes filii Israel, et per-*

2. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium,

3. Et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes:

4. Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium; ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam: et cavete ne appropinquetis ad arcam.

5. Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

6. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt, et ambulaverunt ante eos.

7. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te

---

noctarunt ibi antequam trajicerent, et factum est a fine trium dierum, et transierunt præcones etc. Ita Serarius, Masius, Cajetanus, et alii.

2. *Quibus evolutis.* In utroque scilicet loco, et post eorum dierum promulgationem, c. 1, 11, factam.

Præcones. Eadem vox quæ cap. 1, num. 10, redditur *principes populi,* hic vertitur *præcones.* LXX, *γραμματεῖς*, *scribæ.*

3. *Sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam.* Plerumque arcam ferebant Levitæ, ex lege Levitici, Num. 4, 15; poterant tamen, si vellent, ferre sacerdotes. Id quater factum reperitur in Scriptura hoc cap. n. 6; infra cap. 6; 1 Paral. 15; et 2 Reg. 15, 29.

Sequimini præcedentes. Eos qui arcam præferebant. * Mortuo Mose columna nubis dux viæ evanuerat.

4. *Spatium cubitorum duum millium.* Servando quidem diligenter, quantum potuit, distantiam, morali tamen modo, alioqui nimium fuissent anxii in ea metienda; et in hebræo est, ut etiam in chaldæo, *circiter duo millia cubitorum.* * Id factum reverentiæ causa. Cum e castris ad arcam sabbatis maxime iri deberet; hinc sumserunt argumentum sapientes definiendi iter sabbati in ipsa lege non definitum, vide Act. 1, 12.

5. *Sanctificamini.* Parate vos per sanctitatem, seu sancte: fortasse etiam significatur ut purificent se, vestes lavent, ab uxoribus abstineant; hunc enim sanctificationis modum præscriptum videmus, cum in monte Sina lex promulgata est, Exod. 19, 10 et 15.

Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Sistendo lapsum fluminis etc.

6. *Tollite arcam.* Josue sacerdotibus imperat, quia spiritu prophetiæ agebatur, et quia a Deo expresse, ut ita faceret, jubebatur; legimus enim, n. 8, *tu autem præcipe sacerdotibus etc.*

7. *Hodie incipiam exaltare te.* Nihil enim adhuc, quod supra

* Sup. 1, 5. coram omni Israel: ut sciant quod * sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim.

8. Tu autem præcipe sacerdotibus qui portant arcam fœderis, et dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea.

9. Dixitque Josue ad filios Israel: Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri.

10. Et rursum: In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergesæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum.

11. * Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos
* Act. 7, 45. per Jordanem.

12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus.

13. Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient; quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent.

14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transi-

---

naturæ ordinem admodum videretur per ipsum fecerat Dominus, facturus deinceps.

8. *Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea.* Partem Jordanis intelligit mediam, vel ipsum fluvii alveum. Vide c. 4, 10.

9. *Accedite huc.* Videtur tunc Josue in medio castrorum fuisse, ibique populi concionem convocasse.

10. *Dominus Deus vivens.* Vita ex actione ac motu potissimum agnoscitur: dicitur ergo Deus vivens, quia sua efficientia omnia moderatur et gubernat, et potissimum quia cultorum suorum necessitatibus adest, illisque opem fert.

In medio vestri est. Vobis adest ut auxiliator.

* *Chananæum etc.* Hæ sunt septem gentes a Chanaan filio Cham oriundæ, quæ totam illam terram a Jordane usque ad mare Mediterraneum occupabant.

12. *Parate duodecim viros.* Hi duodecim iidem sunt cum iis de quibus initio sequentis capitis; ad hoc delecti, ut lapides ex Jordanis alveo tollant. Alii probabiliter putant delectos esse ut sacerdotes portantes arcam comitarentur. Ita Cajetanus et Magalianus.

13. *Sacerdotes qui portant arcam.* Sacerdotes, quia ex alia stirpe quam aaronica esse non poterant, tunc ad summum fuisse circiter viginti quatuor putat Serarius hic. Duo satis erant ad ferendam arcam; et probabile in hoc transitu Jordanis Eleazarum fuisse et Ithamar, Aaronis filios, vel Eleazarum et Phinees ejus filium. Aliqui tamen putant quatuor arcæ gestandæ necessarios fuisse.

ret Jordanem: et sacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum.

15. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore * messis impleverat), * Eccli. 24, 36.

16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan; quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent.

17. Populus autem incedebat contra Jericho (1): et sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

(1) Jericho *in edit. Sixt. legitur* Jordanem.

---

15. *Tempore messis.* Triticeæ, * vel hordeaceæ quæ non, ut apud nos, mense junio fit in Palæstina, sed aprili exeunte aut maio ineunte. Vide Plin. lib. 18, cap. 18, hoc de Ægypto affirmantem.

Jordanis autem ripas alvei .... impleverat. Causa fluminis incrementi est, quod vere solvantur nives Libani, ex quo fluit Jordanis.

16. *Apparebant procul.* Aquæ se porrigebant a trajectionis loco usque Adom, et tumor ille instar montis se habebat, ac proinde a longe aspiciebatur. Vel sensus est: Aquæ ita intumuerunt, ut ex urbe Adom et Sarthan cumuli illi videri possent.

Ab urbe quæ vocatur Adom. Hanc urbem collocat Adricomius in tribu Ruben, non procul ab orientali Jordanis ripa, paupulum ultra torrentis Carith australiorem in Jordanem influxum. Masius Tiberiadis stagno vicinam esse ait.

Sarthan. Adricomius inter urbem jam dictam et inter Bethabaram ponit. Masius longe superius aquilonem versus.

Mare solitudinis. Heb. *mare salis;* dicitur etiam mare mortuum, quod aqua in eo sit crassa et iners, * quodque nullos alat pisces aut cochleas, ac ne vermes quidem aut serpentes, ut tradit D. Hieronymus in cap. 47 Ezechielis. Num. 34, 3, appellatur *mare salsissimum.* A nostro interprete hic bene dicitur *mare solitudinis,* quia circumjacens terra sterilis, graveolens et virosa est, ideoque deserta et solitaria.

17. *Super siccam humum.* Vel enim Jordanis alveus arenosus et glarea plenus erat, ideoque statim post aquarum defluxum aridus: vel divina virtute factum est, ut plane siccaretur, et facilis transitus absque pedum inquinatione Israelitis pateret.

Accincti. Parati, expediti.

Omnisque populus per arentem alveum transibat. Magna diei pars transeundo absumta est, præsertim cum maxima fuerit multitudo Israelitarum et proselytorum,

Duodecim lapides de Jordane siccato ad posterorum memoriam colliguntur, aliique duodecim in ipso Jordanis alveo statuuntur.

1. Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue:

2. Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus;

3. Et præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.

4. Vocavitque Josue duodecim viros quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus,

5. Et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel,

6. Ut sit signum inter vos: et quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides?

7. Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum.

8. Fecerunt ergo filii Israel sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.

9. Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis: et sunt ibi usque in præsentem diem.

---

et lapides bis duodeni, alii excipiendi, alii statuendi in fluminis alveo fuerint. Serarius putat una aut altera post meridiem hora transitum absolutum fuisse.

Caput IV. 2. *Singulos per singulas tribus.* Etiam unus ex tribu Levi electus, et pariter unus ex tribu Joseph, quæ bipartita in tribus duas Manasse et Ephraim, atque ita duodecimum numerum non excesserunt.

3. *Durissimos lapides.* Rabbini etiam maximos fuisse fabulantur. Certum est non majores fuisse quam quos viri singuli asportare inde usque ad Galgala possent. Durissimi eliguntur lapides, quia constituendi in signum æternum posteris erant, atque ideo ejus generis quærendi, qui non facile vetustate solverentur.

6. *Signum.* Rei hoc loco gestæ.

Cras. Futuro tempore.

9. *Duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo.* Non coacervatos, aut in aræ formam, sed singulos per se, ut etiam factum a Mose, Exod. 24, 4: sic enim magis apparebat duodecim tribuum distinctio.

Usque in præsentem diem. Ex hoc loco aliqui colligunt Josue non

10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit.

11. Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum.

12. Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel, * sicut eis præceperat Moyses: * Num.

13. Et quadraginta pugnatorum millia per turmas et cuneos 32, 29.
incedebant per plana atque campestria urbis Jericho.

14. In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret.

15. Dixitque ad eum:

16. Præcipe sacerdotibus qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane.

17. Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Jordane.

18. Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant.

19. Populus autem ascendit de Jordane, decimo die mensis

---

esse hujus libri scriptorem. Sed ut bene dicatur *usque in præsentem diem*, satis est si aliquo tempore post lapides erectos Josue historiam suam scripserit.

10. *Stabant in Jordanis medio*. Probabile est stetisse facie versus austrum conversa, hoc est, versus inferiorum aquarum fugam; sic enim faciem ad populum transeuntem vertebant, eique animum præsentia sua addebant, et aquas a tergo impendentes, Domini præsentia securi, despiciebant.

Et dixerat ei Moyses. Eo modo, et ea obedientia et alacritate, quam semper ei Moses præceperat et commendarat.

11. *Ante populum*. Vel spectante populo, coram populo, vel ante populi agmen modo supra præscripto, ut scilicet bis mille cubitorum spatio, arcam pone sequerentur. *Vel sensus est, post transitum Jordanem Arca et sacerdotes in primo fuerunt agmine, non in medio, quemadmodum in deserto.

12. *Sicut eis præceperat Moyses*. Num. cap. 32, 29.

* 13. *Quadraginta pugnatorum millia*. Ex tribu Ruben, Gad et Manasse; quæ tamen tribus multo plures ad arma tractanda aptos numerabant, ut patet ex cap. 26 lib. Num.

19. *Populus autem ascendit de Jordane*. Ascendentibus de Jordane nulli hostes occurrunt, quia, ut dixerat Rahab cap. 2, num. 9, *elanguerant omnes habitatores terræ*. Vide ibi dicta. Probabile est in ipso aditu promissæ terræ, eam salutasse Israelitas

primi, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho.

20. Duodecim quoque lapides quos de Jordanis alveo sumserant, posuit Josue in Galgalis,

21. Et dixit ad filios Israel: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti?

22. Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum,

23. Siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis:

* Exod. 14, 21.

24. * Sicut fecerat prius in mari rubro, quod siccavit donec transiremus:

25. Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

CAPUT V.

Terrentur Chananæi, circumcisio fit in Galgalis, et phase celebratur: defecit manna ubi de fructibus terræ edunt, et angelus Domini Josue apparet.

1. Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel.

---

et lætitiæ signa edidisse. Quod si intrantes domum eam salutare jubet Christus, Matth. 10, 12, et dicere: *pax huic domui*, quid ni terram sanctam futuram populi sedem salutaverint, Deoque adorato precati fuerint, ut bene omnia succederent, et eidem pro beneficio gratias egerint?

Castrametati sunt in Galgalis. Hunc locum castris figendis elegit Josue, vel divino monitu, vel quia licet ulterius eo die progredi potuissent, erat tamen prudentiæ militaris sensim progredi, ne a tergo hostis relinqueretur. Alioqui etiam locus salubris erat et aquis vicinus et sylvis ex quibus ligna peti poterant.

20. *Posuit Josue in Galgalis.* Non longe a tabernaculo sub dio, ut ab omnibus conspici possent: hi etiam lapides seorsim statuti, non in acervi formam aut altaris. Vide dicta num. 9.

25. *Fortissimam Domini manum.* Pontentiam. LXX, δύναμιν.

2. Eo tempore ait Dominus ad Josue: Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.

3. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle præputiorum.

4. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: Omnis populus qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus,

5. Qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto,

6. Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem.

7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt

---

Caput V. 2. *Fac tibi cultros lapideos*. Nunc quidem lapideis cultris facta est circumcisio, ut diserte habemus in textu; alioqui etiam ferreis aut chalybeis fieri poterat. * Vide dicta Gen. cap. 17, num. 12.

Et circumcide. Non ipsemet circumcidit, qui enim potuisset tantam multitudinem; nec etiam fuit necesse adhibere sacerdotes aut Levitas. Circumcidebant ergo omnes quotquot in Ægypto olim fuerant circumcisi, et probabile ipsum Josue aliquos circumcidisse, ut etiam Eleazarum, domesticos nimirum, quod fecerat Abraham Genes. 17, 23, qui circumcidit Ismael filium suum et omnes vernaculos domus suæ.

Circumcide secundo filios Israel. Sensus est, revoca consuetudinem circumcidendi, longo tempore in deserto intermissam. * Indicta est autem hæc circumcisio, quia legis ceremonias in usum revocari volebat Deus, quæ non nisi a circumcisis obiri poterant; nec decebat Israelitas incircumcisos morari inter Chananæos pariter incircumcisos; data enim est circumcisio ut per eam Judæi a gentilibus distinguerentur. Vide dicta Genes. 17, 12.

3. *In colle præputiorum*. Loco sic postea dicto ob hanc circumcisionem, vel potius quod illuc projecta sint et sepulta præputia.

5. *Populus autem etc. incircumcisus fuit*. Omissa est in deserto circumcisio, ne infantibus recens circumcisis motu crearetur vitæ periculum: fieri enim poterat ut repente se commoveret nubes, et statio mutanda esset.

6. *Donec consumerentur etc.* Hæc fuit occasio intermittendæ circumcisionis, quod scilicet Dominus in deserto populum detineret donec omnes qui non audierant vocem Domini etc. consumerentur; causa vero, quam proxime assignavi num. 5.

* 7. *In locum successerunt patrum*. Adepti sunt ea promissa quibus patres eorum exciderant.

a Josue : quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.

8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur.

9. Dixitque Dominus ad Josue : Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem.

10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt phase, quartadecima die mensis ad vesperum, in campestribus Jericho :

11. Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni.

12. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.

13. Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum?

---

9. *Opprobrium.* Præputium : probrosum enim erat apud Hebræos, si quis aut esset incircumcisus aut diceretur. Vel, opprobrium, quod dicebant Deum eductos ex Ægypto non posse aut nolle introducere in terram promissam. Huc spectat illud Exodi 32, 12 : *Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra;* et fortasse ideo Ægypti opprobrium dicitur, quod Ægyptii qui cum Israelitis erant, tam longæ peregrinationis per desertum pertæsi, aut clam aut etiam palam Judæis opprobrarent.

Galgala. Dicitur a גלל *galal,* quod *volvere, devolvere* ac *removere* significat, ita ut Galgal sit locus devolutionis, ablationis et remotionis, præputii nimirum aut opprobrii Ægyptiorum, juxta expositionem allatam.

10. *Fecerunt phase.* Pascha scilicet, quod ab ejus solemnitate instituta tertium fuit. Primum enim actum est in Ægypto, Exodi 12, secundum in deserto Sinai anno secundo exitus ex Ægypto, Num. 9, 2 et sequentibus; secutis vero peregrinationis annis in deserto omissum est.

11. *Polentam etc.* Far sive hordeum tostum, ex spicis eo anno collectis.

12. *Defecitque manna.* Imber ille mannæ defecit, quia jam ex terræ frugibus ciborum copia suppetebat.

13. *Vidit virum stantem etc.* Angelum quem aliqui Gabrielem putant, plures vero Michaelem qui princeps exercitus Domini dicitur apud Danielem, cap. 10, 13.

Tenentem gladium. Quia belli cum Chananæis inchoandi a Deo nuntius veniebat et adjutor.

Noster es, an adversariorum. Id est, judæus ne es, an chananæus.

14. Qui respondit: Nequaquam; sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio.

15. Cecidit Josue pronus in terram; et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?

16. * Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: lo- * Exod.
cus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat 3, 5. Act. 7,
imperatum. 33.

CAPUT VI.

Post varios septem dierum circuitus, Jericho capto funditus deletur, servata Rahab cum suis: reædificatori urbis maledicitur.

1. Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi.

2. Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros.

3. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus.

4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, qua-

---

14. *Nunc venio.* Ut novo et singulari modo te tuosque adjuvem, ut per solitudinem juvi, et in transitu Jordanis.

13. *Cecidit Josue etc.* Demisit se pronum in terram, ut angelo exhiberet reverentiam.

Loquitur. Loqui vult, mandare vult.

16. *Solve, inquit, calceamentum.* In personæ quam alloqueris, et loci in quo stas, reverentiam.

Caput VI. 1. *Jericho autem clausa erat atque munita.* Chald. *erat Jericho foribus occlusa ferreis, et ahenis obserata vectibus.*

Et nullus egredi audebat aut ingredi. Quod non solum significat urbis portas fuisse clausas, sed excubitores etiam et custodes additos.

2. *Dixitque Dominus ad Josue.* Angelus qui illi apparuerat, cap. 5, 13.

4. *Sacerdotes tollant septem buccinas.* Erant hæ septem sacerdotum tubæ ex earum genere quarum usus erat in annorum jubilæorum indictione, Levit. 25, 9; nam hic in heb. vocantur tubæ יובלים *jobelim*, et LXX vocant ἱερὰς σάλπιγγας, *sacras tubas*, quod tempore sacro jubilæi eas inflarent sacerdotes; quoad materiam, ex cornu arietis erant.

Præcedant arcam fœderis. Iidem sacerdotes qui in Jordanis transmissione arcam tulerant, videntur hic arcam circa Jericho tulisse; neque enim causa ulla est, cur aut pauciores, aut plures, aut alios esse dicamus. Fuerunt ergo Eleazar et Ithamar, aut hujus loco Phinees.

rum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis.

5. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.

6. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini.

7. Ad populum quoque ait: Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini.

8. Cumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,

9. Omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.

10. Præceperat autem Josue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur; donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, et vociferamini.

11. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra, mansit ibi.

12. Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini,

---

* *Septies*. Probabile est tunc septimum circulum censeri debuisse absolutum, cum sacerdotes, et arca, et Josue populi princeps, ad locum unde inchoata esset supplicatio septimo revertissent; hi enim erant pompæ pars potior.

Sacerdotes clangent buccinis. Voluit Dominus clangi buccinis, 1°, ut ostenderet bellum hoc Israelitis tristitiæ nihil, gaudii vero plurimum allaturum. 2°, Vult clangi ut in jubilæo, quia ut eo tempore omnes redibant ad possessionem suam, ita nunc illi ad promissam terram.

5. *Concisior*. Sonus concisus, cum morula aliqua interrumpitur ac repetitur. In hebræo et chaldæo solum est *protractior* aut *longior:* verum id, quando fit, subinde conciditur sonus seu interrumpitur.

Conclamabit omnis populus. Ad terrendos hostes, ad incitandos Israelitas, ad invocandum etiam Deum, et in lætitiæ argumentum.

* *Vociferatione maxima*. Vox hebræa lætam festivamque vociferationem significat. Græci vocant ἀλαλαγμὸν; barritum Vegetius et Tacitus.

9. *Reliquum vulgus arcam sequebatur*. Viri, mulieres, juvenes, senes, Ægyptii etiam proselyti, turbæ immixti.

12. *De nocte consurgente*. Summo mane.

13. Et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæo usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes: et armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat.

14. Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus.

15. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies.

16. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel: Vociferamini; tradidit enim vobis Dominus civitatem:

17. Sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino. Sola Rahab meretrix vivat cum universis qui cum ea in domo sunt, * abscondit enim nuntios quos direximus. * Sup. 2, 4. Heb. 11, 31.

18. Vos autem cavete ne de his quæ præcepta sunt quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur.

19. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.

20. * Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: et ascendit unusquisque per locum qui contra se erat; * ceperuntque civitatem; * Heb. 11, 30. * 2 Mac. 12, 15.

---

15. *Circuierunt urbem ..... septies*. Circuitiones omnes tredecim fuerunt, non, ut quidam rabbinus computat, quatuordecim.

17. *Sitque civitas hæc anathema*. Quæ de anathematismo urbis et Rahab conservatione hic dicuntur, primum populo mandata et explicata fuisse probabile est, nunc autem in memoriam tantum revocata. Jubetur autem civitas esse anathema, hoc est, funditus deleri.

Domino. Ad honorem Domini, vel, quasi dicat: Consecretur Domino. Chald. *ante Dominum*.

18. *Cavete ne .... quippiam contingatis*. Omnia enim abolenda, ædes incendendæ, homines cujusvis ætatis aut sexus occidendi, domui tantum Rahab parcendum: metalla vero et metallica servanda et in Domini ærarium inferenda.

Castra Israel sub peccato sint. Peccati pœnam luant.

20. *Muri illico corruerunt*. In heb. supra num. 5, est, *cadet murus urbis sub se;* inde putant rabbini terra dehiscente muros descendisse, et illa voragine integros conditos fuisse fabulantur: cecidit murus, ut habet vulgatus noster, LXX, et recepta opinio. Hebræi textus sententia est, mœnia in eodem quo stabant loco ruisse, et super se procidisse.

21. Et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt.

* Sup. 2, 1. 22. Duobus autem viris qui * exploratores missi fuerant dixit Josue: Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis.

* Heb. 11, 31. 23. * Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt.

* Inf. 8, 2. 24. * Urbem autem, et omnia quæ erant in ea, succenderunt; absque auro et argento, et vasis æneis ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt.

25. Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josue vivere; et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem: eo quod absconderit nuntios quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens:

* 3 Reg. 16, 34. 26. * Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho: in primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.

27. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra.

---

21. *Interfecerunt omnia.* Heb. *anathema fecerunt.*

A viro usque ad mulierem etc. Vide dicta, Deut. 20, 14. Parcendum plerumque mulieribus, senibus, infantibus; cum hi resistere non possint. Deus tamen qui vitæ et mortis Dominus, aliter fieri jusserat: itaque hoc casu locum habet, quod dicitur Psal. 136, 9: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.*

23. *Extra castra Israel manere fecerunt.* Dum urbs inceditur, et illi in castris tentorium paratur: vel probabilius dum a pristino gentilitatis ritu, et contagio una cum suis expiatur.

24. *Absque auro et argento etc.* Servatum aurum, argentum, metalla, fortasse in templi olim fabricandi impensas.

25. *Fecit Josue vivere.* Servavit.

26. *In primogenito suo fundamenta illius jaciat etc.* Sententia est, in urbis hujus restauratorem animadvertet Deus hac pœna, ut omnes ejus emoriantur liberi, primogenitus quidem cum jacere cœperit fundamenta, in aliis deinceps partibus alii, in ultima vero, id est, in portis statuendis, ultimus seu natu minimus. Harum postea dirarum vim expertus est Hiel de Bethel, ut habemus 3 Reg. 16, 34.

Explorata Hai, cedit populus Israel hostibus propter furtum de anathemate Jericho; quapropter post Josue lamentationem, missa sorte Achan lapidatur jussu Domini.

1. Filii * autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. * Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate: iratusque est Dominus contra filios Israel. * Inf. 22, 20. * 1 Par. 2, 7.

2. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, et explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai.

3. Et reversi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?

4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes,

5. Percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines: persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est.

Caput VII. 1. *Achan*. LXX, Achar, ut etiam in vulgata nostra appellatur, 1 Paral. 2, 7. Heb עכר *hacar* turbare significat, quam vocem nominis Achan originem esse indicat Josue hoc cap. n. 26.

Filius Charmi etc. Achanis accurate describitur genealogia. 1°, Ut distingueretur ab aliis, si qui forte idem nomen haberent. 2°, Propter eam quæ postea narranda erat inquisitionem sontis, in qua per tribus, familias, domos, et capita ad ipsum ventum est. 3°, Ut parentum memoria aliqua infamiæ nota aspergatur, ad quos male educati filii nonnulla culpa pertinet. 4°, Ut augeatur infamia peccantis, qui ex tam illustri tribu ortus est.

Tulit aliquid de anathemate. Quid hoc fuerit, dicitur infra num. 12.

2. *Hai.* Oppidulum Amorrhæorum; alterum vero ejusdem nominis Ammonitarum erat, cujus mentio Jerem. 49, 3.

Bethaven. Nomen urbis et deserti, cujus mentio infra cap. 18, 12.

Bethel. Sic dictam ob causam quæ Genes. 28, 19 habetur; prius dicebatur Luza.

5. *Usque ad Sabarim.* Sabarim significat fracturas, confractiones, contritiones; ab hoc eventu fortasse, ut alibi videbimus factum, imposito nomine. Chald. et LXX, *usque dum contererent*, seu *confringerent eos*.

Instar aquæ liquefactum est. Quæ facillime cedit, huc illuc fluctuat: ita qui animo consternati sunt, malis cedunt, animo fluctuant.

6. Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel: miseruntque pulverem super capita sua,

7. Et dixit Josue: Heu! Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? utinam, ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem!

8. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem?

9. Audient Chananæi, et omnes habitatores terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: et quid facies magno nomini tuo?

10. Dixitque Dominus ad Josue: Surge; cur jaces pronus in terra?

---

6. *Scidit vestimenta sua*. Fuit olim in magni doloris significatione vestium hæc laceratio perusitata: passim habes exempla in Scriptura, Judic. 11, 35; 1 Reg. 4, 12; Job 1, 20; 1 Mach. 2, 14, et alibi.

Coram arca Domini. Cum Josue non esset pontifex, sancta sanctorum ingredi non poterat. Oravit ergo pronus ex proximo quo potuit, ad locum obversus ubi erat arca.

Senes. Ita vocantur tribuum et familiarum principes, licet fortasse non omnes essent ætate senes.

Miseruntque pulverem super capita. Etiam hoc in luctu usitatum, et alibi hujus ritus exempla in Scriptura. Sic Mardochæus, Esther 4, 1, scidit vestimenta et capiti cineres aspersit. Usitata etiam aliis gentibus pulveris hæc inspersio et vestium laceratio. Virg. 12 Æneid.

....it scissa veste Latinus,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

7. *Ut traderes nos in manus Amorrhæi*. Vel sensus est permissivus, quasi dicat: Ut sineres nos in Amorrhæorum manus incidere, ab iisque perdi. Vel consecutivus, quasi dicat: Quia nos trans Jordanem duxisti, ecce jam evenit, ut Amorrhæorum objiciamur furori, et ab iis cædamur et pereamus.

Utinam, ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem. Id est, ut aliqui cœperunt ibi trans Jordanem sedes sibi quærere. Hoc voto non videtur peccasse Josue, quia ita ex magno affectu locutus est; nec quasi inconsulte locutus, est a Domino reprehensus.

8. *Mi Domine*. Heb. *in me Domine*, quasi dicat: In me Domine oculi et aures tuæ intentæ sint et conversæ.

Quid dicam. Quid cogitabo.

9. *Quid facies magno nomini tuo*. Quod ab hostibus nostris traducetur, quasi non potueris tuos salvos præstare, et a periculis eripere.

*10. *Surge*. Nullus hic deprecandi locus; neque nisi pœna sontis expiari potest populus.

11. Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua.

12. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet; quia pollutus est anathemate: non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est.

13. Surge, sanctifica populum, et dic eis: * Sanctificamini in crastinum; hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui est, Israel; non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.

* Lev. 20, 7. Sup 3, 5. Num. 11, 18. 1 Reg. 16, 5.

14. Accedetisque mane singuli per tribus vestras: et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros.

15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua; quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel.

16. Surgens itaque Josue mane, applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda.

17. Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi:

18. Cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi: filii Zare de tribu Juda.

---

11. *Atque mentiti.* Omnes enim spoponderant, se nihil ex anathemate ablaturos, cap. 6, n. 18, 19: nunc vero factum secus.

* *Inter vasa.* Domesticam supellectilem.

12. *Pollutus est anathemate.* Heb. *populus ipse factus est anathema*, ut etiam habent LXX, et sensus est: Exitio devoti sunt Israelitæ, et digni qui anathematis instar e medio penitus tollantur.

Donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. Heb. et LXX, *nisi disperdideritis anathema a medio vestri.*

13. *Sanctifica populum.* Modo supra exposito, cap. 3, n. 5, per vestium scilicet lotionem, corporum, animorumque castimoniam, et noctis illius secubitum.

14. *Accedetisque mane singuli per tribus.* Masius probabiliter censet pro qualibet tribu earum principes se stetisse, eodemque modo familiarum sive gentium capita, tandemque domorum patresfamilias, ultimo loco omnes qui ad eam familiam pertinebant. Probabile etiam est totum Israelem convenisse, ut sortitioni interesset, et divini indicii et judicii exitum cerneret.

16. *Applicuit Israel per tribus suas.* Fortasse inscriptis earum nominibus in schedulis.

18. *Invenit Achan.* Evenit enim, quod Salomon ait in Proverbiis,

19. Et ait Josue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo
Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.
20. Responditque Achan Josue, et dixit ei: Vere ego peccavi
Domino Deo Israel, et sic et sic feci:
21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum,
et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta si-
clorum: et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra
medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.
22. Misit ergo Josue ministros: qui currentes ad tabernaculum
illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum
simul.
23. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue et ad
omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum.
24. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et

---

cap. 16, 33, *sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

19. *Fili mi.* Appellat filium; sunt enim principes boni subditorum suorum patres. Sic Abraham divitem illum in infernum demersum, filium vocat: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*, Luc. 16, 25.

Da gloriam Domino Deo etc. Modus Hebræis usitatus, quo solebant rei tanquam per Deum adjurati, solemni ritu interrogari, admoniti iis verbis stare se coram Deo, reverendam sibi ejus esse majestatem, ne ergo coram illo mentirentur, qui omnia probe sciret, quasi judicantes illum esse ignarum humanarum rerum, quæ magna in Deum erat injuria, hunc potius illi honorem deferrent ut confitenda illius reverentia veritate ostenderent se credere nihil illum ignorare.

20. *Vere ego peccavi Domino Deo Israel.* Singula verba ab animo dolente profecta suam emphasim habent.

Domino Deo Israel. Peccavit Domino, id est, contra Domini præscriptum, vel, solo Domino conscio, quemadmodum et David dicebat, Psalm. 50, 6: *Tibi soli peccavi*, quia licet in Uriam peccasset, is tamen injuriæ sibi illatæ ignarus erat.

21. *Pallium coccineum valde bonum.* Vox hebraica אדרת *addereh* vestem non quamcumque, sed fortem, splendidam et magnificam significat. Aquila et chaldæus habent, *vestem babylonicam.* Porro *Babylon*, ut ait Plin. lib. 8, cap. 48, *docuit diversos colores picturæ intertexere.*

Ducentos siclos argenti. Siclus unus quatuor regalibus hispanicis respondet.

Regulamque auream. Virgulam auream instar linguæ: laminam auream.

Contra medium. In medio.

23. *Ante Dominum.* Arcam Domini.

pallium, et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem, (et omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor:

25. Ubi dixit Josue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel; et cuncta quæ illius erant, igne consumta sunt.

26. Congregaveruntque super eum * acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, vallis Achor, usque hodie.

*2 Reg. 18, 17.

CAPUT VIII.

Expugnata Hai, rex ejus suspenditur, erecto altari lapideo: Deuteronomium super lapides scribitur, et populo benedicitur.

1. Dixit autem Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum: et consurgens ascende in oppidum Hai: ecce tradidi in manu tua regem ejus, et populum, urbemque et terram.

2. Faciesque urbi Hai et regi ejus, * sicut fecisti Jericho et regi illius; prædam vero et omnia animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam.

*Sup. 6, 24.

3. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai: et electa triginta millia virorum fortium misit nocte,

---

24. *Filios quoque et filias.* Probabile hos notasse quid pater egisset, eoque veluti emolumento insigni delectatos, et sic etiam ob propriam noxam interiisse; si per ætatem aut ignorantiam facti sceleris participes non fuerunt, sine culpa, sed non sine causá, ob crimen scilicet patris, occisi sunt, ita jubente Deo qui vitæ et mortis Dominus est.

Boves et asinos etc. Quod factum ad summam facinoris detestationem.

25. *Quia turbasti nos etc.* Alludit ad etymon nominis Achan, de quo dictum supra num. 1.

Lapidavitque eum etc. Et etiam combussit, ut expresse habetur in hebræo. Serarius putat primo combustum, tum in illius cineres ingestos lapides, et acervum illum, de quo num. sequenti, excitatum. Porro Achan, temporario exstinctum igne, ab æterno liberatum cœloque receptum graves auctores censent, * ob insignem pœnitentiam et humilem sceleris confessionem.

26. *Super eum.* Super Achan solum.

Vallis Achor. Id est, *turbationis.*

Caput VIII. 1. *Neque formides.* Chald. *neque frangaris.*

4. Præcepitque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem; nec longius recedatis; et eritis omnes parati:

5. Ego autem, et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, * sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus,

* Sup. 7, 4.

6. Donec persequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius.

7. Nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.

8. Cumque ceperitis, succendite eam, et sic omnia facietis, ut jussi.

9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai: Josue autem nocte illa in medio mansit populi;

10. Surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum.

11. Cumque venissent, et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media.

12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis:

13. Omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio.

14. Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ.

15. Josue vero et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam.

---

4. *Ponite insidias*. Non omnia triginta millia quæ noctu præmisit Josue posita sunt in insidiis, magnus enim is numerus in eam rem; sed ex eo numero tantum quinque millia, de quibus n. 12.

* *Eritis omnes parati*. Ut cum tempus fuerit irrumpatis in urbem.

* 9. *In medio mansit populi*. In castris.

* 10. *Recensuit socios*. Fortasse ut post pugnam constaret neminem desideratum.

* *Cum senioribus*. Quorum major rei militaris erat experientia, ut eorum consilio, quantum opus esset, juvaretur.

* 13. *Ad aquilonem*. Ad aquilonarem urbis partem.

* 15. *Per solitudinis viam*. Per viam quæ ducit ad desertum.

16. At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate,

17. Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes),

18. Dixit Dominus ad Josue: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ quæ latebant surrexerunt confestim; et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam.

20. Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere; præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent.

21. Vidensque Josue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai.

22. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur,

23. Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue.

24. Igitur omnibus interfectis qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem.

25. Erant autem qui in eodem die conciderant, a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.

26. Josue vero non contraxit manum quam in sublime por-

---

18. *Leva clypeum*. Super hastam videlicet alligatum, ut fieret conspicuus iis qui erant in insidiis, juxta condictum. Non quod qui latebant in insidiis viderent clypeum, sed, ut fieri solet, aliqui agebant excubias in edito loco, unde signum clypeo datum videre poterant et eos qui latebant in insidiis admonere.

* 19. *Succenderunt eam*. Partem urbis intellige quæ vergebat ad septentrionem.

20. *Hi qui simulaverant fugam*. Ex quibus nulli desiderati sunt.

* 22. *Medios hostium*. Hostes qui medii erant inter Israelitas.

24. *Ad deserta tendentem*. Dum simulat fugam per viam solitudinis, ut dicitur n. 15.

rexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.

27. Jumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue.

28. Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum:

29. Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce; projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.

30. Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal;

* Exod. 20, 25. Deut. 27, 5. 31. * Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi: altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.

32. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.

33. Omnis autem populus, et majores natu, ducesque ac ju-

---

* 28. *Tumulum sempiternum*. Longissimi temporis; nam post aliquot secula videtur restituta, cum illius mentio habeatur lib. 1 Esdræ cap. 2, 28; et lib. 2 cap. 7, 32, et cap. 11, 32.

29. *Suspendit in patibulo*. LXX lignum hoc patibulare δίδυμον scilicet *geminum* appellant, quod crucem significat ex duobus lignis commissam. Licet autem admodum infame esset hoc crucis suspendium, merito tamen eo mulctatus rex Hai, quia male acceperat Israelitas, et victoria insolentior factus fuerat, et quia principibus Chananæorum majus debebatur supplicium, qui suorum scelera adeo non vendicabant, ut potius iis pravo exemplo et peccandi licentia præirent.

Usque ad vesperam et solis occasum. In quo legem Deut. 21, 23 servavit Josue.

In ipso introitu civitatis. LXX, εἰς τὸν βόθρον, *in fossam;* superingesti vero lapides, ut factum fuerat cum Achan cap. 7, num. 26.

30. *In monte Hebal*. Hebal et Garizim montes prope Sichem siti sunt, quod patet ex Judic. c. 9, 7.

31. *De lapidibus impolitis*. Idem præcipitur Deut. 27, 5. Cur vero ad altare adhiberentur lapides non dolati, dixi Exod. 20, 24.

32. *Scripsit super lapides Deuteronomium*. Pro multitudine rerum describendarum, numerus etiam lapidum acceptus est; fortasse fuerunt duodecim, pro tribuum numero.

33. *Omnis autem populus etc.* In ipsa valle stabant ex sacerdotibus aliqui, qui arcam fœderis gestabant, deinde circum hos alii sacerdotes ac Levitæ omnes, circum hos tertio stabant majores natu et

dices, stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israel.

34. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine.

35. Nihil ex his quæ Moyses jusserat reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis, et advenis qui inter eos morabantur.

CAPUT IX.

Gabaonitæ simulatione longi itineris imponentes Josue et principibus Israelitarum, medio juramento salvantur, insecuto tamen murmure, perpetuo famulitio adstringuntur.

1. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Jebusæus,

2. Congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo, eademque sententia.

3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho et Hai,

---

duces et judices, tandem deinceps tribus omnes ascendendo versus montium cacumina.

* *Ut advena ita et indigena.* Tam proselyti qui advenæ dicuntur, quam Israelitæ.

Benedixit populo Israel. Vel per se ipsum ut propheta, vel per sacerdotes.

* 34. *Et cuncta quæ scripta erant.* In hebræo et LXX est, legit omnia verba legis, benedictionem et maledictionem, juxta omne quod scriptum est in libro legis.

Caput IX. 1. *Trans Jordanem.* Respectu terræ Moab.

Magni maris. Maris Mediterranei.

Juxta Libanum. Qui mons est in aquilonari parte terræ sanctæ.

3. *Qui habitabant in Gabaon.* Quæ et quanta esset civitas Gabaon, et quales habitatores ejus, dicitur in sacro textu cap. 10, 2. Proprie Gabaonitæ erant ex Hevæorum gente. Si tamen Amorrhæorum nomen, ut aliquando fit, genaratim sumatur, ipsi quoque inter Amorrhæos sunt recensendi: sic Gabaonitæ Amorrhæi dicuntur 2 Reg. 21, 2. Ex D. Hier. fuit Gabaon in tribu Benjamin. * Josephus lib. 7 antiq. cap. 10, ait Ga-

4. Et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos,

5. Calceamentaque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis; panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti;

6. Perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque simul omni Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt:

7. Ne forte in terra quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum.

8. At illi ad Josue: Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait: Quinam estis vos? et unde venistis?

9. Responderunt: De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,

* Num. 21, 24. 10. * Et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan, qui erat in Astaroth:

11. Dixeruntque nobis seniores et omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite: Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum.

12. En, panes, quando egressi sumus de domibus nostris ut veniremus ad vos, calidos sumsimus, nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti.

13. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti: vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et pene consumta.

14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt.

---

baonem quadraginta stadiis Hierosolyma abfuisse, lib. autem 2 de bello judaico, cap. 23, quinquaginta.

5. *Pittaciis*. Pittacium apud Celsum, lib. 3, cap. 10, panniculus est qui medicamento illitus male affectæ parti applicatur. Latius deinde sumitur pro corii, ut hic, aut alterius materiæ segmento.

In frusta comminuti. Vox hebraica significat mucidos et varii coloris maculis quasi punctis affectos.

9. *In nomine Domini Dei tui*. Fama mirabilium rerum exciti, quas pro vobis fecisse dicitur Deus vester.

14. *Susceperunt igitur de cibariis eorum*. De pane, ut scilicet viderent, num, sicut legati aiebant, esset ille tam aridus et in micas re-

15. * Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere, pollicitus est quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis. *2 Reg. 21, 2.

16. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent.

17. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt: Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.

18. Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.

---

dactus, aut mucidus, tractarentque manibus, et dentibus etiam fortassis explorarent. Alii putant Israelitas de cibariis Gabaonitarum in fœderis signum comedisse.

Os Domini non interrogaverunt. Divinum oraculum non consuluerunt.

15. *Fecitque Josue cum eis pacem*. Fuerant prohibiti Israelitæ pacem cum iis populis facere, qui sedes ipsis a Deo assignatas occupabant. Hoc autem ita accipiendum erat, nisi ipsi sacra Judæorum suscipere vellent, et bona sua Hebræis quibus Dei voluntate debebantur, relinquere. Et quidem, quod ad religionem attinet, cum se mirabilibus a Deo patratis excitos, et in nomine Domini venire profiterentur, etiam a religione israelitica se non abhorrere significabant. Quod vero pertinet ad bona, se Israelitarum servos appellant, et mortem tantum deprecantur. Itaque potuit Josue pacem cum Gabaonitis facere.

16. *Post dies autem tres etc.* Jam Gabaonitarum fraus retegitur, ex quo apparuit, parum prudenter se in hac re gessisse Israelitas, ac peccatum est, 1°, Quod in re tam gravi Dominum non consuluerunt. 2°, Quod nimis facile dictis a Gabaonitis crediderunt, et nimis propere negotium confecerunt. 3°, Quod nimium sua quapiam laude visi sunt capi et oblectari, dum ex tanto intervallo dissitis regionibus ad se legatos destinatos audiunt, præsertim tam demisse agentes, et pacem postulantes.

Audierunt quod in vicino habitarent. Fortasse a frumentatoribus et papulatoribus qui in vicina loca excurrebant, vel ex Rahab meretrice, aut consanguineis ejus.

17. *Caphira, et Beroth, et Cariathiarim*. Hæ civitates Gabaon subjectæ fuisse videntur, ut colligitur cap. 10, 2.

18. *Eo quod jurassent*. Poterant quidem Israelitæ datam fidem Gabaonitis non servare, quia errore decepti fuerant, nec in pacem cum tam vicinis populis consenserant; nihilominus, vel juramenti reverentia, vel quia se teneri ejus religione crediderunt, vel quia ut ita facerent inspiravit aut jussit Deus, recte fidem datam non violarunt. * Optime quadrant hic verba Livii lib. 3: *Nondum hæc, quæ nunc tenet seculum, negligentia*

19. Qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere.
20. Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus:
21. Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus,
22. Vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis?
23. Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.
24. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus.
25. Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis.
26. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur.
27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

Dei venerat, nec interpretando sibi quisque jusjurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad eas accommodabat.

21. *In usus universæ multitudinis.* Abulensis putat etiam ad privatorum usus Gabaonitas ligna cædere et comportare debuisse, saltem usque ad terræ divisionem. Alii plures verius sentiunt ligna et aquam eos ministrasse tantum ad publicos usus tabernaculi et altaris, cui cum serviebant, ecclesiæ serviebant et universæ multitudini. * Porro Gabaonitæ postmodum Nathinæi dicti sunt, 1 Paral. 9, 2; 1 Esdræ 8, 20, et alibi,

23. *Sub maledictione eritis.* Servitutis scilicet vili ministerio addictæ.

Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens etc. LXX habent, *non deficiet ex vobis servus.* Porro lignorum cæsores et aquarum bajuli, ut extrema et vilissima populi portio numerantur, Deut. 29, 11; ubi enim dicitur, *exceptis lignorum cæsoribus etc.* verti potest cum LXX, *usque ad lignorum cæsores etc.* quasi dicat: A principibus usque ad vilissimos.

27. *Usque in præsens tempus.* An aliquando fuerint Gabaonitæ obligatione ferendorum lignorum soluti, incertum est. Olim celebra-

Quinque reges oppugnantes Gabaon, immoto sole; unius diei spatio vincuntur, et ex spelunca extracti suspenduntur, pluresque aliæ civitates capiuntur.

1. Quæ cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sic fecit Hai et regi illius), et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, et essent fœderati eorum,

2. Timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi.

3. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens:

4. Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue et ad filios Israel.

5. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum: rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam.

6. Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum; ascende cito,

---

bant Hebræi festum quoddam, quod Xylophoriam vocat Josephus lib. 2 antiq. c. 31, quo populus sponte ligna offerebat, ne deficerent in usum altaris, et ejusdem oblationis lignorum mentio in Nehemia cap. 10, 34. Quod ad aquas ferendas spectat, licet Gabaonitarum labor fortasse fuerit imminutus per probaticam piscinam et per aquas fontanas quas in templo aliqui fuisse volunt, adhuc tamen ad complendos luteres et conchas et alia hujusmodi, illorum ministerium opportunum ac fortasse etiam necessarium fuit.

In loco quem Dominus elegisset. In quo aut tabernaculum habuisset aut templum.

Caput X. 1. *Adonisedec.* Quod nomen *regem justitiæ* significat.

3. *Misit ergo Adonisedec etc.* Convocat Adonisedec alios reges, vel quod ipse medius esset inter Gabaon quæ se dediderat et castra Israelitarum; vel quod cæteros dignitate præcelleret. Arias Montanus putat, penes hunc regem fuisse in alios reges potestatem ad lites componendas et ad causas et negotia majoris momenti, atque ideo convocare alios juris illius fuisse.

Hebron, Jerimoth, Lachis, Eglon. Quæ civitates in tribu Juda postea fuerunt.

4. *Quare transfugerit.* Quod transfugerit.

et libera nos, ferque præsidium: convenerunt enim adversum nos
omnes reges Amorrhæorum qui habitant in montanis.
7. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.
8. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus
enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit.
9. Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens
de Galgalis.
* 1 Reg. 7, 10. Isai. 28, 21. 10. Et * conturbavit eos Dominus a facie Israel; contrivitque
plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus
Beth-horon, et percussit usque Azeca et Maceda.
11. Cumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Bethhoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque
ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam
quos gladio percusserant filii Israel.
12. Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol, contra Gabaon ne movearis; et luna, contra vallem Ajalon.
* Eccli. 46, 5 13. Steteruntque * sol et luna, donec ulcisceretur se gens
de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Ste-

---

7. *Ascenditque Josue de Galgalis*. Reliquit tamen stativa illa in Galgalis, eo munita præsidio quo adversus repentinas incursiones et casus opus erat.

10. *Conturbavit eos Dominus*. Fortitudine ac metu exanimavit.

In Gabaon. In agro Gabaonis.

11. *Lapides magnos*. Lapidosam grandinem, instar lapidem duram; fuit enim hæc grando, ut habetur hoc eodem versiculo, in quo appellantur lapides grandinis, et LXX dixerunt λίθους χαλάζους. Sic etiam Ecclesiasticus cap. 46, 6. Attriti sunt ergo Chananæi plaga quæ in Pharaonem et Ægyptios fuit septima, Exodi 9, 23, 24.

De cœlo. Aere nimirum, qui sæpe in Scriptura cœlum dicitur, sic volucres cœli etc.

12. *Sol, contra Gabaon ne movearis*. Vere stetit sol, quod et diserte dicitur in cantico Abacuc, cap. 3, 11, *sol et luna steterunt in habitaculo suo*.

13. *In libro justorum*. * Videtur fuisse liber versu conscriptus de gestis heroum et virorum sanctorum veteris testamenti. Metrice scriptum indicat Davidis lamentatio ex eodem libro justorum desumta, quæ habetur 2 Regum c. 1, 18, quæ dictionem poeticam redolet. Ita Bonfrerius hic. Alii putant fuisse librum in quo ritus continebantur, quo scilicet modo functiones variæ tam in bello quam in pace fieri recte possent ac deberent juxta legem; in quo etiam libro varia ad historiam pertinentia continerentur. Inchoatus fortasse sub

tit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei.

14. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.

15. Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ.

16. Fugerant enim quinque reges, et se absconderant in spelunca urbis Maceda.

Mose ad dirigendam praxim in variis actionibus reipublicæ, deinde variis temporibus, ut in hujusmodi libris fit, variis additamentis auctus.

In medio cœli. In cœlo ipso, * sic Abulensis, Em. Sa, et Magallanes in hunc locum. Itaque non significatur æqualiter solem distasse ab oriente et occidente, sed tantum inter hos duos terminos constitisse.

Spatio unius diei. Variæ circa hoc sunt sententiæ. Verius videtur stetisse solem horas duodecim, ita ut lux ejus diei esset horarum viginti quatuor, lucis vero ac noctis totum spatium simul sumtum horarum triginta sex.

14. *Non fuit antea nec postea tam longa dies.* Ne Ezechiæ quidem tempore, cum sol decem lineis per gradus quos descenderat, reversus est, Isai. 38, 8; vel enim umbra tantum, quam projiciebat gnomon retrocessit, sole cursum suum tenente; vel, si sol ipse regressus est, spatium temporis adhuc minus fuit; sunt enim qui doceant non unaquaque linea horam unam contineri, sed dimidiam tantum aut quadrantem; et si concedamus unamquamque lineam horæ unius indicem fuisse, sol tamen et umbra non est sensim regressa, eo modo quo progredi solet, sed uno quasi momento decem illas horas confecit, et rursus solito modo remetiri cœpit, itaque totum spatium diei ac noctis, triginta quatuor horarum fuerit, non quadraginta quatuor. * Adde sacrum scriptorem tantum dicere non fuisse antea nec postea, scilicet usque ad tempus, cum hæc scriberet, tam longam diem. Fieri etiam potest ut regressus solis tempore Ezechiæ contigerit prope solstitium hibernum, quo tempore horæ inæquales, quibus utebantur Hebræi, breviores multo erant quam æstivæ.

Obediente Domino. Verbum hebraicum שמע *scamang* audire, exaudire et obedire significat. Hanc tertiam significationem noster interpres et LXX qui usi sunt voce ἐπακούειν, secuti sunt, quæ versiones vim et efficacitatem orationis magis explicant.

15. *Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ.* Revertebatur in Galgala, sed auditis quæ de regum latebra, hostiumque residuorum numero nuntiabantur, aliud consilium cepit, prout explicatur versu 17 et sequentibus, sicque hostes insequi jubet, mandatque, ut, cum receptui caneretur, Macedam convenirent. Sicque hoc ipso die non est reditum in Galgala, sed stativa nocturna prope Macedam fuerunt.

17. Nuntiatumque est Josue quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda.

18. Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant:

19. Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras.

20. Cæsis ergo adversariis plaga magna, et usque ab internecionem pene consumtis, hi qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas.

21. Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est.

22. Præcepitque Josue, dicens: Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges qui in ea latitant:

23. Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum; et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon.

24. Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum colla pedibus calcarent,

25. Rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.

26. Percussitque Josue et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vesperum.

* Deut. 21, 23. 27. * Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam in qua

---

21. *Integro numero.* Nullo plane desiderato.

Mutire ausus est. Sese illis vel minimum opponere.

24. *Ponite pedes super colla regum.* Ut scilicet impiis meritas pœnas infligeret, et ut Israelitis animum adderet, et in magnam spem divinorum promissorum consequendorum erigeret.

26. *Percussitque Josue et interfecit eos.* Non gladio, sed cruce, ut sequitur.

Super quinque stipites. Ut supra, cap. 8, 29, de rege Hai dictum est.

27. *Cumque occumberet sol.* Vide dicta cap. 8, loco citato.

latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens.

28. Eodem quoque die Macedam cepit Josue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda sicut fecerat regi Jericho.

29. Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam;

30. Quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israel: percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores ejus; non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna * sicut fecerant regi Jericho. * Sup. 6, 2.

31. De Lebna transivit in Lachis cum omni Israel: et exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam.

32. Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel: et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna.

33. Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad internecionem.

34. Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit,

35. Atque expugnavit eam eadem die: percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis.

36. Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam:

37. Cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratæ; non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio.

38. Inde reversus in Dabir,

Posuerunt super os ejus saxa ingentia. Ne quis cadavera ad honorificam sepulturam asportare posset, et ad rei memoriam perpetuam.

28. *Eodem quoque die.* Fortassis sensus est, eodem tempore; nam difficile intellectu videtur tam multa oppida inter se distantia tam cito capi potuisse, et ea quæ narrantur fieri tam brevi spatio. Ita Serarius. * At si sol, ut vult Bonfrerius, stetit ante meridiem, non mirum ea omnia quæ narrat sacer textus perfici potuisse.

Parvas reliquias. Nullos omnino reliquos fecit.

39. Cepit eam atque vastavit: regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii; non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron et Lebna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius.

40. Percussit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth cum regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias; sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel,

41. A Cadesbarne usque Gazam. Omnem terram Gosen usque Gabaon,

42. Universosque reges, et regiones eorum, uno impetu cepit atque vastavit: Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo.

43. Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

CAPUT XI.

Expugnat Josue Jabin cum aliis plurimis regibus ac populis, omnia servans quæ Dominus Mosi præceperat.

1. Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph;

2. Ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis et in

---

40. *Omnem terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth.* Significatur tam terræ situs quam qualitas, per binas veluti oppositiones; prior est terra montana et campestris, secunda est meridiana, aprica scilicet et soli exposita, atque idcirco aridior, et Asedoth quæ vox aquarum effusiones significat, hoc est, loca aquis abundantia et irrigua. Aliqui volunt Asedoth esse loci nomen proprium.

41. *Cadesbarne.* Est Judææ terræ limes extremus versus austrum.

Gosen. Vel urbs fuit in montosis Judææ locis, ut infra cap. 15, 51, vel pinguis quispiam herbidus et compascuus locus, illius instar quem suis in Ægypto fratribus tradidit Joseph, Gen. 47, 11.

Caput XI. 1. *Asor.* Quæ postea ad tribum Nephthalim pertinuit, infra cap. 19, 36, sita fuit versus Libanum montem, non procul a Cæsarea Philippi.

* *Misit ad Johab.* Erant enim omnes hi reges subditi regis Asor, ut patet ex hoc capite, num. 10.

2. *Ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis.* In jugis Libani, qui est in aquilonari parte Judææ.

In planitie contra meridiem Ceneroth. Ceneroth est urbs quæ postea dicta est Tiberias juxta lacum qui in Scriptura dicitur Tiberiadis et mare Ceneroth, Num.

planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare;

3. Chananæum quoque ab oriente et occidente, et Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum et Jebusæum in montanis, Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha.

4. Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis;

5. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israel.

6. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos; cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu

---

34, 11; et Deut. 3, 17, et mare Genesareth, Marci 6, 53, et alibi. Dicitur hic Ceneroth in plurali numero, vel per enallagen, vel quod essent duæ Ceneroth, vel ut non solum lacui adjacentes agri significarentur, sed etiam paulo remotiores.

In campestribus. Fortasse Aulonem intelligit, vel vallem illustrem quæ et campus regius dicta est. Vide Gen. 12, 6; et 14, 17; et Deut. 11, 30.

Dor. Dor ab antiquis dicta Dorus, Dorum vel Dora, meminit Steph. de urbibus, Ptolomæus et Plin. lib. 5, 19. * Sita fuit in tribu Manasse circa Jordanem, infra cap. 17, 11.

Juxta mare. In hebræo est *a mari*, quod idem est ac ab occidente.

* 3. *Chananæum*. Hic Chananæum intelligit prout specialem Chananææ gentis populum efficit.

Ad radices Hermon. Qui mons est pars Libani, Alius est etiam Hermon mons apud torrentem Cisson, non procul a Gelboe.

In terra Maspha. Maspha speculam significat, plures autem loci sic appellantur in Scriptura. Hæc de qua nunc est sermo, in Libano fuisse videtur.

4. *Multus nimis*. Admodum multus. * Josephus vult fuisse peditum trecenta millia, equitum decem millia, e curribus vero pugnantium viginti millia.

Sicut arena quæ est in littore maris. Hyperbole.

Equi quoque et currus immensæ multitudinis. In hebræo et græco, *multi valde*.

5. *Ad aquas Merom*. Est Jordanis lacus inter illius exortum et stagnum Genesareth. * Vide Josephum lib. 4 belli, c. 1; et Adrichom. in tribu Nephthalim n. 11.

6. *Hac eadem hora*. Heb. *in tempore hoc*.

Subnervabis. Nervos incides, pedum scilicet et crurum. LXX dicunt νευροκοπεῖν. * Id propterea jussit Deus quod non in equitatu, sed in Dei tutela spem suam locare vellet Hebræos. Psalm. 19, 8: *Hi in curribus, et hi in equis: nos*

Israel: equos eorum subnervabis, et currus igne combures.
7. Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo, adversus illos
ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos:
8. Tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusse-
runt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas
Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad orientalem illius
partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias:
9. Fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum sub-
nervavit, currusque combussit igni.
10. Reversusque statim cepit Asor: et regem ejus percussit
gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum
tenebat.
11. Percussitque omnes animas quæ ibidem morabantur: non
dimisit in ea ullas reliquias; sed usque ad internecionem universa
vastavit, ipsamque urbem peremit incendio.
12. Et omnes per circuitum civitates regesque earum cepit,
percussit atque delevit, * sicut præceperat ei Moyses famulus
Domini.

* Deut. 7, 1.

13. Absque urbibus quæ erant in collibus et in tumulis sitæ,
cæteras succendit Israel; unam tantum Asor munitissimam flamma
consumsit.
14. Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt
sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis.
15. * Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præce-
pit Moyses Josue, et ille universa complevit: non præteriit de
universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Do-
minus Moysi.

* Exod. 34. 11. Deut. 7, 1.

---

autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Currus. Falcatos, aut alio modo ad bellum instructos.

8. *Usque ad Sidonem magnam.* Nota urbs in ora maris Mediterranei.

Aquas Maserephoth. Masius vertit *ustrinas aquarum*, alii *combustiones aquarum:* volunt aliqui has fuisse salinas: alii calidarum aquarum ebullitiones: alii fuisse vitrarias fornaces, quam sequitur sententiam Serarius, propter quasdam conjecturas quas apud ipsum lege.

Campumque Masphe. De Maspha dixi num. 3.

12. *Omnes per circuitum civitates.* Ex libris tamen Regum scimus sub Davide et Salomone quædam Chananæorum loca primo in ditionem Hebræorum venisse. Sensus ergo nostri textus est, omnia cepisse dicitur, non quoad singula, sed quoad maximas et generales ejus partes, verbi gratia, montanam, meridianam etc.

16. Cepit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israel, et campestria ejus;

17. Et partem montis quæ ascendit Seir usque Baalgad per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit.

18. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos.

19. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.

20. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.

21. In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de montanis, Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda et Israel, urbesque eorum delevit.

22. Non reliquit ullum de stirpe Enacim in terra filiorum Israel; absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relicti sunt.

23. Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes et tribus suas. Quievitque terra a præliis.

CAPUT XII.

Numerantur reges triginta unum citra et ultra Jordanem quos percusserant Moses et Josue.

1. Hi sunt reges quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, a torrente Arnon

---

* 16. *Montemque Israel.* Id est, montem Samariæ, qui post secessionem decem tribuum *mons Israel* dictus est. Vel montem Bethel, in quo Jacob scalæ visionem habuit; ita ut mons a Jacob patriarcha, qui Israel etiam dictus est, nomen sortiatur.

20. *Ut indurarentur corda eorum.* Indurationis causa directe et per se est homo, qui suapte sponte, prosusque libere divinis inspirationibus acquiescere non vult. Deus vero indirecte tantum, impropric et per accidens causa est, quia scilicet indurationem illam permittit. * Induratio autem hæc in eo posita erat, ut statuerent se armis tueri et nullas deditionis conditiones admittere.

21. *Interfecit Enacim.* Gigantes, posteros Enac.

23. *Tradidit eam in possessionem filiis Israel.* Hoc postea factum est infra.

Caput XII. 1. *A torrente Arnon.* Fluvius est Moabitas sejun-

usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam quæ respicit solitudinem.

2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroer quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon;

3. Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra orientem, et usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum, ad orientalem plagam, per viam quæ ducit Bethsimoth; et ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga.

4. Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon et in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos

5. Gessuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad, terminos Sehon regis Hesebon.

6. Moyses famulus Domini, et filii Israel, percusserunt eos; tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse.

7. Hi sunt reges terræ quos percussit Josue, et filii Israel trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani,

---

gens ab Amorrhæis cis Jordanem positis, ut ex lib. Num. c. 21, 31 patet. * Duobus terminis hic recensitis claudebatur tota illa regio trans Jordanem, torrente quidem Arnon ad meridiem, monte autem Hermon ad septentrionem. Eosdem terminos habes, Deut. 3, 8, et c. 4, 48.

2. *Aroer*. Vide cap. sequenti dicta ad numerum 25. * Describitur latitudo regni Sehon.

Jaboc. Est torrens dividens Galaaditidem ab Ammonitarum finibus.

3. *Mare Ceneroth*. Vide dicta supra cap. 11, 2.

Bethsimoth. Est limes septentrionalis campestrium Moab. Vide cap. seq. num. 20.

Asedoth, Phasga. Vide cap. seq. num. 20.

* 4. *De reliquiis Raphaim*. Sic et Deuter. 3, num. 11, dicitur: *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum*.

Astaroth. Vide cap. seq. n. 31.

Edrai. Vide ibidem.

Salecha. Quæ dicitur Salcha, Selcha, Selchar, et Salchata. Vide Adrichomium in tribu Manasse.

5. *Gessuri*. Gessur regia civitas, quæ regioni vicinæ nomen dedit, ut Gessuri diceretur. Porro Gessuri regio israeliticæ terræ quæ trans Jordanem est, versus septentrionem terminus fuit.

Machati. Quæ et Maacha, urbs Amorrhæorum, sita juxta regionem Gessuri et montem Hermon.

7. *Baalgad*. Alias Baalgath,

usque ad montem cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas,

8. Tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus et Pherezæus, Hevæus et Jebusæus.

9. Rex Jericho unus; rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus;
10. Rex Jerusalem unus, rex Hebron unus,
11. Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus,
12. Rex Eglon unus, rex Gazer unus,
13. Rex Dabir unus, rex Gader unus,
14. Rex Herma unus, rex Hered unus,
15. Rex Lebna unus, rex Odullam (1) unus,
16. Rex Maceda unus, rex Bethel unus,
17. Rex Taphua unus, rex Opher unus,
18. Rex Aphec unus, rex Saron unus,
19. Rex Madon unus, rex Asor unus,

(1) Odullam. *In edit. Sixt. legitur* Adullam.

mons item et urbs in campo Libano sub monte Hermon sita.

Seir. Nomen montis et oppidi in eo siti. Est mons excelsus trans Jordanem ad orientalem plagam terræ Hus situs. Nomen habuit mons hic ab Esau qui Seir etiam dictus est, hoc est, pilosus, hirsutus.

9. *Rex Jericho unus*. Primus ponitur rex Jericho, quia cum eo primum, transito Jordane, pugnatum est, ut supra vidimus.

Rex Hai etc. Res gestas contra regem hunc vidimus supra c. 8.

10. *Rex Jerusalem*. Adonisedec, de quo supra cap. 10.

Rex Hebron. Quæ civitas est in sortis Judæ umbilico, ab Jerusalem austrum versus millibus viginti duo, secundum Hieronym. distans, vide infra cap. 14, 15.

11. *Rex Jerimoth etc*. Jerimoth, Lachis, et Eglon civitates sunt in sorte Judæ.

12. *Rex Gazer*. Quæ civitas est in sorte Ephraim.

13. *Dabir*. Alio nomine *Cariath Sepher*, id est, *civitas litterarum*.

Rex Gader, Herma, Hered, Odullam, Maceda. Hæ quinque civitates numerantur in sorte Judæ.

16. *Rex Bethel*. Bethel non fuit capta vivente Josue, sed post illius mortem; vel ergo rex occisus est, urbe ejus intacta, vel hic reges numerantur, qui vel vivente vel mortuo Josue ab Israelitis interfecti sunt. Vide Judic. 1, ubi de Bethel capta.

17. *Rex Taphua, Opher, Aphec*. Taphua urbs in tribu Juda, ut patet infra cap. 15, 34. Opher nescitur ad quam tribum spectaverit, quia non numeratur in sortitione terræ sanctæ. Aphec est in tribu Aser, ut constat ex cap. 19, 30, juxta regionem Philisthinorum.

18. *Rex Saron, Madon, Asor*.

20. Rex Semeron unus, rex Achsaph unus,
21. Rex Thenac unus, rex Mageddo unus,
22. Rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus,
23. Rex Dor et provinciæ Dor unus, rex gentium Galgal unus,
24. Rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

CAPUT XIII.

Jubet Dominus Josue ut terram dividat, assignatis partibus Ruben, Gad et dimidiæ tribui Manasse trans Jordanem.

1. Josue senex: provectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum: Senuisti, et longævus es; terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est:
2. Omnis videlicet Galilæa, Philisthiim, et universa Gessuri:

Asor, cujus rex erat Jabin, nominatur in sorte Judæ, cap. 15, 23. Madon vero et Saron nulla mentio, nisi sit Seron in sorte Issachar, infra cap. 19, 19.

20. *Rex Semeron, Achsaph, Thenac.* Semeron est in tribu Zabulon, ut patet ex cap. 19, 15. Achsaph in tribu Aser, nec multum distat a Semeron. Thenac in Manasse occidentem versus, ut patet infra cap. 17, 11.

21. *Rex Mageddo, Cades, Jachanan.* Mageddo est in tribu dimidia Manasse prope Thenac. Vide Judic. 1, 27. Cades in Galilæa est in sorte Nephthalim, ut patet infra cap. 19, 37, et 20, 7; erat una ex civitatibus refugii. Jachanan urbs ad Carmelum, postea Levitis attributa.

23. *Rex Dor.* Vide supra cap. 11, num. 2.

Rex gentium Galgal. Rex gentium dicitur, quia intra fines sui regni clientes habebat ex gentibus Chananæorum, qui in ejus ditione domicilium habebant. Distabat Galgal a Jericho stadiis decem. Vide dicta supra cap. 5, num. 9.

24. *Omnes reges triginta unus.* Nam duo, quos Moses occidit, ad hanc summam non pertinent. * Phrasi Scripturæ, etiam unius oppidi, aut exigui tractus domini reges appellantur.

Caput XIII. 1. *Quæ necdum sorte divisa est.* Heb. potius significare videntur multum terræ nondum occupatæ relictum esse, sed bene noster interpres; nam et quæ occupata erant et quæ occupanda, sorte erant dividenda.

* 2. *Galilæa.* Hæc regio jam in ditionem Israelitarum venerat, supra cap. 10, in bello quod ad aquas Merum gestum est, et vox hebraica גלילות *geliloth,* quæ hic habetur, terminos, limites, aut fines significat: quare suscipatur Bonfrerius D. Hieronymum scripsisse *geliloth*, vel *galila Philisthiim*, quasi nomen proprium esset, et postea propter vocabuli similitudinem vocem *Galilæa*, in textum irrepsisse.

Universa Gessuri. Terram quam

3. A fluvio turbido qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem; terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas.

4. Ad meridiem vero sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum usque Apheca et terminos Amorrhæi,

5. Ejusque confinia: Libani quoque regio contra orientem a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath:

6. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi.

7. Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse,

8. Cum qua Ruben et Gad possederunt terram * quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluenta Jordanis, ad orientalem plagam: * Num. 32, 33.

9. Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestria Medaba, usque Dibon;

Gessuræi occupaverant, a mari scilicet per aquilonarem oram secundum Syriam. De istis ergo Gessuræis agitur, non de illis qui Amalecitis vicini erant, quos tandem Saul delere jussus est, 1 Reg. 15, 3.

3. *A fluvio turbido.* Nilo scilicet: * loquitur sacer textus de termino terræ Philisthiim Ægyptum versus, non autem de peculiari limite Gessuri.

* *Accaron.* Terminus terræ Philisthæorum ad septentrionem.

* 4. *Usque Apheca.* Sermo est de Apheca quæ fuit in tribu Aser, infra cap. 19, 30; nam alia fuit in tribu Juda, ut habemus hoc libro cap. 15, 53.

* 5. *Donec ingrediaris Emath.* Id est, usque ad Emath, quæ urbs regia fuit Libano vicina ad partem borealem.

* 6. *Ad aquas Maserephoth.* De quibus vide dicta cap. 11, 8.

* *Veniat ergo in partem.* In hebræo est: *Cadere fac Israel in hæreditatem*, id est, divide inter filios Israel.

* 8. *Cum qua.* Loquitur de tota tribu Manasse, non de parte illius dimidia tantum.

9. *Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio.* Vel una tantum fuit civitas in ripa Arnon posita et in alveum usque ædificiis producta: vel quasi bipartita civitas, quarum partium altera in crepidine torrentis sive fluvii, altera brevi intervallo dissita, in alveo inferiori posita esset. Vide infra hoc eodem c. num. 25.

Campestria Medaba, usque Dibon. Duæ fuerunt urbes in ditione Sehonis regis. Cessit prior Rubenitis, posterior Gaditis. Utriusque meminit Isaias, cap. 15.

10. Et cunctas civitates Sehon, regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon;

11. Et Galaad, ac terminum Gessuri et Machati, et omnem montem Hermon; et universam Basan, usque ad Salecha,

12. Omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moyses, atque delevit.

13. Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri et Machati; et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem.

* Num. 18, 20. 14. * Tribui autem Levi non dedit possessionem; sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi.

15. Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas.

16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media; universam planitiem quæ ducit Medaba,

17. Et Hesebon, cunctosque viculos earum qui sunt in campestribus; Dibon quoque, et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon,

---

* 10. *In Hesebon*. Vide infra num. 17.

* 11. *Et Galaad*. Urbem potius intellige quam montem ejusdem nominis.

* *Gessuri*. Vide cap. præcedenti num. 5.

* *Montem Hermon*. Qui erat in extremo aquilonari limite regionis trans Jordaninæ.

* *Salecha*. Extrema urbs juxta montem Hermon ad septentrionem.

12. *Ipse fuit de reliquiis Raphaim*. De gigantum stirpe, ut multi vertunt. Chald. vertit *de reliquiis fortium*.

13. *Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri et Machati*. Quia ad dandum sedes duabus tribubus cum dimidia, tunc satis agrorum et urbium suppetebat, illis intactis.

* 16. *Ab Aroer*. Loquitur de termino extrinseco Rubenitarum; nam Aroer fuit in tribu Gad.

17. *Hesebon*. De hoc sermo est, Num. 21, 26: dicitur eam prius Moabitarum fuisse et ab Amorrhæis bello captam.

* *Dibon*. Hæc Rubenitis tribuitur hoc loco, Num. vero, cap. 32, 34. Gaditis, quia ad utramque tribum secundum diversam sui partem pertinebat, cum in tribus utriusque confinio sita esset.

Bamothbaal. Id est, *excelsa Baal*. Locus, ex quo Balaam benedixit Israeli, Num. 22.

Baalmaon. Quæ et *Beelmeon*, civitas inclyta, Num. 32, 38; 1 Par. 5, 8; Ezech. 25, 9, et ibi Hier. qui testatur suo tempore fuisse vicum maximum Moab *Baalmaon* significat *idolum populi*.

18. Et Jassa, et Cedimoth, et Mephaath,

19. Et Cariathaim, et Sabama, et Sarathasar in monte convallis;

20. Bethphogor et Asedoth, Phasga et Bethjesimoth,

21. Et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, * quem percussit Moyses cum principibus Madian; Hevæum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, duces Sehon habitatores terræ. * Num. 31, 8.

22. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio, cum cæteris interfectis.

---

18. *Jassa*. Urbs in tribu Ruben, quam attribuerunt Israelitæ Levitis. Prophetarunt contra eam Isaias cap. 15, et Jerem. 48. D. Hieron. de locis heb. sua ætate illius memoriam affirmat in ruinis celebratam. Jassa *rixam* significat.

Cedimoth, sive *Cademoth*. Civitas Levitarum, de qua 1 Paral. 6, 79, a qua solitudo ejusdem nominis. Significat *incendium*, seu *curvationem mortis*.

Mephaath. Civitas Levitarum, dicta etiam *Miphaath*, et *Mephet*, et *Maspha*. Significat *apparitionem aquarum*.

19. *Cariathaim*. Significat *lectiones*, seu *vocationes*. De hac urbe prophetarunt Jerem. 48, 23, et Ezech. 25, 9.

Sabama. Urbs validissima, quam fabricaverunt filii Ruben, cujus suburbana et territorium vineis abundabat. Significat *conversionem*, sive *captivitatem*, sive *canitiem*.

Sarathasar. Id est, *plasmatio matutina*, in monte convallis Bethphogor.

20. *Bethphogor*. Id est, *fanum Phogor*, civitas in qua idolum Phogor, id est, Priapi colebatur.

Asedoth, Phasga. Id est, *viculus collis*. Hæ tamen duæ voces in correctis bibliis separantur, ut duorum locorum nomina sint, quorum alter sit dictus Asedoth, alter Phasga.

Bethjesimoth. Id est, *domus vastationum*. Eam vocat Adrichomius urbem inclytam in limite aquilonari campestrium Moab sitam.

21. *Universaque regna Sehon regis*. Sensus is est quem ex hebræo ita quidam vertunt: *Atque omnes urbes planitiei, quæ omnes fuerunt regni Sehonis:* neque enim totum regnum Sehonis attributum fuit Rubenitis, sed tantum pars quædam.

* *Duces Sehon*. Non sunt hi eodem bello cum Sehone rege occisi, sed alio bello madianitico, ut habemus Num. 31, ubi num. 8, eorum nomina memorantur. Dicuntur autem duces Sehonis, quia licet Madianitæ essent, aliqua tamen ratione illi subjecti erant.

22. *Et Baalam filium Beor etc*. Quem scilicet mirabilia quæ acciderant populo Israel cui benedixerat, ab idololatria abducere non potuerunt; eum cum suis exitio eodem involvit justa Dei vindicta.

23. Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium et viculorum.

24. Deditque Moyses tribui Gad et filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus hæc divisio est.

25. Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, et dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est contra Rabba;

26. Et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe et Betonim; et a Manaim usque ad terminos Dabir;

27. In valle quoque Betharan, et Bethnemra, et Socoth, et

---

23. *Terminus filiorum Ruben Jordanis*. Terminus scilicet occidentem versus.

24. *Cujus hæc divisio est*. Tribus Gad ab austro Rubenitis confinis erat; ab ortu Ammonitis, et montibus arabicis; a septentrione ultra Jaboc porrigebatur, usque ad Manaim: unde quodam veluti descensu excurrebat ad ipsum Jaboc ostium, prope in ea extremitate lacus Tiberiadis, qua Jordanis effluit.

25. *Terminus Jaser*. Terminus scilicet orientalis. Jaser significat *auxiliatricem*. Fuit olim in ditione Moabitarum, ut habemus ex Isaia 16, 8; et Jerem. 48, 32.

Et omnes civitates Galaad. Quæ scilicet non pertinent ad tribum Manassis; nam hæc etiam dimidiam partem habuit Galaaditis, ut dicitur num. 31.

Et dimidiam partem terræ filiorum Ammon. Lyranus putat Amorrhæos partem ditionis Ammonitarum occupasse, eamque pulsis Amorrhæis, Israelitis cessisse. Alioqui Israelitæ Ammonitarum regionem occupare vetiti fuerant propter Lot, a quo genus ducebant. Masius tamen putat, tantum vetuisse Dominum Moabitis regionem auferri, quod Deut. 2, 9, illorum tantum mentio fiat, sed utriusque populi par conditio fuisse videtur, cum eadem ratio militet.

Aroer. Quæ etiam Ar, et Arnon, Moab, et Rabbath-Moab, hoc est, grandis Moab, dicitur; urbs sita ad ripam torrentis Arnon in confinio Moabitarum, Amorrhæorum et Ammonitarum.

Rabba. Ita dicta ob magnitudinem, alio nomine vocata fuit Ammon et Amman, et urbs aquarum, quod Jaboc amnis eam præterlabitur; dicta deinde est Philadelphia. Urbs regia et metropolis Ammonitarum.

26. *Ramoth, Masphe*. Nomen est loci unius: post Hesebon enim montes erant Ramoth Maspha dicti, quos latine *speculæ colles* appellare possumus. LXX, κατὰ τὴν Μασφα, juxta Maspha.

Betonim. Sive Betanim.

27. *In valle quoque etc*. Civitates quæ hic recensentur mediterraneæ erant, et intra planitiem ipsam sitæ. Betharam significat *domum excelsam*, Bethnemra *domus pardi*, Socoth *tuguria*, Saphon *circius*, quod nomen est

Saphon, reliquam partem regni Sehon regis Hesebon; hujus quoque finis Jordanis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam:

28. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum.

29. Dedit et dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas possessionem,

30. Cujus hoc principium est: a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair qui sunt in Basan, sexaginta oppida,

31. Et dimidiam partem Galaad, et Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan; filiis Machir filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas.

32. Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam.

33. * Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi. * Num. 18, 20.

CAPUT XIV.

Caleb accipit Hebron in hæreditatem sibi promissam, eo quod aliis exploratoribus detrahentibus terræ promissæ, ipse secutus sit Dominum.

1. Hoc est quod possederunt filii Israel in terra Chanaan,

---

venti cui exposita fortasse fuit urbs illa.

* *Hujus quoque finis.* Hoc est, hæc Gaditis adscripta regio habet pro termino occidentem versus Jordanem fluvium, usque ad extremam partem maris Genesareth austrum versus.

* *Trans Jordanem.* Dictum est hoc ad indicandum situm totius tribus Gad.

30. *Manaim*, id est, *castra.* Hic Jacob obvios habuit angelos Dei, unde et loco nomen imposuit.

Jair. Alii scribunt Jahir. Significat *illuminans*, sive *illuminatus.*

31. *Astaroth.* Quæ etiam dicitur Astaroth carnaim. Regia sedes Og regis Basan.

Edrai. Quam S. Hier. suo tempore exstitisse ait, et Adar sive Adaram fuisse dictam.

32. *In campestribus Moab.* Regio enim illa plana magna ex parte et campestris erat, licet montibus esset contigua. Dicuntur campestria Moab, quia antequam illa occuparent Amorrhæi, ea Moabitæ tenuerant.

33. *Ut locutus est illi.* Num. 18, 20.

quam dederunt eis Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel:

* Num. 34, 13. 2. Sorte omnia dividentes, * sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus et dimidiæ tribui.

3. Duabus enim tribubus et dimidiæ dederat Moyses trans Jordanem possessionem: absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos;

4. Sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua.

5. Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt terram.

6. Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala; locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus: * Nosti quid

* Num. 14, 24.

CAPUT XIV. 1. *Eleazar sacerdos, et Josue*. Quos cum aliis principibus terræ divisores constituerat Dominus, Num. 34, 17. Eleazar primo loco ponitur, ut princeps sacer, et hic et aliis locis. Aliquandò tamen solus Josue nominatur, ut cap. 13, 7, et cap. 18, 3, 8 et 10.

Principes familiarum. Quorum nomina habes, Num. 34, 17 et deinceps: in hebræo est: *Capita patrum ipsarum tribuum filiorum Israel*. LXX appellant ἄρχόντας πατριῶν φυλῶν τῶν ὑιῶν Ισραήλ.

2. *Sorte omnia dividentes*. Quomodo sors ista sit instituta non constat ex Scriptura. Varii modi, sed omnes incerti, afferuntur a Serario in cap. 13, quæst. 12. Dicuntur omnia divisisse, quia etiam eas regiones diviserunt, quas nondum occupaverant, et cuique tribui portionem suam adscripserunt.

Sicut præceperat Dominus in manu Moysi. Num. 34, 13.

* 4. *Successerunt*. Non in jus aut possessionem, sed ut numerum duodenarium in tribuum sortitione explerent.

In duas divisi tribus. A Jacob patriarcha, qui Gen. 49, 5, dixit Josepho: *Duo ergo filii tui ..... Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi*.

6. *Locutusque est ad eum Caleb*. Antequam hæreditatem tribus Juda sortiretur.

Filius Jephone. Aliqui putarunt Jephone non esse nomen proprium, sed appellativum, et sic dictum Caleb, quod insigni polleret prudentia, et in murmure exploratorum sedando sapienter se gesserit; idem enim est *filius Jephone*, quod *filius diversionis*, sive *filius prudens:* sed falluntur, est enim nomen proprium. Vide Serar. in cap. 13 Josue, quæst. 3.

Cenezæus. Cenez aliqui volunt esse nomen loci, alii Jephone etiam Cenez dictum fuisse. * Credibilius

locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne.

7. Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur.

8. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.

9. Juravitque Moyses in die illo, dicens: Terra quam calcavit pes tuus erit possessio tua et filiorum tuorum in æternum; quia secutus es Dominum Deum meum.

10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, usque in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum,

11. Sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: * illius in me temporis fortitudo usque hodie persevera- * Eccli. 46., 11.
rat, tam ad bellandum quam ad gradiendum.

12. Da ergo mihi montem istum quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt et urbes magnæ atque munitæ: si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi.

---

videtur Cenez patrem Jephone fuisse, aut certe unum aliquem ex progenitoribus ejus, a quo Cenezæus sit appellatus.

De me et te. * Scilicet, nos duos tantum in terram promissam ingressuros. Vide Num. 14, 30 et 38.

7. *Nuntiavique ei quod mihi verum videbatur.* Cum interim alii exploratores inter populum terrores sererent, ut habemus extremo cap. 13 Num.

9. *Terra quam calcavit pes tuus erit possessio tua.* De hac promissione Calebo facta hic tantum expresse loquitur Scriptura; videtur tamen, Num. 14, 24, comprehensa illis verbis: *servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc quam circuivit: et semen ejus possidebit eam.*

Secutus es Dominum Deum meum. Ejus scilicet voluntati parendo.

10. *Quando ambulabat Israel per solitudinem.* Essetque in mansione Cadesbarne ex qua missi sunt exploratores in terram Chanaan.

12. *Enacim.* Filii Enac, gigantes, * qui licet a Josue exterminati fuissent, supra cap. 11, 21, videntur tamen rediisse, et locum adversus Israelitas munivisse, Josue interim aliis bellis occupato.

13. Benedixitque ei Josue; et tradidit ei Hebron in possessionem.

14. Atque ex eo, fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem; quia secutus est Dominum Deum Israel.

15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe: adam maximus ibi inter Enacim situs est. Et terra cessavit a præliis.

CAPUT XV.

Sors tribus Judæ, civitates et villæ earum. Othoniel accepit Axam filiam Caleb, eo quod obtinuerit Cariath-Sepher, additurque ei terra irrigua.

1. Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit:
* Num. 34, 3. * A termino Edom, desertum Sin contra meridiem, et usque ad extremam partem australis plagæ:

2. Initium ejus a summitate maris salsissimi, et a lingua ejus quæ respicit meridiem:

---

13. *Benedixitque ei Josue.* Benedicere, est boni quippiam in alium conferre, quo ille ornetur et augeatur.

15. *Cariath-Arbe.* Idem est, Cariath-Arbe, ac si dicas græce τετράπολις, id est, *civitas quatuor.* Aliqui ita dictam putant ab amplitudine, quod scilicet aliis quatuor civitatibus par esse posset. Verius est, Arba nomen fuisse gigantis qui eam incoluerit, eique nomen dederit, ut diceretur civitas Arbæ. Dicta deinde est Hebron, ut putat Serar. a *societate* et *amicitia*, quam cum ejus loci principibus viris iniit Abraham, Gen. 14, 13. *Hebron* enim latine vertitur *societas* et *conjunctio.*

Adam maximus etc. Non Adam humani generis parens, sed alius quidam homo (adam enim hominem significat) procerissimæ staturæ, ille nimirum Arba qui urbi nomen dedit, quod indicant hebræa, quæ sic se habent: *et nomen Hebronis antiquitus erat Cariath-Arba. Hic homo magnus in Enacim ipse.* Sunt tamen qui putent de protoplasto sermonem esse, sed minus probabiliter.

Caput XV. 1. *Edom.* Idumææ. * Erat autem Idumæa deserto Sin contermina, ut habemus Num. 34, 3, quem locum vide.

Desertum Sin. Scibitur per *tsade*, et non est desertum illud in quod mense secundo ab egressu ex Ægypto venerunt Israelitæ, quod per *samech* scribitur. Videtur desertum hoc Sin extra Judææ sortem fuisse, juxta australem terminum lacus Asphaltitis.

2. *Maris salsissimi.* Lacus Asphaltitis. * Describitur australis limes tribus Juda, quæ parte orientali jungitur.

Lingua ejus. Lingua, signum significat, seu promontorium aliquod hujus lacus, et hoc videtur

3. Egrediturque contra ascensum scorpionis, et pertransit in Sina, asceditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron, ascendens ad Addar, et circuiens Carcaa;

4. Atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti: eruntque termini ejus mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ.

5. Ab oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Jordanis; et ea quæ respiciunt ad aquilonem, a lingua maris usque ad eumdem Jordanis fluvium;

6. Ascenditque terminus in Beth-Hagla, et transit ab aquilone in Beth-Araba, ascendens ad lapidem Boen filii Ruben.

7. Et tendens usque ad terminos Debera de valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis; transitque aquas quæ vocantur Fons solis; et erunt exitus ejus ad fontem Rogel:

8. Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem; et inde se erigens ad verticem montis qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem:

9. Pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Neph-

---

verius; nam LXX habent λοφιὰν *cervicem, dorsum;* Chaldæus vero *Cepha*, id est, *petram.*

3. *Ascensum scorpionis.* Clivus est, vel mons, in quo vel scorpionum copia, vel quædam eorum figura et similitudo.

4. *Torrentem Ægypti.* Rhinocolura, qui aliquando etiam Nilus dicitur, vel quia ab eo parum distat, vel quia cum eo per subterraneos meatus aquas communicat.

Mare magnum. Mare Mediterraneum, * quod tam terræ promissionis quam tribus Judæ terminus est.

6. *Beth-Hagla.* Hæc, Gen. 50, 10, dicitur Area Atad, distat a Jericho tribus milliaribus, sita inter ipsam et mare salsum seu mortuum.

Boen filii Ruben. Vel Ruben nomen alicujus Chananæi, vel si sit filius Jacob, dici potest Boen ad lapidem istum præclarum quippiam egisse, et loco nomen fecisse; quod est verisimilius.

7. *Galgala.* Diversa quibusdam videntur ab iis in quibus Israelitarum castra fuisse dicuntur c. 5, 9.

8. *Filii Ennom.* Vallis Jerosolymæ adjacens, sic dicta ab Ennom quodam jebusæo.

Geennom. Significat vallem contristantem, vel decipientem, vel vallem divitiarum. Idem est Geennom et Geenna, quæ syriace infernum significat.

Raphaim. Gigantum.

9. *A vertice montis.* Qui adjacentem vallem Raphaim prospicit.

Fontem aquæ Nephtoa. Cui ab aquarum perennitate nomen factum videtur. Nephtoa enim aper-

toa, et pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum:

10. Et circuit de Baala contra occidentem, usque ad montem Seir: transitque juxta latus montis Jarim ad aquilonem in Cheslon; et descendit in Bethsames, transitque in Thamna;

11. Et pervenit contra aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala: pervenitque in Jebneel, et magni maris contra occidentem fine concluditur.

12. Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.

13. Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus, Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron.

* Judic. 1, 20. Num. 13, 23.

14. * Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai, de stirpe Enac.

15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum.

16. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior: deditque ei Axam filiam suam uxorem.

18. Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut pete-

---

tionem significat sive sculpturam.

Montis Ephron. Monti Ephron adjacentia.

10. *Usque ad montem Seir*. Est alius hic mons ab eo qui in Idumæa Seir appellatur.

11. *Partis Accaron ex latere*. Linea ad occidentem protensa Accaron Seir appellatur.

Jebneel. Urbem quæ mari proxima, etiam Jamnia nominatur; erant autem duæ civitates eodem nomine dictæ inter Diospolim et Azotum.

14. *Delevitque ex ea Caleb etc.* Supra, cap. 10, 37, dictum fuerat Hebron captam a Josue etc. Nunc autem cum dicatur a Caleb expugnata, dicendum videtur fortasse Chananæos iterum illam occupasse, et a Caleb fuisse receptam. Lyranus putat Caleb vere ac proprie urbes istas cepisse, dici tamen Josue illas cepisse per anticipationem, quia ejus concessu et auctoritate illas postea cepit Caleb.

16. *Cariath Sepher*. Civitas litterarum, sic dicta, vel quod ibi academia esset instituta, in qua litteris daretur opera; vel quod antiquorum fuisset archivium, in quo vetera scripta monumenta post diluvium collocare solerent.

17. *Frater Caleb junior*. Ducere potuit Axam, quia nuptiæ inter patruum et neptem prohibitæ non erant in lege veteri.

ret a patre suo agrum: suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes? inquit,

19. At illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius.

20. Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas.

21. Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a meridie: Cabseel et Eder et Jagur,

22. Et Cina et Dimona et Adada,

23. Et Cades, et Asor, et Jethnam,

24. Ziph et Telem et Baloth,

25. Asor nova et Carioth, Hesron, hæc est Asor;

26. Amam, Sama, et Molada,

27. Et Asergadda et Hassemon et Bethphelet,

28. Et Hasersual et Bersabee et Baziothia,

29. Et Baala et Jim et Esem,

30. Et Eltholad et Cesil et Harma,

31. Et Siceleg et Medemena et Sensenna,

32. Lebaoth, et Selim et Aen et Remon: omnes civitates viginti novem, et villæ earum.

33. In campestribus vero: Estaol et Sarea et Asena,

34. Et Zanoe et Engannim et Taphua et Enaim,

35. Et Jerimoth et Adullam, Socho et Azeca,

---

18. *Suspiravitque ut sedebat in asino*. Ex hebræo aliqui vertunt: *Lapsa est desuper asinum*, id est, descendit, ut ad patris genua provoluta impetraret quod volebat. Alii vertunt: *et confixit se desuper asinum*, fingens languorem aut mœstitiam, inclinata super jumentum.

* 19. *Da mihi benedictionem*. Possessionem, hæreditatem, dotem.

Terram australem. Acceperat dotis nomine terram ad austrum, quæ et propter situs conditionem, et quia carebat aquis, admodum erat arida et sterilis; petit ergo irriguam.

* *Irriguum superius etc*. Duplicis generis scaturigines, unas superiores quibus clivosa, alias inferiores quibus planiora loca irrigari possent.

32. *Omnes civitates viginti novem*. Plures esse apparebit numeranti. Varii varia respondent. Expedita responsio est, si dicamus civitates tantum fuisse viginti novem, reliquas, quæ simul cum civitatibus numerantur, villas iis adjacentes esse, quod sacer textus indicat, cum ait: *Omnes civitates viginti novem et villæ earum*.

36. Et Saraim et Adithaim et Gedera et Gederothaim: urbes quatuordecim, et villæ earum.
37. Sanan et Hadassa et Magdalgad,
38. Delean et Masepha et Jecthel,
39. Lachis et Bascath et Eglon,
40. Chebbon et Leheman et Cethlis,
41. Et Gideroth et Bethdagon et Naama et Maceda: civitates sedecim, et villæ earum.
42. Labana et Ether et Asan,
43. Et Jephtha et Esna et Nesib,
44. Et Ceila et Achzib et Maresa: civitates novem, et villæ earum.
45. Accaron cum vicis et villulis suis.
46. Ab Accaron usque ad mare, omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos ejus:
47. Azotus cum vicis et villulis suis; Gaza cum vicis et villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, et mare magnum terminus ejus.
48. Et in monte: Samir et Jether et Socoth
49. Et Danna et Cariathsenna, hæc est Dabir;
50. Anab et Istemo et Anim,
51. Gosen et Olon et Gilo: civitates undecim, et villæ earum.
52. Arab et Ruma et Esaan,
53. Et Janum et Beththaphua et Apheca,
54. Athmatha et Cariatharbe, hæc est Hebron, et Sior: civitates novem, et villæ earum.
55. Maon et Carmel et Ziph et Jota,
56. Jezrael et Jucadam et Zanoe,
57. Accain, Gabaa et Thamna: civitates decem, et villæ earum.
58. Halhul, et Bessur, et Gedor,
59. Mareth, et Bethanoth, et Eltecon: civitates sex et villæ earum.
60. Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, et Arebba: civitates duæ, et villæ earum.
61. In deserto, Betharaba, Meddin, et Sachacha,
62. Et Nebsan, et civitas salis, et Engaddi: civitates sex, et villæ earum.
63. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt

---

36. *Urbes quatuordecim.* Recensitæ sunt quindecim, sed ex numeratis aliqua villa fuit.

63. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem.* Tenuerunt Jebusæi arcem Sionis usque ad tem-

filii Juda delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

CAPUT XVI.

Sors Ephraim, urbes et viculi eorum: mansitque inter hos Chananæus tributarius.

1. Cecidit quoque sors filiorum Joseph ab Jordane contra Jericho et aquas ejus ab oriente: solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel;

2. Et egreditur de Bethel Luza (1); transitque terminum Archi, Atharoth;

3. Et descendit ad occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Bethhoron inferioris, et Gazer; finiunturque regiones ejus mari magno:

4. Possederuntque filii Joseph Manasses et Ephraim.

5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: et possessio eorum contra orientem Ataroth-addar usque Bethhoron superiorem.

(1) Luza. *In edit. Sixt. legitur* Luzam.

---

pora Davidis, a quo expugnata est, ut patet 2 Reg. 5, 7.

Non potuerunt filii Juda delere. Videtur Jerusalem fuisse in tribu Benjamin, atque ideo illius expugnatio non pertinuisse ad tribum Juda. Sed responderi potest cum Serario, Josue cap. 18, quæst. 14, partem unam Jerusalem ad tribum Benjamin pertinuisse, eam scilicet quæ Salem dicebatur, et septentrionalis erat; australem vero quæ dicebatur Jebus, fuisse tribus Juda, quam postea cum occupare vellet Judas, debuit etiam aliam oppugnare, quod consentientibus Benjamitis factum est.

CAP. XVI. 1. *Contra Jericho et aquas ejus.* Idem videtur esse cum eo quod dicitur cap. 18, 11: *Pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ*, sive, ut alii vertunt, *ad latus Jericho a septentrione.*

Solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel. Vox *ascendit* non est referenda ad vocem *solitudo*, sed ad vocem *sors*, positam hoc eodem versiculo, ut notat Masius, Montanus, et alii.

2. *Et egreditur.* Funiculus scilicet mensorius, sive linea terminorum.

De Bethel Luza. De Bethel quæ prius Luza dicebatur.

4. *Possederunt.* Quidam vertunt, *diviserunt*, inter se scilicet duæ tribus Ephraim et Manasse.

5. *Et factus est terminus etc.* Ab hoc versu usque ad finem ca-

6. Egrediunturque confinia in mare: Machmethath vero aquilonem respicit, et circuit terminos contra orientem in Thanathselo; et pertransit ab oriente Janoe:

7. Descenditque de Janoe in Ataroth et Naaratha; et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem.

8. De Taphua pertransit contra mare in vallem arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum. Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.

9. Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum.

10. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

---

pitis describitur possessio tribus Ephraim.

6. *Circuit terminos.* Serarius putat legendum, *circuit terminus.*

*8. *Vallem arundineti.* Vallem arundinibus abundantem. Quidam putant per hanc vallem decurrere torrentem Carith, apud quem latuit Elias, 3 Reg. 17, 3.

Mare salsissimum. Vocem salsissimum irrepsisse putat in textum idem Serarius. Hic sermo est de mari Mediterraneo. Mare salsissimum in Scripturis appellari solet mare mortuum, sive lacus Asphaltites. * Mare tamen Mediterraneum falsum dici etiam potest salsissimum, si comparetur cum aquis dulcibus maris, ut appellat Scriptura, Galilææ et aliis hujusmodi lacubus, qui carent salsedine.

9. *In medio possessionis filiorum Manasse.* Assignatis partibus regionis tribui Ephraim et Manasse, cum spectatis circumstantiis locorum apparuisset divisionem æqualem non esse, attributa sunt Ephraim quædam loca intra fines tribus Manasse, ut inæqualitas illa tolleretur. Ita Magalianus. Alii aiunt lineam quæ duas has tribus disterminabat, aliquando incurrisse in terminos Manasse, aliquando recessisse; hinc factum, ut oppida aliqua essent Ephraim, quæ linea recta ducta in tribu Manasse fuissent. Ita Lyranus, quem sequitur Salianus.

10. *Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum.* Hoc ipsum commemoratur Judic. 1, 29, in quo peccarunt contra Domini jussum, qui jusserat gentes illas deleri, Deut. 20, 17.

Usque in diem hanc. Longe postea venit civitas hæc in Israelitarum ditionem, cum scilicet Pharao Ægypti rex eam expugnavit et filiæ suæ, quæ Salomoni nupserat, in dotem dedit, ut habemus in Reg. historia, 3 Reg. 9, 16.

Media tribui Manasse et filiabus Salphaad sortes assignantur, et augetur sors filiorum Joseph.

1. Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Joseph): Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad et Basan;

2. * Et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hepher, et filiis Semida: isti sunt filii Manasse filii Joseph, mares, per cognationes suas. * Num. 26, 30.

3. * Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina, Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa. * Num. 27, 1. 36, 11.

4. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue filii Nun, et principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.

5. Et ceciderunt funiculi Manasse decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem.

6. Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem in medio filiorum ejus. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant.

Caput XVII. 1. *Machir primogenito Manasse.* Imo et unigenito; sed ita loqui solet Scriptura, ut etiam eos vocet primogenitos, qui fratres nullos habent. Sic Christus in Evangelio, Matth. 1, 25. dicitur Virginis primogenitus.

Vir pugnator. Scilicet in Ægypto, ubi vixit.

Habuitque possessionem. Non ipse, sed qui ab ipso ducebant originem filii et nepotes.

Galaad et Basan. Trans Jordanem.

3. *Salphaad vero etc.* Historiam filiarum Salphaad habes Num. cap. 27, vide ibi dicta.

* 4. *Et principum.* Qui sortitioni cum Eleazaro et Josue præerant, quorum habentur nomina, Num. 34.

5. *Funiculi Manasse decem.* Familiæ erant sex, scilicet Abiezer, Helec, Esriel, Sechem, Semida et Hepher. Porro ex Hepher natus Salphaad qui masculos non genuit, sed filias quinque suscepit. Hisque quinque filiabus portio sua, sive, ut loquitur Scriptura, funiculus suus assignatus est, totidem vero masculorum funiculi erant, omnes ergo decem. Nota tamen quinque portiones, quæ filiabus Salphaad obtigerunt, simul sumtas, uni æquales fuisse portioni masculorum; sic enim servatur ni partitione justitia.

6. *Filiæ enim Manasse.* Filiæ Salphaad, de quibus dictum est.

* *Qui releqni erant.* Qui non

7. Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem, et egreditur ad dextram juxta habitatores fontis Taphuæ.

8. Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim.

9. Descenditque terminus vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus ejus pergit ad mare:

10. Ita ut possessio Ephraim sit ab austro, et ab aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et conjungantur sibi in tribu Aser ab aquilone, et in tribu Issachar ab oriente.

11. Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser, Bethsan et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis, similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth.

---

fuerunt de harum sex familiarum stirpe.

* 7. *Ab Aser, Machmethath.* Ab urbe Aser versus Machmethath. Describit autem terminos hujus dimidiæ tribus cis Jordanem, incipiens a terminis australibus qui illi communes fuerunt cum Ephraimitis, quibus hi termini aquilonares erant.

* *Juxta habitatores fontis Taphuæ.* Hoc est, et procedit idem terminus nonnihil versus meridiem, declinando juxta eos qui in terra Taphuæ apud fontem habitant.

* 8. *Etenim in sorte etc.* In hebræo est, *ipsius Manasse fuit terra Taphuæ: Taphua vero in termino Manasse filiorum Ephraim,* et sententia est: Agros et possessiones terræ Taphuæ fuisse Manassitarum; et ipsam urbem Taphuam licet intra Manassitarum fines esset, fuisse tamen Ephraimitis ad habitandum datam.

* 9. *Descenditque terminus.* Tendit enim versus mare declive.

* *Torrentis.* Sive vallis : est enim eadem vox in hebræo.

* *Exitus ejus etc.* Extrema pars termini pervenit ad mare Mediterraneum.

* 10. *Et conjungantur etc.* Si duæ tribus Ephraim et Manasse per modum unius sumantur, conjunguntur tribui Aser; alioqui si sumantur seorsim, sola tribus Manasse tribum Aser attingit.

* *Et in tribu Issachar.* Eodem modo intellige de duabus tribubus simul junctis. Solent autem hæ duæ tribus simul accipi in Scripturis, ut etiam appellari uno nomine, scilicet, tribus Joseph, ut hoc cap. num. 14.

11. *Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser etc.* Hoc est, habuit tribus Manasse, juxta duas dictas conterminas tribus, urbes et vicos qui hic numerantur.

* *Bethsan.* Urbs illustris Jordani vicina, alio nomine Scythopolis dicta.

12. Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua (1).

13. Postquam autem convaluerunt filii Israel, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.

14. Locutique sunt filii Joseph ad Josue, et dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus?

15. Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.

16. Cui responderunt filii Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Jezrael mediam possidens vallem.

17. Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim et Manasse: Populus multus es, et magnæ fortitudinis: non habebis sortem unam;

(1) In terra sua. *In edit. Sixt. legitur* in terra ipsa.

Et tertia pars urbis Nopheth. LXX, τὸ τρίτον τῆς Μαφετα, vel potius, Ναφετὰ. Masius putat non de tertia urbis parte, sed tractus vel regionis sermonem esse. Serarius accipit verba ut sonant, præsertim cum LXX consentiant, nec ratio urgens aliud suadeat.

12. *Nec potuerunt filii Manasse etc.* Cur delere non potuerint, ratio habetur Judic. 2, 20: *quia,* inquit, *irritum fecit gens ista pactum meum etc. ego non delebo gentes etc.*

13. *Fecerunt sibi tributarios.* In quo peccarunt contra Domini præceptum, Deut. 20, 16: *De his autem civitatibus,* inquit, *quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere.*

14. *Filii Joseph.* Tribus Ephraim et Manasse.

Sortis et funiculi unius. Quæstæ sunt tribus illæ, quod ambæ simul non plus jam in datis, amplis alioqui portionibus, vacuæ, quietæ, et a Chananæis liberatæ terræ obtinerent, quam si una tribus essent, vel quam uni tribui satis esset.

15. *Ascende in silvam etc.* Efficite ne habitetis anguste; silvas succidite, hoc est Pherezæos, et Raphaim sedibus suis expellite, et vos illas occupate. Per vos stat quominus laxe habitetis.

16. *Ferreis curribus.* Falcatis, vel aliter ad usum belli instructis.

* 17. *Non habebis sortem unam.* Si audeas viribus tuis uti, et terminos tuos laxare, excisis Pherezæis etc.

18. Sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia; et poteris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.

CAPUT XVIII.

Mittuntur qui describant terram reliquarum septem tribuum, et assignatur sors Benjamin.

1. Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis terra subjecta.

2. Remanserant autem filiorum Israel septem tribus quæ necdum acceperant possessiones suas.

3. Ad quos Josue ait: Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?

4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant atque circumeant terram, et describant eam juxta nume-

---

18. *Transibis ad montem.* Montanam scilicet regionem.

Caput XVIII. 1. *Congregatique sunt etc.* Quicumque totius populi personam sustinebant: pontifex, sacerdos, proceres, seniores, familiarum capita, et præcipui quilibet. In hoc autem conventu duo potissimum tractata sunt, alterum de Domini movendo tabernaculo; alterum de ducendis hæreditatum residuarum sortibus.

In Silo. Quæ est urbs in tribu Ephraim.

Ibique fixerunt tabernaculum. Non in aliqua domo, ut putat Abulensis, sed sub dio, ut pluribus annis fuerat in deserto. Porro ratio cur ex Galgalis in Silo translatum fuerit tabernaculum, hæc esse videtur, ut commodius illud adire possent filii Israel; nam Galgala erant quasi in ipso limine terræ sanctæ, ac proinde æquum fuit ut ad interiora transferretur.

Fuit eis terra subjecta. Domitis Chananæis.

2. *Septem tribus quæ necdum acceperant possessiones suas.* Per aliquot annos interrupta est terræ divisio, vel quod aliquibus e populo suspicio incidisset, quasi minus bona fide, aut minori saltem peritia fieret divisio; vel quod (ut colligitur extremo cap. superiori, et versic. 3 seq.) timerent Chananæos qui nondum erant deleti.

4. *Juxta numerum uniuscujusque multitudinis.* Ut æquam singulæ tribus pro ratione ipsarum multitudinis hæreditatem accipiant. * Probabile est etiam ex illis tribubus quæ possessiones acceperant descriptores et mensores electos fuisse; nam etiam ipsarum intererat æqualem fieri divisionem, et terminos ita constitui, ut nullus querelis locus esset.

* *Describant eam.* Non solum

rum uniuscujusque multitudinis, referantque ad me quod descripserint.

5. Dividite vobis terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, et domus Joseph ab aquilone.

6. Mediam inter hos terram in septem partes describite: et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem:

7. Quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini.

8. Cumque surrexissent viri ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite terram, et describite eam, ac revertimini ad me, ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem.

9. Itaque perrexerunt: et lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo.

10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes.

11. Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent terram inter filios Juda et filios Joseph.

12. Fuitque terminus eorum contra aquilonem a Jordane;

---

metiantur, sed etiam cujusque loci conditiones describant, feraxne sit an sterilis etc.

* 5. *In septem partes*. Si magnitudinem spectes inæquales; si pretium, quantum fieri potuit, æquales.

Domus Joseph ab aquilone. Non respectu totius terræ promissæ, sed tribus tantum Juda.

6. *Mediam inter hos terram*. Reliquam terram quæ nondum distributa est. Serarius putat scriptum fuisse in latino textu *aliam*, non autem *mediam:* nam terra quæ dividenda erat septem tribubus, non erat media inter tribum Juda et duas tribus Ephraim et Manasse, excepta ea parte quæ uni tribui Benjamin obtigit, ut patet ex vers. 11 seq.

* *Coram Domino*. Coram tabernaculo.

7. *Quia non est inter vos pars Levitarum etc*. Est ratio cur in septem tantum partes dividenda sit terra, quia scilicet Levitæ sortem non habebant in Israel, sacerdotio contenti et proventibus illi adjunctis.

11. *Ascendit sors*. De urna scilicet.

12. *Fuitque terminus etc*. Termini hujus tribus septentrionales describuntur, qui ab Jordane porriguntur, non usque ad mare Me-

pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ, et inde contra occidentem ad montana conscendens, et perveniens ad solitudinem Bethaven,

* Gen. 28, 19. 13. Atque pertransiens juxta * Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel; descenditque in Ataroth-addar in montem qui est ad meridiem Bethhoron inferioris;

14. Et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui respicit Bethhoron contra Africum; suntque exitus ejus in Cariathbaal, quæ vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Juda: hæc est plaga contra mare, ad occidentem.

15. A meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa;

16. Descenditque in partem montis qui respicit vallem filiorum Ennom, et est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim; descenditque in Geennom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad austrum; et pervenit ad fontem Rogel,

17. Transiens ad aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est fontem solis;

18. Et pertransit usque ad tumulos qui sunt e regione ascensus Adommim; descenditque ad Abenboen, id est, lapidem Boen filii Ruben; et pertransit ex latere aquilonis ad campestria; descenditque in planitiem,

19. Et prætergreditur contra aquilonem Beth-hagla; suntque

---

diterraneum, quod tamen lib. 5, cap. 3, asseruit Josephus, sed usque ad Ataroth-addar.

14. *Et inclinatur etc.* Termini sunt occidentales a dicta jam urbe Ataroth-addar usque ad Cariathbaal urbem tribus Juda.

Contra mare. Versus occidentem; nam mare Mediterraneum erat ad occidentem terræ sanctæ.

15. *A meridie autem etc.* Notantur termini australes, sive ad meridiem, qui iidem erant tribui Judæ aquilonares, sed contrario hic modo describuntur, ab occidente scilicet in orientem, ab urbe scilicet Cariathiarim usque ad eam Jordanis lingulam seu sinum, quo in mare salsum influit, num. 15, 16, 17, 18 et 19, ubi aquilonaris terminus maris ejusdem est australis terminus ipsius Jordanis, itemque australis Benjamitarum termini extremum in orientali parte.

* 18. *Et pertransit etc.* Sensus est, et inde deflectendo nonnihil ad aquilonem procedit ad campestria seu planitiem, descenditque in ipsam planitiem.

* 19. *Beth-hagla.* In hebræo est, *ad latus Beth-haglæ;* relinquendo Beth-haglam ad septentrionem.

exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab aquilone in fine Jordanis ad australem plagam;

20. Qui est terminus illius ab oriente. Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas.

21. Fueruntque civitates ejus, Jericho et Beth-hagla et vallis Casis,

22. Beth-Araba et Samaraim et Bethel

23. Et Avim et Aphara et Ophera,

24. Villa Emona et Ophni et Gabee; civitates duodecim, et villæ earum:

25. Gabaon et Rama et Beroth,

26. Et Mesphe et Caphara, et Amosa

27. Et Recem, Jarephel et Tharela,

28. Et Sela, Eleph, et Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath et Gariath; civitates quatuordecim, et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

CAPUT XIX.

Assignantur sortes sex tribubus Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthalim, Dan et Josue.

1. Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hæreditas

2. Eorum in medio possessionis filiorum Juda: Bersabee et Sabee et Molada

---

20. *Qui est terminus illius ab oriente.* Jordanis scilicet.

* *In circuitu etc.* Per terminos suos circumcirca descripta, et per familias quas habet distributa.

21. *Fueruntque civitates ejus etc.* Notandum vel urbium istarum aliquibus alia etiam esse nomina, vel non omnes tribus hujus urbes hic esse recencitas, cum infra duæ, cap. 21, nominentur quæ hic prætcritæ sunt.

28. *Jerusalem.* Recensetur inter urbes tribus Benjamin, quia urbis hujus pars, quæ erat ad septentrionem, ad Benjamin pertinuit, quæ vero ad meridiem, ad Judam. Abulensis putat, vel urbis alterius permutatione Jerusalem a Benjamitis relictam tribui Juda; vel animi potius pravitate ac desperatione, cum diffiderent a se Jebusæos expugnari unquam posse.

Caput XIX. 2. *In medio possessionis filiorum Juda.* Quod quomodo intelligendum sit, vide num. 9.

Bersabee et Sabbe. Est duplex nomen unius tantum civitatis, alioqui non essent tantum tredecim urbes, ut dicitur num. 6, sed quatuordecim, ut patet numeranti.

3. Et Hasersual, Bala et Asem
4. Et Eltholad, Bethul et Harma
5. Et Siceleg et Bethmarchaboth et Hasersusa
6. Et Bethlebaoth et Sarohen; civitates tredecim, et villæ
earum:
7. Ain et Remmon et Athar et Asan; civitates quatuor, et villæ
earum:
8. Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baa-
lath-Beer-Ramath contra australem plagam. Hæc est hæreditas
filiorum Simeon juxta cognationes suas,
9. In possessione et funiculo filiorum Juda, quia major erat:
Et idcirco filii Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum.
10. Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes
suas: et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid:
11. Ascenditque de Mari et Merala, et pervenit in Debbaseth,
usque ad torrentem qui est contra Jeconam;
12. Et revertitur de Sared contra orientem in fines Ceseleth-
thabor; et egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie:
13. Et inde pertransit usque ad orientalem plagam Gethhe-
pher et Thacasin; et egreditur in Remmon, Amthar et Noa:
14. Et circuit ad aquilonem Hanathon; suntque egressus ejus
vallis Jephtahel,

---

* 8. *Contra australem plagam.* Loquitur de totius tribus Simeonis sitibus.

9. *Quia major erat.* In heb. est, *quia fuit pars filiorum Juda multa præ ipsis*, id est, major quam ipsis necessaria esset, aut quam ipsis deberetur. Credibile est portionem Judæ attributam, geometrarum errore, fuisse majorem; sunt enim artium initia fere rudia, et necdum ars metiendi agros ad eam perfectionem, quam nunc habet, deducta.

10. *Terminus possessionis etc.* Hic est terminus occidentalis pergendo ab austro aquilonem versus, ab urbe scilicet Sarid usque ad torrentem qui est e regione urbis Jeconam.

* 11. *Torrentem.* Qui est juxta Sidonem, quem Papida vel Belum auctores appellant. Vide Plin. lib. 5, cap. 19, et lib. 36, cap. 26; et Josephum lib. 2 belli, cap. 9.

12. *Et revertitur.* Hoc et sequenti versiculo describitur australis terminus ab occidente orientem versus progrediendo, scilicet a Sarid usque ad urbem Remmon.

* *Egreditur.* Terminatur, hoc enim significat egredi et egressus, cujus non semel mentio fit in his finibus tribuum constituendis.

13. *Amthar et Noa.* Videntur hæ duæ urbes terminum orientalem constituere ab austro ad septentrionem, ab Remmon ad Noam.

14. *Vallis Jephtahel.* Septentrionalis terminus ab oriente in oc-

15. Et Cateth et Naalol et Semeron et Jerala (1) et Bethlehem : civitates duodecim, et villæ earum.

16. Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum.

17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas :

18. Fuitque ejus hæreditas Jezrael et Casaloth et Sunem

19. Et Hepharaim et Seon, et Anaharath

20. Et Rabboth et Cesion, Abes,

21. Et Rameth, et Engannim, et Enhadda et Bethpheses ;

22. Et pervenit terminus ejus usque Thabor et Sehesima et Bethsames ; eruntque exitus ejus Jordanis : civitates sedecim, et villæ earum.

23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum.

24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas :

(1) **Jerala**. *In edit. Sixt. legitur* **Jedala**.

---

cidentem, a Noa usque ad torrentem, in vallem nimirum Jephtahel, usque ad mare Mediterraneum. * Hujus vallis mentio non habetur alibi in Scriptura nisi hoc capite.

* 15. *Et Bethlehem*. Est diversa ab ea in qua natus est Christus, quæ ad tribum Juda pertinuit.

Civitates duodecim. Plures tamen numerantur in textu ; quare, quod supra monuimus, dicendum celebriores interdum vicos numerari, qui tamen subtilius rem exigenti, in civitatum numerum venire non possint.

18. *Fuitque ejus hæreditas etc.* Civitates sex, quæ duobus hisce versibus numerantur, fuerunt terminus australis tribus Issachar.

Jezrael. Civitas omnium facile princeps, de cujus valle vide c. 17, num. 16.

20. *Rabboth etc.* Rabboth cum reliquis quatuor urbibus, quæ proxime numerantur, sunt terminus occidentalis ab austro ad aquilonem progrediendo. Serarius ait pervenisse hanc tribum usque ad mare Mediterraneum, quod ex eo colligit, quia mons Carmelus ex Josepho ad hanc tribum pertinebat ; Carmelus autem fere mari imminet.

21. *Enhadda etc.* Enhadda cum reliquis quatuor urbibus, quæ hoc et sequenti versiculo recensentur, sunt terminus ejusdem tribus ad aquilonem.

* 22. *Thabor*. Est nomen urbis, non montis ; alias non constaret numerus urbium. Videtur tamen aut mons urbi vicinæ, vel urbs monti nomen dedisse.

* *Bethsames*. Quæ est alia ab ea quæ in tribu Juda, cujus mentio fit infra cap. 21, 16.

Exitus ejus Jordanis. Terminatur tribus hæc Jordane ad orientem.

25. Fuitque terminus eorum Halcath et Chali et Beten et Axaph
26. Et Elmelech et Amaad et Messal; et pervenit usque ad Carmelum maris et Sihor et Labanath;
27. Ac revertitur contra orientem Bethdagon; et pertransit usque Zabulon et vallem Jephtahel contra aquilonem in Bethemec et Nehiel; egrediturque ad lævam Cabul,
28. Et Abran et Rohob et Hamon et Cana, usque ad Sidonem magnam;
29. Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa; eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba;
30. Et Amma et Aphec et Rohob: civitates viginti duæ, et villæ earum.
31. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum.
32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas;
33. Et cœpit terminus de Heleph et Elon in Saananim, et Adami, quæ est Neceb, et Jebnael usque Lecum; et egressus eorum usque ad Jordanem;
34. Revertiturque terminus contra occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra meridiem, et in Aser contra occidentem, et in Juda ad Jordanem contra ortum solis;

---

25. *Fuitque terminus eorum Halcath.* Tribus Aser terminus occidentalis quadam ex parte ab aquilone in meridiem progrediendo.

27. *Ac revertitur etc.* Hoc est, latus australe ab oriente in occidentem.

Egrediturque ad lævam etc. Latus orientale ab austro in aquilonem, et hoc etiam versiculo continetur latus septentrionale ab oriente in occidentem, quia isti duo termini orientalis et aquilonaris una veluti gyratione simul explicantur.

33. *Cœpit terminus de Heleph.* Terminus orientalis describitur tribus Nepthali, qui a septentrione versus austrum per urbes monstratur. Hæ vero cum ad Jordanem fere sitæ sint, fit ut et ipse Jordanis a suo exortu ac fonte usque ad seipsum in Genesareth mare influentem, recte dicatur terminus orientalis.

34. *Revertiturque terminus etc.* Terminus australis ab oriente in occidentem, idem scilicet qui Zabuloni erat aquilonaris, sed hic urbibus duabus indicatus, quæ in ipsa tribu Nephthali sitæ sunt.

Et in Aser contra occidentem. Terminus occidentalis indicatur idem qui tribui Aser erat orientalis.

Et in Juda ad Jordanem contra ortum solis. Non significatur tribum Nephthali esse conterminam tribui Judæ, sed quod facili

35. Civitates munitissimæ, Assedim, Ser, et Emath, et Reccath et Cenereth,

36. Et Edema et Arama, Asor

37. Et Cedes et Edrai, Enhasor

38. Et Jeron et Magdalel, Horem et Bethanath et Bethsames: civitates decem et novem, et villæ earum.

39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum.

40. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima:

41. Et fuit terminus possessionis ejus Sara et Esthaol, et Hirsemes, id est civitas solis.

42. Selebin et Aialon et Jethela,

43. Elon et Themna et Acron,

44. Elthece, Gebbethon et Balaath,

45. Et Jud et Bane et Barach et Gethremmon,

46. Et Mejarcon et Arecon, cum termino qui respicit Joppen,

47. Et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam: et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan ex nomine Dan patris sui.

48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan per cognationes suas, urbes et viculi earum.

49. Cumque complesset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue filio Nun in medio sui,

50. Juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Tham-

---

et opportuna, vel per Jordanem navigatione, vel per ejus littus profectione jungatur, et quodammodo vicina et affinis sit tribui Judæ; ita ut licet sit versus aquilonem extrema tribus Nephthali, per commercium tamen cum aliis tribubus propter iter facile et expeditum jungatur, et earum bona participet, et nominatim tribus Juda. Terminus porro aquilonaris hujus tribus erat Libanus mons.

38. *Civitates decem et novem.* Numeranti apparet plures esse, sed quomodo hoc intelligendum sit, diximus hoc cap. num. 15.

41. *Et fuit terminus.* Termini tribus Dan non aliter hic explicantur, quam aliquarum urbium, quæ tamen unum aliquem ordinem non tenent enumeratione, sed ex qua apparet maximam hujus tribus partem tribus Judæ terminis inclusam fuisse, ob eamdem scilicet causam propter quam intra eosdem tribum Simeon receptam fuisse diximus hoc cap. num. 9.

50. *Juxta præceptum Domini.*

nathsaara in monte Ephraim: et ædificavit civitatem, habitavitque in ea.

51. Hæ sunt possessiones quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israel in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii; partitique sunt terram.

CAPUT XX.

Sex refugii civitates, et qui ad eas possint confugere, et quamdiu ibi remanere debeant.

1. Et locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israel, et dic eis:

2. Separate urbes fugitivorum, * de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi,

3. Ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis.

* Num. 35, 11. Deut. 19, 2.

4. Cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem: sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum.

5. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus: quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum triduumve ejus probatur inimicus.

Cujus mentio quædam fieri videtur supra, cap. 14, 6, illis verbis Calebi ad Josue: *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne.*

Thamnathsaara. Quæ Judic. 2, 9, dicitur Thamnathsare.

Caput XX. 2. *De quibus locutus sum.* Num. c. 35; et Deut. 19. Vide ibi dicta.

3. *Animam percusserit.* Hominem occiderit.

Nescius. Soli enim involuntarii homicidæ, et culpa carentes, jure asyli gaudebant. Vide Deut. 19, 4.

Proximi, qui ultor est sanguinis. Cognati scilicet, cui permissum est occidere percussorem propinqui sui, absque alia judicis condemnatione, quocumque loco eum repererit.

4. *Stabit ante portam civitatis.* In portis enim civitatum prætoria constituebantur, et ibi exercebantur judicia.

5. *Nec ante biduum, triduumve ejus probatur inimicus.* Ex quo capi potest conjectura, non dolo sed casu occisum. Quod dicitur: *Ante biduum triduumve*, in heb. est, *ab heri et nudiustertius*, quod phrasi Scripturæ idem est quod *antea*.

6. Et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, et ingredietur civitatem et domum suam de qua fugerat.

7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Juda.

8. Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, * statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse. * Deut. 4, 43.

9. Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel, et advenis qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

CAPUT XXI.

Levitis assignantur civitates quadraginta octo cum suburbanis: et completa Dei promissione, pax et requies datur filiis Israel.

1. Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel:

2. Locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixe-

---

6. *Donec stet ante judicium.* Ex versione LXX textus noster lucem accipit. Habent illi: *Et non morietur homicida a persequente sanguinem, quoadusque constiterit coram synagoga in judicium.*

Moriatur sacerdos magnus. Pontifex. Cur a refugii urbibus et exiliis pontificis mors exules liberaret, varii varias afferunt rationes. Vera ratio, quia sic jussit Dominus. Sic autem jussisse videtur, ut hac figura significaretur vera illa libertas quæ nobis per Christum pontificem parta est. Hic enim vere maximus pontifex est, ut docet S. Paulus ad Hebræos, et per homicidas illos significantur omnis generis peccatores.

* 7. *In Galilæa montis Nephthali.* In hebræo est: *In Galilæa in monte Nephthali;* itaque in textu nostro est hypallage.

* 8. *Statuerunt.* Confirmarunt; jam enim antea a Mose constitutæ fuerant, Deut, 4, 43.

9. *Et advenis.* Proselytis tamen et ad judaismum conversis. Sunt tamen qui velint etiam gentiles in gentilismo permanentes jus asyli in his civitatibus habuisse.

* Num. 35, 2. runt : * Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta.

3. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis, juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum.

4. Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin, civitates tredecim :

5. Et reliquis filiorum Caath, id est Levitis qui superfuerant, de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem.

6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim :

7. Et filiis Merari per cognationes suas, de tribubus Ruben et Gad et Zabulon, urbes duodecim.

Caput XXI. 2. *Dominus præcepit etc.* Non negligebantur Levitæ a Josue et aliis terræ divisoribus, sed prius tribubus fuit portio assignanda regionis, et tum demum ex quaque tribu eligendæ civitates quæ Levitis darentur. Nec Levitæ contra officium faciunt cum petunt sibi urbes; nam honeste petitur quod jure debetur: nec damnari possunt quasi importuni, quia licet Josue et populus parati essent dare, fiebant tamen ista Levitarum petitione ad tribuendum proniores.

3. *Dederuntque filii Israel.* Adhibita sorte, ut patet hoc capite, num. 4, 6 et 10.

4. *In familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis.* Quatuor hoc capite statuuntur Levitarum partes. Prima est sacerdotum, qui omnes Aaronis posteri erant et de stirpe Caath. Secunda reliquorum Levitarum de stirpe Caath, sed non sadotum; quia Aaronis posteri non erant, cujus familiæ tantum sacerdotium tributum fuerat et pontificatus. Tertia Levitarum Gersonitarum. Quarta Levitarum Meraritarum.

Civitates tredecim. Primæ Levitarum parti; hoc est sacerdotibus, datæ sunt civitates tredecim quarum novem erant ex tribu Juda et Simeon, reliquæ quatuor ex tribu Benjamin. Fuit profecto mirabile tot urbes tam paucis sacerdotibus tribui : nam in transitu Jordanis, hoc est, quatuordecim annis ante terræ divisionem, sacerdotes omnes fere fuerunt viginti quatuor, ut ex Serarii supputatione patet, Josue c. 5, quæst. 1. Itaque etiamsi quater decies multiplicentur, nondum tamen poterant hoc tempore divisionis esse quadringenti sacerdotes. Et si per tredecim liceat dividere hos quadringentos, apparebit non potuisse esse in singulis urbibus sacerdotes triginta et unum : sed populus cum Levitis largus esse voluit, et non quantum crevissent spectavit, sed quantum crescere in posterum possent.

5. *Reliquis filiorum Caath.* Qui cum non essent de stirpe Aaron, sacerdotes non erant.

8. Dederuntque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes.

9. De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit Josue civitates, * quarum ista sunt nomina, * 1 Par. 6, 55.

10. Filiis Aaron per familias Caath levitici generis (prima enim sors illis egressa est),

11. Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum.

12. * Agros vero et villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. * Sup. 14, 14.

13. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem ac suburbana ejus, et Lobnam cum suburbanis suis,

14. Et Jether, et Estemo,

15. Et Holon, et Dabir,

16. Et Ain, et Jeta, et Bethsames, cum suburbanis suis; civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus.

17. De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon, et Gabae,

---

11. *Cariatharbe patris Enac* Vide dicta cap. 14, num. 15.

12. *Agros vero et villas etc.* Non fuerat concessa Hebron Caleb ut ipsa potiretur, sed tantum ager circumjectus. Ipse tamen Hebron oppugnavit, et epugnanti præmium proposuit, non solum quia eam capi publice intererat, sed etiam quia tenentibus eam Chananæis, ipse cum suis ab hostium excursionibus tutus non fuisset. Ita Magalianus. Serarius vero hoc cap. quæst. 9, putat Caleb Levitis Hebron donasse, sibi vero agrum et vicos retinuisse, in quo secutus est Tostatum, qui etiam docet Levitas in urbibus assignatis habitandi tantum jus habuisse, cæterum vectigalia, aliosque proventus si qui erant, v. g. ex lapicidinis, auri argentive fodinis, et similibus, ad eas tribus pertinuisse in quibus urbes illæ Levitarum sitæ erant. Itaque si quid tale habuit Hebron, Calebo mansit.

16. *Ain, et Jeta.* Paralipomen. lib. 1, cap. 6, 59. Jetæ nulla mentio; pro Ain vero, est Asan. Ex Hebræis aliqui dicunt, varietatem ex eo oriri, quia cum ex assignatis civitatibus quædam essent in Chananæorum potestate, interim suffectæ sunt aliæ, dum quæ fuerant constitutæ in potestatem Israelitarum venirent: itaque in uno textu substitutas legi, in alio vero primario designatas. Verius fortasse dici posset, loca quædam duplici nomine vocari, aut decursu temporis in vocabulis mutationes aliquas factas fuisse.

17. *De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon etc.* In Paral. lib. 1, cap. 6, 60, nulla fit mentio urbis Gabaon, et pro Almon scriptum est Almath, utraque vox significat juventutem. Quare

18. Et Anathoth et Almon, cum suburbanis suis; civitates quatuor.

19. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis.

20. Reliquis vero per familias filiorum Caath levitici generis hæc est data possessio:

21. De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer

22. Et Cibsaim et Bethhoron, cum suburbanis suis, civitates quatuor:

23. De tribu quoque Dan, Eltheco et Gabathon,

24. Et Aialon et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor:

25. Porro de dimidia tribu Manasse, Thanach et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ.

26. Omnes civitates decem et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus.

27. Filiis quoque Gerson levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, et Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas:

28. Porro de tribu Issachar, Cesion, et Dabereth,

29. Et Jamaroth, et Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor:

30. De tribu autem Aser, Masal et Abdon,

31. Et Helcath, et Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor:

32. De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in

---

hæc ipsa urbs, 2 Reg. 3, 10, Bahurim, quod etiam vocabulum juventutem significat, nuncupatur.

20. *Reliquis vero per familias filiorum Caath.* Qui sacerdotes non erant, cum ab Aarone prognati non essent.

*21. *Urbes confugii.* In hebræo est, *urbem confugii*, scilicet Sichem; nam aliæ non fuerunt ad hoc munus destinatæ. Qua ratione latinus textus defendi debeat vide apud Bonfrerium.

26. *Inferioris gradus.* Qui scilicet sacerdotes non erant.

27. *Filiis quoque Gerson etc.* Sequitur sors Gersonis loco tertio: quamvis enim primogenitus esset Levi, primam tamen sortem non est assecutus inter Levitas; nam propter Aaronis familiam præcipuam, penes quam sacerdotium erat et pontificatus, prælati sunt Caathitæ, ad quos Aaron et Moses pertinebant.

Galilæa, et Ammoth Dor, et Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres.

33. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis.

34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecnam et Cartha

35. Et Damna et Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis:

36. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Jaser et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis:

37 (1). De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim et Hesebon et Jaser, civitates quatuor cum suburbanis suis.

38. Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim.

39. Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo

40. Cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.

41. Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram quam traditurum se patribus eorum juraverat: et possederunt illam, atque habitaverunt in ea.

42. Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes:

(1) *Hic versus in edit. Sixt. est 26, et econtra.*

---

34. *Inferioris gradus.* Qui sacerdotes non erant, ut dixi n. 26.

36. *Jaser.* Hæc civitas est in textu LXX, sed non in hebræo. Vide Serarium.

Civitates quatuor. Quomodo quatuor, cum sint numeratæ quinque? Serarius putat Misor esse eamdem cum Bosor, et ex textu LXX irrepsisse in nostram editionem latinam. Sententia constabit, si dicamus Misor in nostro textu per appositionem exprimi, ut sensus sit: Bosor in solitudine, quæ est Misor; quæ Misor alio nomine appellatur.

41. *Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram etc.* Ei scilicet assignavit et ad eam totum jus dedit. Multam tamen adhuc superfuisse terram acquirendam, cum hæc dicerentur, patet ex capite 13 supra, et infra 23. Hæc autem vera sunt secundum modum et formam promissionis factæ, ut scilicet temporibus congruis Deus daret terram promissionis, cum scilicet ipsi sufficerent ad inhabitandum. Vide Exod. 23, 29; et Deut. 7, 22.

Et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. Intellige pro majori parte, nonnihil fere in singulis tribubus reservando acquirendum.

42. *Dataque est ab eo pax*

nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.

43. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit; sed rebus expleta sunt omnia.

CAPUT XXII.

Remissæ ad suam possessionem trans Jordanem tribus Ruben et Gad et dimidia Manasse, suspicionem movent cæteris tribubus propter exstructum altare; sed missi legati suscipiunt justam eorum excusationem.

1. EODEM tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse,

2. Dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis,

3. Nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.

4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est, revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis * quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem:

* Num. 32, 33. Sup. 13, 8.

5. Ita dumtaxat, ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde et in omni anima vestra.

6. Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua.

7. Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: et idcirco mediæ, quæ superfuit, dedit Josue sortem inter cæteros fratres suos trans Jordanem ad occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis,

---

etc. Ut nulla vicina natio Israelitas auderet vexare.

Nullusque eis hostium resistere ausus est. Fere nullus, ait Sa; vel Josue exercitum ducente, ut explicat S. Augustinus, qui etiam illud *resistere* interpretatur *lacescere.*

CAPUT XXII. 3. *Longo tempore.* Id est, longo admodum tempore eorum commilitones fuistis. Heb. habet: *hisce diebus multis.*

Usque in præsentem diem. Quo septimus annus in decursu est.

8. Dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris.

9. Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi.

10. Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis.

11. Quod cum audissent filii Israel, et ad eos certi nuntii detulissent ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israel;

12. Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dimicarent contra eos.

13. Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees, filium Eleazari sacerdotis (1),

(1) Sacerdotis. *In edit. Sixt. legitur* sacerdotem.

---

8. *Dividite prædam etc.* Monet Josue ut cum suis, qui trans Jordanem remanserant, prædam dividant. Hoc autem Josue præceptum consentaneum erat legi Num. 31, 27, ubi præcipitur, ut dividatur præda ex æquo inter eos qui pugnaverant, et inter reliquam multitudinem quæ ad bellum non processerat.

9. *Galaad terram possessionis suæ.* Galaad in Scriptura aliquando montem tantum significat, de quo Genes. 31, 48; Jerem. 8, 22; aliquando urbem ad montem illam sitam, de qua Num. 32, 39; aliquando regiunculam quæ a monte illo ad Jordanem usque porrigitur, et Galaaditis dicitur; aliquando, ut hic, totum illum tractum, in quo Sehon et Og reges olim regnaverunt.

In manu Moysi. Per Mosen, seu Mose administro.

10. *Ad tumulos Jordanis.* Ad aggeres sive tumulos, qui Jordanis aquis objectis, illas coercebant.

In terram Chanaan. Antequam transirent Jordanem et venirent in terram Galaad.

Altare infinitæ magnitudinis. Hyperbole: altare eximiæ magnitudinis. Hebræus ait fuisse *magnum ad conspectum.*

12. *Convenerunt omnes in Silo.* Nulla convocationis mentio fit, quare videntur Israelitæ zelo legis concitati sponte convenisse.

Ut ascenderent et dimicarent contra eos. Tanquam contra legis transgressores, quia Dei præceptum fuit, ut in toto israelitico populo unus tantummodo locus sacrorum esset, unumque altare sacrificiorum, Exod. 20, 24; Levit. 17, 8 et 9; Deut. 12, 5, 13, 14.

13. *Et interim miserunt etc.* Missi legati, et in his præcipuus

14. Et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus.
15. Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus
Manasse in terram Galaad, dixeruntque ad eos:
16. Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedentes?

* Num. 25, 3. Deut. 4, 3.

17. An parum vobis est * quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt?
18. Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israel ira ejus desæviet.
19. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos: tantum ut a Domino et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri.

* Sup. 7, 1.

20. * Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israel ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo!

Phinees Aaronis nepos, vir sapientia, sanctitate, zelo, eloquentia, spectatissimus. Summa legationis, ut cognoscerent cur excitatum altare, et, si crimen idololatriæ deprehenderent, monerent et ad sanam mentem revocare conarentur; si non parerent, bellum iis internecinum indicerent.

16. *Hæc mandat omnis populus Domini.* Conciliat legationi suæ auctoritatem Phinees, quod populi totius nomine, voluntate et potestate missus esset cum sociis.

Populus Domini. Emphasim habet; populus Deo fidelis ad populum apostatam.

Quæ est ista transgressio etc. Crimen tanquam certum objicit; sic enim magis excitabantur Transjordanini, ut quod objiciebatur si falsum esset pernegarent, et quo animo factum esset explicarent.

Altare sacrilegum. Heb. *altare ad deficiendum*, seu *apostatandum a Deo.*

* 17. *In Beelphegor.* Habes historiam, Num. cap. 25.

Macula hujus sceleris in nobis permanet. Infamia sceleris illius adhuc laboramus, vel usque in hunc diem sceleris illius pœnas damus, quamvis condonata sit culpa.

* *Multique de populo.* Viginti quatuor hominum millia, ut habemus Num. 25, 9.

19. *Immundam esse terram possessionis vestræ.* Quod scilicet apud vos tabernaculum non sit, nec altare, nec sacrificia.

Habitate inter nos. Parati enim sumus portionem terræ nostræ vobis cedere, et dispendio hoc nostro a scelere vos abducere.

20. *Et ille erat unus homo.* Quasi dicat: Si pro hominis unius peccato tanta in Israel clades im-

21. Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israel:

22. Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos; sed puniat nos in præsenti:

23. Et si ea mente fecimus ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet:

24. Et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israel?

25. Terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben et filii Gad, Jordanem fluvium: et idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius,

26. Et diximus: Exstruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas,

27. Sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre et holocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino.

28. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum.

29. Absit a nobis hoc scelus ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus, exstructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri quod exstructum est ante tabernaculum ejus.

30. Quibus auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt: et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt.

---

missa est, quid putamus futurum peccantibus nunc tam multis?

* 22. *Fortissimus etc.* Juramenti formula, quasi dicat: Fortissimus Deus qui pejerantes plectere potest, et quem nihil latet, hæc nobis faciat et hæc addat, si etc.

23. *Ipse quærat et judicet.* Quærat vindictam et judicet, ac puniat si malo animo fecimus.

24. *Tractatu.* Heb. *solicitudine* seu *timore*.

* *Cras.* Futuris temporibus.

27. *Juris nostri sit offerre etc.* Eo scilicet loco ubi fuerit Domini tabernaculum et altare, quemadmodum alii Israelitæ hoc jure gaudent.

Non est vobis pars in Domino.

31. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberastis filios Israel de manu Domini.

32. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad de terra Galaad, finium Chanaan ad filios Israel, et retulit eis.

33. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israel, et nequaquam ultra dixerunt ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum.

34. Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad, altare quod exstruxerant, testimonium nostrum quod Dominus ipse sit Deus.

CAPUT XXIII.

Josue senex jamque moribundus exhortatur filios Israel ad servanda Dei præcepta, et cavendam societatem cum gentibus.

1. Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subjectis in gyro nationibus universis, et Josue jam longævo, et persenilis ætatis;

2. Vocavit Josue omnem Israelem, majoresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad eos: Ego senui, et progressioris ætatis sum:

3. Vosque cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit:

4. Et nunc quia vobis sorte divisit omnem terram, ab orientali parte Jordanis usque ad mare magnum; multæque adhuc supersunt nationes:

Nihil vobis cum Domino; scilicet non est Deus vester.

31. *Liberastis filios Israel de manu Domini.* Ne ob vestram culpam totum Israelem Dominus attereret.

34. *Testimonium nostrum.* Quod ejusdem Dei et religionis cum reliquo Israele cultores simus.

Caput XXIII. 2. *Vocavit Josue omnem Israelem.* Aliqui putant cœtum hunc a Josue vocatum in Silo, alii in Thamnathsaraa quæ ipsius urbs et hæreditas erat, ut patet ex cap. 19, 50. Dicitur convocasse omnem Israelem, quia principes tribuum et præcipuos quosque advocavit, ut satis ex hoc versiculo apparet.

* *Duces.* In hebræo et græco est *judices*.

Ego senui etc. Causam conventus ostendit.

4. *Divisit.* Heb. et chald. *divisi.*

5. Dominus Deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est.

6. Tantum confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi; et non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram:

7. Ne postquam intraveritis ad gentes quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos;

8. Sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc.

9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit.

10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.

11. Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.

12. Quod si volueritis gentium harum quæ inter vos habitant erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare;

13. Jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis.

14. * En ego hodie ingredior viam universæ terræ; et toto animo cognoscetis quod de omnibus verbis quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. *3 Reg. 2, 2.

15. Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt; sic adducet super vos quidquid malorum comminatus

---

7. *Postquam intraveritis ad gentes*. Verbrum *intrare* ex vi phrasis hebrææ accipi potest vel speciatim de familiaritate ac necessitudine quæ conjugio initur, vel potius generatim de omni familiaritate atque consuetudine.

13. *In foveam ac laqueum*. Laqueus est hoc loco is maxime quo implicantur et impediuntur pedes, et ideo LXX verterunt *in scandala*, et nonnulli *in tendiculum*, Masius, *in rete*.

Offendiculum ex latere vestro. LXX habent *clavos*, qui cum sunt longiores et corpori pungendo et lancinando adhibentur, vocari solent stimuli, quibus latera fodicari solent. * In hebræo est, *flagellum in lateribus vestris*. Loro enim latera cædi mos erat. Vide Eccles. 30, 12, et 42, 5.

Sudes. Verti possunt etiam *spinæ*.

est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis,

16. Eo quod prætereritis pactum Domini Dei vestri quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, et adoraveritis eos: cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac terra optima quam tradidit vobis.

CAPUT XXIV.

Commemorantur beneficia Israelitis a Deo exhibita, fœdus populi cum Domino, mors Josue, sepultura ossium Joseph, et mors Eleazari sacerdotis.

1. Congregavitque Josue omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, et judices, et magistros; steteruntque in conspectu Domini:

2. Et ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus
* Gen. 11, 26. Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, * Thare pater Abraham, et Nachor: servieruntque diis alienis.
* Gen. 11, 31. 3. * Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus; et adduxi eum in terram Chanaan: multiplicavique semen ejus,

---

16. *Cito atque velociter*. Licet unum tantum sit vocabulum in hebræo, ejus tamen intensa celeritas duplicato hic adverbio recte significatur, quorum alterum ad improvisam ejus immitendæ pœnæ celeritatem, alterum ad executionis velocitatem refert Masius.

Ab hac terra. Latet emphrasis; quam scilicet jam possidetis, et labore multo, temporeque diuturno paravistis, et ad quam desiderio magno venistis.

Quam tradidit vobis. Deus: ut tanto Dei beneficio spoliari miserum sit, sua id culpa et peccato amittere ingratissimum ac sceleratissimum.

Caput XXIV. 1. *In Sichem*. LXX, *in Silo:* et huic versioni favent quæ dicuntur hoc eodem versiculo, *steteruntque in conspectu Domini,* coram tabernaculo, quod erat in Silo. Nec tamen discordat textus noster; nam in Sichem idem est ac in agro Sichem, in quo erat Silo. * Ita Serarius. Bonfrerius putat mendum irrepsisse in textum LXX, et pro *in Silo,* legendum *in Sichem,* quo arcam Domini deportatam putat horum comitiorum tempore.

2. *Trans fluvium*. Euphraten.

Servieruntque diis alienis. Thare scilicet Abrahami pater, et Nachor avus, ut patet ex hebræo. Serarius in hoc cap. quæst. 2, doctores nonnullos citans, docet etiam Abrahamum cum ætate junior esset, secutum parentes, idola coluisse. Alii contrarium asserunt

4. * Et dedi ei Isaac. * Illique rursum dedi Jacob et Esau. *Gen.
* E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: * Jacob 21, 2. * Gen.
vero et filii ejus descenderunt in Ægyptum. 25, 26.
5. * Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis * Gen.
signis atque portentis. 36, 8. * Gen.
6. * Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis 46, 6.
ad mare: persecutique sunt * Ægyptii patres vestros cum curri- * Exod.
bus et equitatu, usque ad mare rubrum. 3, 10. * Exod.
7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel: qui posuit te- 12, 37.
nebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et ope- * Exod.
ruit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et 14, 9.
habitastis in solitudine multo tempore:
8. Et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans
Jordanem. * Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in ma- * Num.
nus vestras, et possedistis terram eorum, atque interfecistis eos. 21, 24.
9. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit
contra Israelem. * Misitque, et vocavit Balaam filium Beor, ut * Num.
malediceret vobis: 22, 5.
10. Et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum be-
nedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus.
11. * Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugna- * Sup.
veruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, et Pherezæus, 3, 14.
et Chananæus, et Hethæus, et Gergesæus, et Hevæus, et Jebu- 6, 1. 11, 3.
sæus: et tradidi illos in manus vestras.
12. * Misique ante vos crabrones: et ejeci eos de locis suis, * Exod.
duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. 23, 28. Deut.
13. Dedique vobis terram in qua non laborastis, et urbes 7, 20.
quas non ædificastis, ut habitaretis in eis, vineas et oliveta quæ
non plantastis.
14. * Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde * 1 Reg. 7, 3. Tob. 14, 10.

---

* 4. *Montem Seir.* Idumæam.

11. *Pugnaveruntque contra vos.* D. Augustinus, quæst. 26 in Josue, ait, *pugnare*, fuisse claudere portas contra hostem.

Amorrhæus, et Pherezæus etc. Pro, *itemque Amorrhæus etc.* Quidam tamen putant ex omnibus his populis fuisse aliquos in Jericho, cum oppugnaretur.

12. *Misique ante vos crabrones.* Quod pollicitus fuerat Dominus, Exod. 23, 28; Deut. 7, 20. S. Augustinus crabrones methaphorice interpretatur, et vult fuisse aut prævolantes rumores de adventu Israelitarum, quibus pungebantur animi Chananæorum, vel dæmones. Sed communis et recepta sententia explicat de veris crabronibus. Vide Sap. 12, 8.

atque verissimo: et auferte deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino.

15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; ego autem et domus mea serviemus Domino.

16. Responditque populus et ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis.

17. Dominus Deus noster ipse eduxit nos et patres nostros de terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via per quam ambulavimus, et in cunctis populis per quos transivimus.

18. Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster.

19. Dixitque Josue ad populum: Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus, et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.

20. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos atque subvertet, postquam vobis præstiterit bona.

21. Dixitque populus ad Josue: Nequaquam ita ut loqueris erit, sed Domino serviemus.

22. Et Josue ad populum: Testes, inquit, vos estis, quia

---

*14. *Auferte deos etc.* Ex hoc loco patet et in Ægypto et tempore etiam Josue aliquos fuisse qui clam idola retinerent et colerent. Vide hoc cap. n. 23.

15. *Optio vobis datur.* Non fit potestas quod voluerint eligendi, sed duo componuntur, quorum alterum pessimum est alterum optimum, ut hoc eligendum esse clare omnino appareat. Sic dicimus: alterutrum vobis, o mortales, eligendum est, aut pœna æterna aut perpetua beatitudo, quod vultis eligite. Hoc exhortandi modo usus est Elias 3 Reg. 18, 21; Eccles. 15, 18.

19. *Non poteritis servire Domino etc.* Est vehemens adhortatio ad fortiter et constanter capessendam servitutem Domini: sic imperator militibus postulantibus ut potestas fiat in hostem irrumpendi: Non vincetis, inquit, non resistetis eorum viribus etc. sicque animos eorum acuit in prælium.

Deus enim sanctus etc. Quasi dicat: Servire Domino non poteritis nisi magno animo et constanti voluntatis destinatione Deo adhærere statuatis, sanctos mores colere, nullumque crimen admittere, quo ille sanctitatis amator irritetur.

ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque: Testes.

23. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.

24. Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus.

25. Percussit ergo Josue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem.

26. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum quæ erat in sanctuario Domini:

27. Et dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium quod audierit omnia verba Domini quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro.

---

25. *Percussit ergo Josue in die illo fœdus etc.* Modus quo percussit statim in sequentibus explicatur.

Proposuit populo præcepta etc. Vel ea populo recitando, vel tanquam fœderis, quod pungebat, conditionem imponendo, ut scilicet statuta et judicia custodirent.

* 26. *Omnia verba hæc.* Renovatum fœdus, et omnia quæ in eo dicta fuerant et facta.

* *In volumine legis.* In quo Moses Deuteronomium conscripserat, quodque in arcæ latere constitui jusserat, Deut. 31, 24 et 26, e quo verisimiliter lecta sunt et proposita præcepta illa et judicia de quibus est sermo num. præcedenti.

Tulit lapidem pergrandem etc. Erexit hunc lapidem quasi statuam, ut videtur appellari Judic. 9, 6; magnitudine quidem ingentem, sed impolitam et rudem, ut indicat quæst. 30 S. Aug. nisi quod aliqua in ea de fœdere isto insisa videtur inscriptio.

Subter quercum. LXX, *terebinthum,* ut etiam legit D. Aug. Eadem numero quercus hæc a rabbinis et christianis auctoribus asseritur, sub qua in agro Sichem consedit Abraham, cum primum venit in Chananæam, Genes. 12, 6; et sub qua idola defodit Jacob, Genes. 35, 4: * sed parum credibile est unam et eamdem quercum quingentis fere annis durare potuisse.

Quæ erat in sanctuario Domini. Quæ scilicet erat in Silo, et comprehendebatur ambitu atrii tabernaculi. * Vel per sanctuarium intelligitur locus ille in quo tantisper arca stabat in Sichem, dum comitia absolverentur, in quo vel juxta quem quercus illa erat, cui lapis ille suppositus fuit posteris monumentum futurus. Ita Bonfrerius.

27. *Quod audierit omnia verba Domini.* Lapidi tribuitur auditus per prosopopeiam. Sic Isai. 1: *Audite, cœli etc.* et Deut. 32, 1: *Audite, cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.*

28. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam.
29. Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum:
30. Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte Ephraim, a septentrionali parte montis Gaas.
31. Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israel.
* Gen. 50, 24. Exod. 13, 19. * Gen. 33, 9.
32. *Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri * quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph.
33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

---

29. *Et post hæc mortuus est Josue*. Credibile est eum post ista comitia non diu vixisse, sed paulo post, reversum domum excessisse e vita.

30. *Sepelieruntque eum etc.* Nulla hic mentio planctus et luctus populi, qui tamen in magnis viris per plures dies fieri solebat apud Hebræos; ut Jacob, Gen. 50; Aaron, Num. 20; Mosi, Deut. 34: his enim duobus totos triginta dies in luctu parentatum. Itaque nihil minus factum in Josue credendum est, licet non exprimatur.

31. *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue*. Verum enim est dictum illud: *quales principes sunt, tales reliqui solent esse cives*. * Tantumque valet benefactorum recens memoria et virorum spectatorum auctoritas. Vide simile lib. 2 Paral. 24, 2, 16, 17, 18.

32. *Ossa quoque Joseph etc.* Moriens Joseph jurejurando Israelitas obstrinxerat, ut sua ex Ægypto ossa in Chananæam asportarent, Gen. 50, 24. Id ab ipsis factum est, ut patet Exod. 13, 19.

In parte agri quem emerat etc. Vide dicta Genes. 33, 19.

33. *Quæ data est ei*. Tò *ei* aliqui referunt ad Phinees, sic D. Hieronymus. Alii ad Eleazarum, sic ex recentioribus Masius. Extrema hæc verba, quibus mors Josue narratur, ab aliquo pio et sancto propheta scripta fuisse dicendum est, si sequamur eorum sententiam, qui hujus libri auctorem faciunt ipsum Josue.

LIBER JUDICUM,

HEBRAICE SOPHETIM.

CAPUT PRIMUM.

Juda duce, una cum fratre ipsius Simeone, plurimæ gentium civitates expugnantur: Othoniel, obtenta Cariath-Sepher, ducit Axam filiam Caleb, addita terra irrigua: Chananæi tributarii servantur.

1. Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli?

2. Dixitque Dominus: Judas ascendet: ecce tradidi terram in manus ejus.

3. Et ait Judas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananæum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

4. Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum: et percusserunt in Bezec decem millia virorum.

Caput I. 1. *Post mortem Josue.* Et justa funeris ei persoluta, ut diximus, Josue cap. 24, 30.

Consuluerunt filii Israel Dominum. Comitiis in Silo convocatis, * consuluerunt Dominum per pontificem, adhibito oraculo urim et thummin.

Quis ascendet ante nos etc. Non est sensus, quis erit dux noster; sed quænam tribus contra Chananæum pugnare incipiet, et suo exemplo aliis præibit ut idem faciant.

2. *Judas ascendet.* Tribus Juda ipsa expeditionem in hostes prima suscipiet.

3. *Ait Judas Simeoni fratri suo.* Licet tribus omnes ob unum patrem Jacob, fratres inter se dici possent Simeon tamen Judæ frater appellatur; quia in terræ sortitione et possessione vicinissimi facti sunt, Judæi Simonitæ, adeo ut in illorum sortem ac pene sinum recepti sint, ut patet Josue 19, 2. * Adde Judam et Simeonem fratres fuisse non solum eodem patre Jacob, sed eadem etiam matre Lia genitos.

4. *Bezec.* Bezec significat fulgur sive coruscationem; fuitque ea urbs ipsi Bethlehem ad occidentale latus proxima.

5. Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum et Pherezæum.

6. Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum.

7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est.

8. Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.

9. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus.

* Jos. 15, 14. 10. * Pergensque Judas contra Chananæum qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Cariath-arbe), percussit Sesai, et Ahiman, et Tholmai:

11. Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath-sepher, id est, civitas litterarum.

---

5. *Adonibezec.* Id est, dominus Bezec.

7. *Septuaginta reges.* Reguli, iique vel diversorum omnes locorum domini, vel interdum eorumdem, sed quorum alii aliis successerunt.

Amputatis manuum ac pedum summitatibus. Quod propterea factum, ne deinceps arma tractare possent, nec pedibus effugere.

Colligebant sub mensa etc. Nota crudelitatem tyranni qui captivis principibus ita illuderet. Nota etiam luxum epularum; oportuit enim admodum luxuriose instructam mensam illam fuisse, ex cujus deciduis reliquiis septuaginta viri alerentur.

Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Verum enim est dictum Sapientiæ c. 11, 17, *per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.*

Adduxeruntque eum in Jerusalem. Quæ paulo post capta est, ut dicitur versiculo sequenti.

8. *Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem.* Jerusalem pars australis quæ olim Jebus dicebatur, pertinebat ad tribum Juda; altera vero pars quæ erat ad septentrionem et dicebatur Salem, spectabat ad tribum Benjamin. Oppugnant ergo Judæi Jerusalem, quia ex parte intra suos fines erat, et quia Benjamitæ, ut id facerent, pro sua portione concedebant.

Percusserunt in ore gladii etc. Cædibus ac flammis vastatam putat Serarius; quod post defectionem nunc secundo sit capta. Videtur enim illam primo cepisse Josue, cum rex Jerusalem ab eo captus, suspensus dicatur, Josue c. 12, 10.

10. *Contra Chananæum qui habitabat in Hebron.* Hæc quæ hic recensentur narrata sunt et explicata, Josue cap. 15, num. 14, et deinceps; est enim idem bellum et eadem expeditio.

12. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath-Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

13. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam conjugem.

14. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes?

15. At illa respondit: Da mihi benedictionem: quia terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, et irriguum inferius.

16. Filii autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Juda in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo.

17. Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est, anathema.

18. Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis.

---

* 11. *Civitas litterarum.* Vel quod ibi fuerit academia, ut vult Lyranus; vel archivium veterum monumentorum, ut Masius; vel insignis bibliotheca, ut Arias sentit. Sic *Madrid* arabice *matrem scientiarum* significat.

16. *Filii autem Cinæi cognati Moysi.* Filii Jethro, ut expresse habent LXX, qui etiam Cinæus dictus est.

De civitate palmarum. De Jericho quæ etiam dicitur civitas palmarum, ut patet Deut. 34, 3; et 2 Paral. 28, 15.

In desertum. In solitudinem quæ in australi Judææ termino. Cur, relicta urbe, in solitudinem abierint, non exprimitur in Scriptura. Probabile, quod sensit Serarius, eos hoc ipso jam tempore vitam illam, quæ veteris testamenti monastice quædam et anachoretice fuit, quæque Jerem. 35, valde a Domino laudatur, inchoasse, ac propterea solitudinis opportunitatem captasse, et in solis tabernaculis habitasse, prout infra cap. 4, n. 11, de Haber cinæo dicitur.

Ad meridiem Arad. Erat Arad ab Jericho ac Jerusalem procul, ad extremas occidentales meridionalesque salsi maris partes, ut ex Num. 21, 1, et topographorum consensu patet.

* *Habitaverunt cum eo.* In hebræo est, *cum populo*, Israelitarum scilicet.

17. *Interfecerunt eum.* LXX, ἀνεθεμάτισαν, anathema fecerunt; concepto fortasse voto, si caperent, se omnes internecione deleturos, ut Num. 21, 2 fecerant, cum pugnarent contra regem Arad chananæum, vel in actionem gratiarum, ut Jericho, Josue 6, 17.

18. *Gazam, Ascalonem, et*

19. Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit: nec
potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.
20. Dederuntque Caleb Hebron, *sicut dixerat Moyses: qui
delevit ex ea tres filios Enac.
21. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt
filii Benjamin: habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, usque in præsentem diem.
22. Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.
23. Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur,
24. Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam.
25. Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, et omnem cognationem ejus, dimiserunt.

* Num. 14, 24. Jos. 15, 14.

Accaron. Urbes in sacris litteris et apud profanos etiam auctores admodum celebres. Harum tamen postea Gazam in Philisthæorum rediisse potestatem, patet ex historia Samsonis, qui Judic. 15 et 16. contra Gazæos pugnasse narratur. Idem de Ascalone et Accaron habemus 1 Reg. 6, 17.

19. *Nec potuit delere habitatores vallis etc.* Potuisset sane, si Deus illi adfuisset; verum stulta formido ob currus falcatos concepta, et de divino auxilio diffidentia impedimento fuit, quo minus iis Deus opem ferret ut gentes illas subigerent.

Falcatis curribus. Falcatorum curruum descriptionem habes apud Curtium lib. 4, et Livium lib. 7 decad. 4; erant currus falcati ita instructi, ut hastæ supra temones eminerent, et ab utroque latere falces, ex quo fiebat ut ab aurigis laxatis habenis, hostes transfigerentur lanceis, falcibus lacerarentur, et equorum ungulis ac rotis obtererentur.

20. *Sicut dixerat Moyses.* Num. 14, 24.

Qui delevit ex ea tres filios Enac. Vide Josue cap. 15, 14.

21. *Non deleverunt etc.* Quod etiam aliæ tribus fecerunt, ut patet hoc cap. num. 28. Est autem in hoc ab Israelitis peccatum ignavia et lucri cupiditate. Ignavia quidem, quia ut bellandi finem et quietem qualemcumque consequerentur, Chananæis pepercerunt. Lucri vero cupiditate, quia tributarios illos quam nullos habere maluerunt.

23. *Urbem, quæ prius Luza vocabatur.* Hæc est Bethel. Luza dicebatur quasi *nux* a nucum copia.

24. *Ostende nobis introitum civitatis etc.* Justum erat bellum ex parte Israelitarum, et Dominus volebat Chananæos deleri: potuit ergo citra proditionis crimen divinæ subservire voluntati.

25. *Hominem autem illum, et omnem cognationem ejus, dimiserunt.* Fortasse apud se habere

26. Qui dimissus, abiit in terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem.

27. Manasses quoque non delevit Bethsan et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Jeblaam, et Mageddo cum viculis suis; cœpitque Chananæus habitare cum eis.

28. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit.

29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.

30. Zabulon non delevit habitatores Cetron, et Naalol: sed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque est ei tributarius.

31. Aser quoque non delevit habitatores Accho, et Sidonis, Ahalab, et Achazib, et Helba, et Aphec, et Rohob:

32. Habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.

33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames et Bethanath: et habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fueruntque ei Bethsamitæ et Bethanitæ tributarii.

34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent:

35. Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Aialon et Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius.

36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu Scorpionis, Petra, et superiora loca.

---

noluerunt, quod illi parum fiderent, vererenturque ne, si se daret occasio, paria in Israelitas auderet, iisque moliretur exitium.

* 26. *In terram Hetthim.* Quænam hæc terra sit, ignotum. Videtur fuisse regio aliqua non procul a Chananæa. Josephus lib. 1, antiquit. cap. 2, meminit urbis cujusdam quæ Λεύσσα dicitur, et sita est in Arabia, Judææ vicina.

Vocavitque eam Luzam. Pro eo quod in patriam, quam reliquerat, affectus erat.

28. *Delere noluit.* Vide dicta num. 21.

* 35. *Habitavitque.* Non Dan, sed Amorrhæus.

* *Testaceo.* Ab aggestis in montem illum testarum fragmentis ita appellato.

Aggravata est. Prævaluit * contra Amorrhæos.

* 36. *Ascensu Scorpionis.* De quo vide dicta Num. 34, 4.

* *Petra.* Urbs erat in montibus in extremis finibus Chananææ ad austrum, cujus mentionem facit Josephus lib. 3 ant. cap. 2.

* *Et superiora loca.* Significa-

Angelus Dei beneficia refert, quo audito, flet populus: post mortem tamen Josue et coævorum, Israel frequenter liberatus semper in pejora recidit.

1. Ascenditque angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait: Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram pro qua juravi patribus vestris; et pollicitus sum ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum;

2. Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: et noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis?

3. Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra: ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam.

4. Cumque loqueretur angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel: elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt.

5. Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lacrymarum: immolaveruntque ibi hostias Domino.

---

tur Amorrhæos ad ipsam Petram pertigisse, et ulterius versus montium horum australium culmina habitationem suam extendisse.

Caput II. 1. *Angelus Domini.* Videtur fuisse angelus ille qui in iisdem Galgalæ partibus apparuerat Josue cap. 5, n. 13, quem, ut ibi dixi, aliqui Gabrielem alii Michaelem fuisse putant: Sunt qui putent fuisse prophetam aliquem, nuntium et interpretem divinæ voluntatis, * quod ex eo colligunt, quia locus ex quo venit nominatur. Non est novum prophetam vocari angelum. Vide Aggæi 1, 13: sic etiam sacerdotem, Malach. 2, 7.

De Galgalis. Causa cur ascendere seu apparere voluerit in Galgalis fuisse videtur, ut tot et tantorum beneficiorum illic acceptorum, et renovati per circumcisionem fœderis, memoria refricaretur. Ita Theodor. quæst. 6.

Ad locum flentium. Ad locum in quo fleverant; vel in quo, auditis quæ angelus nuntiabat, fleverunt. Aliqui putant esse Silo, quia num. 5, dicitur in hoc flentium loco sacrificatum, nullibi autem sacrificare licebat, nisi ubi erat tabernaculum, quod eo tempore erat in Silo. * Bonfrerius ex Josepho lib. 7 antiq. cap. 4, et ex LXX interpretibus, 2 Reg. 5, 23, putat fuisse silvam ultra vallem Raphaim ab urbis Jerusalem parte occidua; sive ergo hic, sive alius fuit locus, dicendum eo ipso quod angelus eos ad propitiandum Deum hortabatur, etiam illis inspirasse, aut etiam diserte significasse, ut ibi sacrificarent, * quod non semel factitatum. Vide Judic. 6, 20, 26, 28, et cap. 13, 19; et 2 Reg. cap. ult. 18; et 1 Paral. 21, 18, et 3 Reg. 18, 32.

3. *In ruinam.* Id est, ruinæ occasio. LXX, *scandalum.*

6. * Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: * Jos. 24, 28.

7. Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel.

8. Mortuus est autem Josue filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum,

9. Et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a septentrionali plaga montis Gaas.

10. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel.

11. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim.

12. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: et secuti sunt deos alienos, deosque populorum qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos: et ad iracundiam concitaverunt Dominum,

13. Dimittentes eum, et servientes Baal et Astaroth.

14. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis;

---

6. *Dimisit ergo Josue.* Hæc repetita sunt ex cap. 24 lib. Josue, et hic inserta. Non ergo existimandum Josue, cum hæc acciderunt, superstitem fuisse; nam cap. 1, dictum fuerat Josue mortuum, et D. Aug. quæst. 14: *Hæc*, ait, *per recapitulationem iterari nulla dubitatio.* Porro ista repetuntur hoc loco, ut ostendatur quando et quamdiu Israelitæ in officio perstiterint, et quomodo in idololatriam lapsi sint. Vide horum quinque versiculorum explicationem supra cap. 24 lib. Josue.

11. *Servierunt Baalim.* Vox Baal *dominum* significat, et accipitur aliquando generatim pro diis deabusque omnibus: aliquando speciatim pro certo aliquo deo aut dea, sive addatur nomen peculiare dei illius, ut cum dicitur Baal-Berith; sive intelligendum relinquatur ex loci circumstantia, vel alia quapiam, quisnam Deus ille sit.

13. *Astaroth.* Significat hæc vox vel generatim plura nomina, quæ tamen feminino sexu colantur; vel definite unum aliquod; alia enim erat Astarthe Sidoniorum, alia Ascalonitarum, alia Tyriorum. Sub his autem nominibus colebatur aut Venus, aut Diana, aut Luna etc.

14. *Vendiderunt.* Heb. et LXX, *vendidit*, Deus scilicet, quod idem est ac tradidit, ut habet chaldæus: quæ enim alicui venduntur, illi traduntur, estque phrasis non infrequens in Scriptura; ut cum dicitur Isa. 50, 1, *quis est creditor meus,*

15. Sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est et juravit eis: et vehementer afflicti sunt.

16. Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus; sed nec eos audire voluerunt,

17. Fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Cito deseruerunt viam per quam ingressi fuerant patres eorum: et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.

18. Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium.

19. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam per quam ambulare consueverunt.

20. Iratusque est furor Domini in Israel, et ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contemsit;

21. Et ego non delebo gentes quas dimisit Josue, et mortuus est:

22. Ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non.

---

cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.

15. *Quocumque pergere voluissent.* Id est, quidquid incepissent aut conati essent.

Manus Domini super eos erat. Seu, ut hebr. et græce dicitur, *in ipsorum malum super eos erat.*

Sicut .... juravit eis. Levit. cap. 26, 14; et Deut. cap. 28, 15: quibus locis quamvis juramentum non legatur, adhibitum tamen docent Cajet. et Serarius.

Et vehementer afflicti sunt, seu *compressati*, ut in Scorpiaco legit Tertullianus.

16. *Suscitavitque etc.* Judices, de quibus hic est sermo, fuerunt principes qui Israelitarum populum e servitutibus et malis quibus tunc premebantur vindicarunt, eumque toto vitæ suæ tempore postea ex legum præscripto senatorumque consiliis rexerunt: ad ipsum vel mirabiliter a Deo excitati, vel a populo ipso electi et invitati.

18. *Et liberabat eos etc.* Ideoque judices *salvatores* appellati sunt in Scriptura: ita enim vocantur cap. 3 hujus libri, num. 9; et 2 Esdræ 9, 27.

19. *Viam durissimam.* Licet enim scelerum via mollis et jucunda videatur; quia tamen in ærumnas, et damna gravissima fert, Deumque durum seu iratum efficit, dura dicitur.

22. *Experiar.* Heb. et LXX, *tentem*, periculum faciam.

23. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue.

CAPUT III.

Israel sociatur gentibus a Domino derelictis ad ipsius exercitationem: ideo sæpius per extraneos reges affligitur, sed resipiscens, per Othoniel, Aod, et Samgar, liberatur.

1. HÆ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum;

2. Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi:

3. Quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, et Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath.

4. Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.

5. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Phærezæi, et Hevæi, et Jebusæi;

---

23. *Dimisit ergo*. Quasi dicat: Dominus, qui futura prævidebat, noluit statim delere nationes illas.

CAPUT III. 1. *Ut erudiret in eis Israelem*. Hebraicum verbum tentare significat; ita ut causa sit eadem, quæ superiori cap. 2, 21, 22, *non delebo etc. ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini etc*. Et hoc eodem cap. 3, n. 4, *dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini etc*.

Qui non noverant bella Chananæorum. Qui ea non viderant et experti non erant.

2. *Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus*. Aliqui ex textu græco et hebræo hunc sensum esse putant: ut filii Israel intelligant quid sit præliari cum Chananæis, quam scilicet durum plenumque discriminis. Alii textui nostro convenientius, ut filii Israel artem bellandi condiscerent frequenti armorum tractatione, bellisque gerendis cum Chananæis, a quibus artem militarem docerentur, dum hoc modo exercebant.

3. *Satrapas*. Id est, præfectos seu principes; vox est persica.

De monte Baal Hermon. Videtur is mons sic dictus ab idolo et templo ejus, quod erat ad Hermon. Porro mons Hermon prope Antilibanum est ad septentrionem Palestinæ.

Usque ad introitum Emath. Hæc a nonnullis Antiochia esse creditur ad Orontem.

6. Et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum.

7. Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth.

8. Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis.

9. Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem;

10. Fuitque in eo spiritus Domini, et judicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manus ejus Chusan Rasathaim regem Syriæ, et oppressit eum.

---

7. *In conspectu Domini*. Heb. *in oculis Domini*, vidente et reprobante.

Servientes Baalim et Astaroth. Heb. *Aseroth*, quam vocem quidam intactam relinquunt, secuti chaldæum, quasi sit nomen proprium. LXX, *servierunt Baalim et lucis*, quod Hebræi sequuntur, docentes ea voce significari arbores quæ coluntur vel consitæ sunt in honorem idoli.

8. *Tradidit eos*. Heb. *vendidit eos*, cujus phrasis vis explicata est cap. superiori, num. 14.

Rasathaim. Hæc vox significat *duarum malitiarum*. Arias putat reges syros Pharaonum instar cognomine isto affectos fuisse ab improbis factis duplicibus coercendis civilibus et criminalibus. Prior vox *chusan* æthiopem et nigrum significat.

Regis Mesopotamiæ. Quæ in hebræo dicitur *Syria duorum fluminum;* et apud LXX *Syria fluviorum*, quia inter duos fluvios jacet, Tigrim et Euphraten.

* *Servieruntque*. Id est, pacem gravis tributi pensitatione redemerunt. Eodem sensu accipe quæ dicuntur n. 12, 13, 14.

9. *Salvatorem*. *Advertendum*, inquit S. Aug. quæst. 18, *salvatorem etiam dici hominem per quem Deus salvum faciat*.

10. *Fuitque in eo spiritus Domini*. Spiritum hunc existimant Josephus lib. 5, cap. 4, oraculum seu χρησμὸν fuisse; Chaldæus in paraphrasi *prophetiam;* alii *donum roboris ac fortitudinis;* Abulensis *fortitudinem, prudentiam, bellandique impetum;* Cajet. *spiritum accensivum populi ad servitutem Dei, ad vindicandum se in libertatem, ad bellum*.

Et judicavit Israel. Primo per vindicationem a regis Mesopotamiæ tyrannide; postea vero per bonam sanctamque gubernationem et imperium.

Egressusque est ad pugnam. Divino illo spiritu plenus.

Et oppressit eum. Heb. *et robusta fuit manus ejus super eum*. Significatur autem victoriæ magnitudo atque perfectio.

11. Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez.

12. Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini: qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu ejus.

13. Et copulavit ei filios Ammon et Amalec: abiitque et percussit Israel, atque possedit urbem palmarum.

14. Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis;

15. Et postea clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab.

16. Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio ca-

---

11. *Quievitque terra.* Cessatum est a servitute et ab armis, religio restaurata est, divinarum legum vigor, tranquillusque ac florens reipublicæ status restitutus est.

12. *Addiderunt autem filii Israel facere malum etc.* Mortuo scilicet Othoniel; tanti refert a bone principe rempublicam gubernari.

Confortavit. Roboravit, impio ac gentili rege tanquam instrumento et quasi tortore usurus, ad plectendos Israelitas.

13. *Et copulavit ei.* LXX, *et congregavit ad se ipsum:* utrumque verum, nam opitulante Deo adjunxit sibi Eglon Ammonitas et Amalecitas, rursumque hos illi sua ope adjunxit Deus.

Percussit Israel. Gravi clade eum afficiens, ipsorumque terram occupans ex parte.

Possedit urbem palmarum. Jericho: agrum scilicet ejus; nam civitas ab Josue diruta fuerat et incensa.

14. *Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis.* Regi Mesopotamiæ servierant octo annis, jam vero crescentibus peccatis, diuturnior servitus rependitur.

15. *Vocabulo Aod.* A Josepho, lib. 5 antiq. cap. 5, appellatur Ἰούδης *Judes;* et vere nomen hoc, et origine et significatione convenit cum Juda, ideoque a quibusdam *Aod* exponitur *confitens* et *laudans:* ab Origene homil. 4, *laus.*

Filium Gera filii Jemini. De stirpe nimirum Benjamin.

Utraque manu pro dextera utebatur. Ambidexter erat, seu, ut ab Isidoro dicitur, *æquimanus.* LXX, ἀμφιδέξιον vocant, eadem significatione. Vatablus, Arias, Cajet. et alii, putant vocem hebraicam אטר *itter* significare eum qui senistra tantum manu utitur, vel certe ea plus valet. Favet Josephus lib. 5, cap. 5 cum ait: τῶν χειρῶν τὴν ἀριστερὰν ἀμείνων, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνης τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων, *sinistra manu melior, et in ea omnem vim habens.*

16. *Gladium ancipitem.* Dua-

pulum longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore.

17. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis.

18. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios qui cum eo venerant.

19. Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o rex! Et ille imperavit silentium: egressisque omnibus qui circa eum erant,

20. Ingressus est Aod ad eum; sedebat autem in æstivo cœna-

---

rum acierum, duorum mucronum.

Longitudinis palmæ manus. Gladius seu sicca, quam sibi paravit Aod, palmaris fuit. Hebræus cubitalem fuisse ait; sed a nostro interprete palmus major intelligitur, qui cum cubito minore longitudine congruit.

17. *Erat autem Eglon crassus nimis.* Heb. *pinguis valde.* LXX habent ἀστεῖος, quæ vox in interpretatione latina, quæ S. Augustini tempore circumferebatur, *exilis* reddebatur, et D. August. per antiphrasim intelligit. Certum est ἀστεῖον Græcis esse urbanum; bellum, commodis moribus. Quomodo LXX virorum lectio cum vulgata conciliari possit, non satis video. Vide tamen quæ affert hic Serarius.

18. *Prosecutus est socios.* In heb. est *dimisit*, vel *emisit populum qui munus tulerat*, ut etiam LXX, id autem fecit, ut expeditior esset ad facinus, vel ne aliis crearet periculum, si cœptum parum feliciter succederet; nec discordat textus latinus cum ait, *prosecutus etc.* primo enim socios dimisit, deinde quasi cum iis abiturus, eos subsecutus est, postea autem solus rediit.

19. *Et reversus de Galgalis.* Hucusque populum quem a se dimiserat prosecutus est Aod, ac inde ad regem, quasi aliquid oblitus esset, vel in via novi quid incidisset, solus rediit. Galgala sunt in agro jerichuntino.

* *Ubi erant idola.* Videntur fuisse idola a Moabitis constituta, eo fortasse concilio ut Israelitas ad idololatriam invitarent aut cogerent.

* *Imperavit silentium.* Non famulis vel aulicis, sed ipsi Aod, donec adstantes facesserent: in hebræo enim est, *tace.* Timuit rex ne aliis audientibus aliquid loqueretur quod secretum esse oporteret.

20. *Ingressus est Aod ad eum.* Propius scilicet accessit.

In æstivo cœnaculo. Significatur locus adversus æstivos calores idoneus; seu, ut hebræus indicat, refrigerationi locus idoneus.

Solus. Plane solus, omnibus omnino exclusis. LXX habent μονώτατος.

Verbum Dei habeo ad te. Oraculum: Josephus dixit ὄναρ, somnium; scilicet divinitus immissum. Id agebat Aod, ut rex tactus religione assurgeret, ictuique redde-

culo solus: dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.

21. Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre ejus

22. Tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt.

23. Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, et obfirmatis sera,

24. Per posticum egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo.

25. Exspectantesque diu donec erubescerent, et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum.

26. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat. Venitque in Seirath:

27. Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente.

28. Qui dixit ad eos: Sequimini me; tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post

---

retur opportunior, quod etiam consecutus est.

Qui statim surrexit de throno. In reverentiæ argumentum.

22. *Pinguissimo adipe stringeretur.* Sensus est, non tantum ingressum esse capulum, sed etiam adipem ferrum cum capulo intercepisse et intra se constrinxisse; ita ut adeps vulneris locum exterius impleret, nihilque ferri aut capuli appareret.

24. *Per posticum egressus est.* LXX verterunt *per ordinatos*, seu ut S. August. quæst. 22, *milites observantes*, qui scilicet excubare soliti erant, ut in regum aulis fit. Hebræi quidam putant fuisse vestibulum, vel gradus ad domus introitum ordinatos, aut locum in quo ad regem homines convenirent, seu exedram in qua sedere consuevissent.

Purgat alvum. Heb. *tegit ipse pedes suos.* Hanc enim naturæ necessitatem, lingua sancta verecunde vocat *pedes cooperire*, et urinam *aquam pedum.*

*25. *Donec erubescerent.* Confusi turbarentur præ inopia consilii.

26. *Venitque in Seirath.* Est locus hic ad montana Ephraim in finibus tribus Benjamin.

27. *Insonuit buccina.* Nec frustra; nam ad arma convolarunt plurimi.

Ipso in fronte gradiente. Scilicet ante omnes, quod boni ducis est.

28. *Tradidit enim Dominus.*

eum, et occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab:
et non dimiserunt transire quemquam;
29. Sed percusserunt Moabitas in tempore illo circiter decem
millia, omnes robustos et fortes viros: nullus eorum evadere potuit.
30. Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel: et
quievit terra octoginta annis.
31. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Phi-
listhiim sexcentos viros vomere: et ipse quoque defendit Israel.

CAPUT IV.

Debbora prophetissa et Barac adversus Sisaram principem regis Jabin dimicant, quem profugum occidit Jahel uxor Haber cinæi.

1. Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Do-
mini post mortem Aod,
* 1 Reg. 12, 9. 2. * Et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan qui

---

Plurimum animi militibus addit, si propitio numine se pugnare persuasum habeant.

* *Occupaverunt vada Jordanis*. Ne Moabitæ suis, transmisso Jordane, opem ferre possent.

30. *Quievit terra octoginta annis*. Vide dicta supra hoc eodem cap. num. 11.

31. *Post hunc fuit Samgar filius Anath*. Non dicitur ex qua tribu fuerit.

Percussit de Philisthiim. Philisthæi, audita morte Aod viri fortissimi, non justo bello, sed populabundi more latrocinantium in fines Hebræorum videntur irrupisse; et per eos excurrisse. Hos Samgar, ut erat ad opera ruris succinctus, aratri parte in usum teli conversa et suorum manu collecta, multis occisis, repressit.

Sexcentos viros. LXX, usque ad sexcentos.

Vomere. LXX vocant ἀροτρόποδα pedem aratri, vecte ex aratro desumto simul cum vomere ferreo.

Ipse quoque defendit Israel. In heb. est, *et salvavit etiam ipse Israel*. Idem plane habent LXX, quæ verba ostendunt Samgar judicem fuisse, quod negat Genebrardus in chronico. Verba etiam illa quæ hujus versiculi initio habentur, *post hunc fuit Samgar etc.* hoc idem ostendunt; significant enim Aod successisse.

Caput IV. 1. *Post mortem Aod*. Nulla fit Samgaris mentio, quia brevi admodum tempore Israelis ducatum tenuit, adeo ut illius ratio non habeatur.

2. *Tradidit illos Dominus*. Heb. *vendidit*: idem tamen est; nam quæ venduntur emtori traduntur.

Jabin regis Chanaan. Jabin

regnavit in Asor, habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haroseth gentium.

3. Clamaveruntque filii Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos.

4. Erat autem Debbora prophetis, uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.

5. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel, in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium.

6. Quæ misit, et vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel: vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali et de filiis Zabulon:

7. Ego autem adducam ad te, in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, et currus ejus, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua.

---

hic erat ex posteris Jabin illius, cujus mentio est Josue 11, 1.

Asor. Urbs hæc, Josue 11, 11, vastata et flammis consumta dicitur a Josue, sed eam Chananæi reædificaverant.

Haroseth gentium. Dicta *gentium*, ex concursu gentium, quæ vel a Josue suis sedibus pulsæ, vel aliunde eo confluxerant aliis etiam ex causis, verbi gratia, mercaturæ etc.

3. *Falcatos currus*. Vide cap. 1, num. 19.

4. *Uxor Lapidoth*. Debboram cum Israelem judicaret viduam fuisse docet S. Ambr. lib. de viduis; S. vero Hieronymus negat in epistola ad Furiam sub finem. Hac in re nihil certi statui posse videtur.

Quæ judicabat populum. Sine principatu tamen; nam ante bellum id non tulissent Jabin et Sisara; post bellum vero judicis potestate prædìtus fuit Barac. Componebat tamen lites et controversias suorum, et tanquam ad sapientem feminam et prophetidem concurrebant Israelitæ, ipsaque Barac excitavit et postea consilio juvavit; quare non immerito judicasse dicitur a Scriptura.

5. *Sedebat sub palma*. Vel τὸ *sedebat* significat *habitasse*, vel etiam eam sedem suam cum jus diceret sub palma constituisse.

* *Inter Rama et Bethel*. In finibus duarum tribuum, Ephraim scilicet et Benjamin.

In monte Ephraim. In tribu Ephraim, quæ montibus abundabat.

6. *Vocavit Barac*. Fecit hoc Debbora, quia ei divinitus per angelum, de quo cap. 5, num. 23, vel propheticum lumen dux iste monstrabatur.

* *De filiis Nephthali et de filiis Zabulon*. Sunt enim hæ tri-

8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.

9. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedes.

10. Qui, accitis Zabulon et Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo.

11. Haber autem cinæus recesserat quondam a cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi, et tetenderat tabernacula usque ad vallem quæ vocatur Sennim, et erat juxta Cedes. (Num. 10, 29.)

12. Nuntiatumque est Sisaræ quod ascendisset Barac, filius Abinoem, in montem Thabor:

13. Et congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison.

---

bus conterminæ, et monti Thabor vicinæ.

8. *Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.* Fuit hæc in Barac quædam in obediendo cunctatio, quemadmodum in Mose, Exod. 4, ex humana prudentia nimia, quam removere debuisset, divinitus monitus per prophetissam.

9. *In manu mulieris tradetur Sisara.* Quia comitem ad bellum habere feminam, neque absque hac in jussam a Deo viam dare te, vis; feminam quoque laudis ac gloriæ, quæ unum te manebat, sociam et participem habebis. Porro mulierem, quam gloriæ participem habiturus erat Barac, alii Deboram esse volunt, alii Jahelem quæ Sisaræ tempora clavo confixit. Utraque sententia vera; nam utraque gloriæ partem, quæ Baraco debebatur, sibi decerpsit.

10. *. *Zabulon et Nephtali.* Zabulonitis et Nephthalitis.

11. *Haber autem cinæus etc.* De hoc recessu Cinæorum diximus supra cap. 1, num. 16.

Usque ad vallem quæ vocatur Sennim. Hebræa vox et *vallem* et *quercum* significat: itaque LXX vertunt *usque ad quercum.* Fortassis non male jungi potest utraque versio, si dicamus fuisse vallem in qua esset quercetum.

12. *In montem Thabor.* Erat mons Thabor in tribu Zabulon, et ab eo distabat Nazareth Christi Domini patria, itinere circiter duarum horarum versus corum, hoc est, occidentem æstivum. Ad hunc montem venire Barac, et in eo colligere copias voluit Dominus, quia non longe distabat ab Haroseth, ubi morabatur Sisara, ut hic vicino excitatus vel metu vel periculo, statim accurreret, et prælio ac victoriæ locus daretur.

13. *Ad torrentem Cison.* Nascitur torrens Cison ex montibus Thabor, Hermon, et Gelboe, in duasque partes labitur, quarum altera tendit ad occasum, et mari Mediterraneo excipitur, altera vero ad ortum, et in lacum Genesareth influit.

14. Dixitque Debbora ad Barac: Surge; hæc est enim dies in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo.

15. * Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum Barac: in tantum, ut Sisara, de curru desiliens, pedibus fugeret, * Psal. 82, 10.

16. Et Barac persequeretur fugientes currus et exercitum usque ad Haroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet.

17. Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Azor, et domum Haber cinæi.

18. Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, et opertus ab ea pallio,

---

14. *Hæc est enim dies.* Magnum in bellis momentum affert temporis observatio, hæc autem est duplex, aut scilicet ab humana prudentia, aut a religiosa et sancta, cum scilicet a Deo, ut hic accidit, bellandi opportunitas ducitur. Felix sane prælium cui ductor est Deus.

* *In manus tuas.* In manus Barac et Jahelis traditus est Sisara; ab illo debellandus, ab hac occidendus. Non ergo pugnant hæc cum iis quæ dixerat n. 9, *quia in manu mulieris tradetur Sisara.*

15. *Perterruit.* * Hebraica vox significat cum strepitu terrere. Josephus, Lyranus, et Serarius excitatam putant a Deo procellam, cum ingenti fragore tonitruum et fulminum, quibus pugnantes ex curribus etc. territi et in fugam acti.

17. *Ad tentorium Jahel uxoris Haber cinæi.* Cinæorum pars in solitudine Arad secesserat, de quibus dictum est cap. 1, num. 16. Alii vero in tribum Zabulon secesserant, quorum præcipuus fuit Haber. Lege versiculum 11 hujus capitis.

Ad tentorium Jahel. Dicitur tentorium Jahelis potius quam Haber, vel quia tunc Haber domi non erat; vel propter eximiam feminæ hujus virtutem; vel quia olim mos fuit, ut alia essent virorum alia mulierum tabernacula, sicut etiam in amplis domibus gynæceum fit, in quo seorsim a viris mulieres habitant. Sic Jacobi, Liæ et Rachelis diversa indicantur tentoria, Gen. 31, n. 33 et 34.

Erat enim pax etc. * Deo protegente, et tyranno sibi ab hominibus tranquillæ et paccatæ vitæ vacantibus nihil timente, eximia etiam Cinæorum religio et pietas gratiam et reverentiam conciliabat apud barbaros et hostes.

18. *Opertus ab ea pallio.* Culcitra aliqua stragula veste. LXX

19. Dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum.

20. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens: Numquid hic est aliquis? respondebis: Nullus est.

21. Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum; et ingressa abscondite et cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est.

22. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei: Veni, et ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, et clavum infixum in tempore ejus.

23. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel:

---

vocant ἐπιβόλαιον, quæ vox significat vestes quæ superinjiciuntur, et stragulum torale.

19. *Sitio valde.* Cursu nimirum pernici, fuga, sudore ac metu exhaustus. Aquam vero non vinum petit, quia in hujusmodi æstu ac siti, fere solet esse gratior aqua quam vinum, et fortasse sciebat in Cinæorum tabernaculis vinum non esse; quam enim a vino abstinentiam præcepit postea Jonadab ex eadem Cinæorum stirpe, Jerem. 35, 6, eam sibi fere principio Cinæorum præcipuos sponte indixisse verisimillimum est.

Aperuit utrem lactis. Aquam petenti lac tribuit Jahel, ut ostenderet erga hospitem majus benevolentiæ argumentum, utque facilius illum in soporem daret, et quod jam machinabatur perficeret.

21. *Clavum tabernaculi.* Erat iste clavus ex eorum genere qui ad tentorii vela et cilicia erigenda, valideque adversus ventorum vim retinenda, in terram defigi solent altius, ideoque teretes sunt, magni et crassi. LXX verterunt πάσσαλον, quæ vox palum significat. Non satis constat fueritne ferreus hic clavus an ligneus. Josephus tamen *clavum ferreum* dixit.

Abscondite et cum silentio. Hebraica vox significat suspenso pede et sine strepitu.

Supra tempus capitis. Quæ pars capitis mollior et ad recipiendum clavum opportunior.

Et mortuus est. Potuit Jahel citra peccatum Sisaram interficere, quia justum erat bellum contra Jabin; et Jahel erat ejusdem cum Israelitis religionis et fortasse etiam gentis. Porro insidiæ in bello justo non damnantur, et si quod dixit mendacium, officiosum censendum est, ad salutem nimirum gentis suæ ordinatum; ac proinde leve peccatum. Accessit divina inspiratio, qua ad facinus mota est: itaque ejus factum laudat Scriptura.

24. Qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

CAPUT V.

Canticum gratiarum actionis Debboræ et Barac post victoriam.

1. Cecineruntque Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes:

2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

3. Audite, reges; auribus percipite, principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.

4. Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis.

5. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel.

6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt semitæ; et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

7. Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt: donec surgere Debbora, surgeret mater in Israel.

Caput V. 1. *Cecineruntque Debbora et Barac etc.* Carminis hujus epinicii effectrix et poetrix fuisse videtur prophetis Debbora; ejusdem vero jam confecti cantatrix eadem, sed una cum Barac; quod ex eo probabiliter colligitur, quia Debbora Barac præponitur, cum dicitur, *Cecinerunt Debbora et Barac*, et quia pene ab omnibus canticum Debboræ dicitur.

4. *Cum exires de Seir etc.* Quomodo hæc intelligenda sint, vide Deut. 33, 2: vel etiam sensus est, Dominum deducendo populum suum per Idumæorum aliarumque gentium vel terram vel viciniam, magnum illis injecisse metum ac tremorem.

Cœlique ac nubes distillaverunt aquis. Scilicet præ timore sudantes, quasi dicat: Totus orbis tremebat. Vide dicta ad cap. 19 Exod. num. 18.

5. *Montes fluxerunt etc.* Montes commoti sunt et præ horrore velut liquefacti, sicut olim tremefactus mons Sinai, Exod. 19, 18.

6. *In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel.* Propositum erat Debboræ totum illud tempus indicare, quod sub Aod vel post illum fuerat, usque ad victoriam hanc. Id ergo describit a duorum, qui in utroque tum sexu fuerunt præstantissimi, diebus Samgar scilicet et Jahel.

Quieverunt semitæ etc. Discessum est a lege divina, ejusque viæ intermissæ: ideo ea statim secuta est pœna, ut itinera omnia essent latronibus obsita, et qui planis antea tutisque semitis incedebant sine metu, jam occultos ac devios tramites quærere sint coacti.

7. *Cessaverunt fortes in Is-*

8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit: clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.

9. Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.

10. Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini.

11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitiæ Domini et clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum.

12. Surge, surge, Debbora; surge, surge, et loquere canticum; surge, Barac; et apprehende captivos tuos, fili Abinoem.

13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.

14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec; et post eum ex Ben-

---

rael, et quieverunt. Tanta erat fortium penuria, ut impune qualibet vagarentur latrones, iisque obsisteret nemo.

Mater in Israel. Mater dicitur Debbora, quod salutem populo israelitico pepererit.

8. *Nova bella elegit Dominus.* Qui novum cum Israelitarum hostibus pugnandi eosque vincendi modum eligere et adhibere dignatus est

Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel. Quasi dicat: In toto exercitu Israel nec hasta erat nec clypeus. Particula enim *si* accipitur pro *non*. Pauci admodum aut fere nulli arma habebant ex Israelitis; fortasse enim Jabin ea abstulerat, ne novas res molirentur. * Hoc dicitur ut appareat non alii quam Deo victoriam hanc adscribendam.

10. *Qui ascenditis super nitentes asinos.* Moris erat in regionibus illis (quod rursum infra, cap. 10 et 12, videbimus) ut asinis honoratiores veherentur: τὸ *nitentes*, in heb. est *candidos*.

Sedetis in judicio. Qui præestis in judiciis, vel qui commode et ex arte equitatis, asinis nitentibus insidentes.

Ambulatis in via. Chaldæus habet, *erunt ambulantes in via eorum, et narrantes super fortitudines quæ factæ sunt ipsis.*

Loquimini. Benedicite Domino, ut dixerat superiore versiculo.

11. *Ibi narrentur.* Ibi factæ esse narrentur.

Justitiæ Domini. Quas in Chananæos exercuit, * cum de eorum sceleribus vindictam sumsit.

* *Clementia.* Dum eos a malis quibus premebantur clementer eripuit.

Ad portas. Hostiles, eorum civitates occupando. Vel ad portas urbium israeliticarum, asserendo se in libertatem et principatum obtinens: exercensque judicia in portis, ut illo ævo fieri solebat.

13. *Relequiæ populi.* Quem Jabin multis malis attriverat.

14. *Ex Ephraim delevit eos in Amalec.* LXX habent, *Ephraim eradicavit eos in Amalec.* Alii textus habent Εφραὶμ ἐτιμωρήσατο ἄυτοὺς ἐν κοιλάδι, *Ephraim ultus est eos in valle,*

jamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

15. Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

17. Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus; Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur.

18. Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

---

scilicet in valle torrentis Cison. Porro quod noster habet, *in Amalec*, propterea dici putat Serarius, quod ista tribus in Amalecitas irruisset, qui se regi Jabin jungere volebant, sicuti Egloni cap. 3, 13, et hic Chananæi reges, num. 19 sequenti. * Gemina sententia esse videtur: Sisaræ exercitum ab ipso monte Thabor et torrente Cison palabundum fugisse usque ad tribum Ephraim, inde usque ad tribum Benjamin, inde usque ad Amalecitas, ita ut nullibi iis liceret consistere.

De Machir. Laudantur præcipuæ familiæ Manasseorum; Machir enim Manasse filius fuit, Genesis 50, 22.

15. *Qui quasi in præceps ac barathrum etc*. Per metaphoram præcipitis loci ac barathri, magnitudinem periculi, quod sponte subierunt reip. causa, ponit ob oculos.

Diviso contra se Ruben. In partes, diversasque sententias distracto, dum aliqui bello abstinendum, alii in communem Israelis contra hostes expeditionem prodeundum censent.

Magnanimorum reperta est contentio. Principum illius tribus contentio facta est, variæque ac discordes voluntates.

16. *Quare habitas inter duos terminos*. Quare nec in hostes irruis, nec Israelis castris jungeris? * Quare otiosus desides inter septa et caulas ovium tuarum?

Ut audias sibilos gregum. Inter ovium tuarum balatus, nec communem calamitatem amoliri studes.

17. *Galaad trans Jordanem quiescebat*. Tribus quæ sunt ultra Jordanem, quæ terra Galaad dicitur, quasi procul a periculo positæ, quietem agebant, nec rempublicam curabant, privatis commodis intentæ.

Dan vacabat navibus. Negotiationi et mercimoniis.

Aser habitabat in littore maris etc. Rebus suis vacans, negligens laboranti reipublicæ opem ferre.

18. *Zabulon vero etc*. Interim dum alii otiantur, in discrimen venerunt, et vitæ periculum subierunt.

In regione Merome. Merome, seu ut in hebræo est, *excelsorum*

19. Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere prædantes.

20. De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ, manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca, anima mea, robustos.

22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium.

23. Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini: maledicite

---

campo, est mons Thabor, * in cujus vertice est planities viginti sex stadiorum ex Adricomio.

19. *Juxta aquas Mageddo.* Torrentem Cison.

Et tamen nihil tulere prædantes. LXX, *munus argenti non acceperunt.* Alii πλεονεξίαν, *abundantiam*, est tapinosis, adeo non retulerunt prædam, ut ipsi cæsi sint et deleti.

20. *De cœlo dimicatum est contra eos.* Quia, ut narrat Josephus, conflictus hujus tempore procella magna exorta est, aquæ etiam et grandinis multum oculis Chananæorum offusum, ut arma bellica iis usui esse non potuerint.

Stellæ, manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. Pro stellis aliqui intelligunt angelos, quorum militia ordines suos servat, * ideoque de ipsis dicitur: *Manentes in ordine et cursu suo.* Alii ut Cajet. et Delrio lib. 4 disp. cap. 3, quæst. 1, aiunt, sic aerem, cæteraque elementa, et tempus ipsum favisse populo Dei, ut ipsæ quoque stellæ solitæ imbres ciere, censeantur contra Sisaram pro Israele pugnasse. Dicuntur vero stellæ in ordine cursuque suo permansisse, ne putaret quispiam eas aliquid passas, quemadmodum sol et luna passæ sunt, dum illis a Josue statio imperata est, Josue 10, 12.

21. *Torrens Cadumim.* Torrentis Cison duo sunt rami, alter properat ad occidentem et mare Mediterraneum, alter ad orientem et lacum Genesareth. Hanc partem orientalem putat Serarius appellari *Cadumim*; quia *kedem*, sæpe pro oriente sumitur in Scriptura, ut Gen. 2, 8, et alibi. Dicitur vero torrens cadavera traxisse, quia imbribus e cœlo missis, de quibus dixi versiculo superiore, intumuerat.

Robustos. Milites Sisaræ qui armis et viribus suis fidebant.

22. *Ungulæ equorum ceciderunt.* Extritæ, debilitatæ. LXX habent, *impediti sunt calcanei equi.*

23. *Maledicite terræ Meroz.* Loci nomen jam ignoti, cujus nec apud Eusebium, nec apud S. Hier. libro de locis, mentio est. Huic ergo vel urbi vel loco, quod ad sacrum hoc bellum venire noluerit, male precari omnes vult, non sua tantum, sed auctoritate etiam angeli, de quo subdit.

Dixit angelus Domini. Verus

habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

24. Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo.

25. Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum.

26. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans.

27. Inter pedes ejus ruit; defecit, et mortuus est; volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis.

28. Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus; et de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

29. Una sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit:

30. Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur.

31. Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

32. Quievitque terra per quadraginta annos.

CAPUT VI.

Israelitis a Madian oppressis, Gedeon multis signis auxilio designatur; qui post sacrificium et altare Deo erectum, destruxit aram Baal; eique rursum datur signum in vellere.

1. Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis,

---

angelus, et fortasse Michael qui bello huic præfuit tanquam israelitici populi princeps ac præses, Dan. 10, 20.

25. *In phiala principum.* In vase aliquo ornato, quale vel principem deceat.

Butyrum. Lac non ita pridem mulsum, a quo pinguior pars, ex qua butyrum fit, nondum erat separata.

*28. *De cœnaculo.* Cœnacula quæ in superiori ædium parte construi solebant, apta erant ad eminus prospiciendum.

29. *Una sapientior.* Quæ sapere videri voluit.

32. *Quievitque terra.* Vide supra cap. 3, 11.

Caput VI. 1. *In manu Madian.* Madianitæ erant ex Abrahæ

2. Et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca.

3. Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec: cæterique orientalium nationum:

4. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ; nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos.

5. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, et camelorum, quidquid tetigerant devastantes.

6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian.

7. Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.

8. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis,

9. Et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum.

10. Et dixi: Ego Dominus Deus vester: ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam.

11. Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu quæ

---

posteris ex Cetura uxore, sed non per promissionum hæredem Isaac, Gen. 25, 2.

Septem annis. Brevior populi afflictio quam narrata superioribus capitibus; nisi dicamus temporis brevitatem compensatam pœnæ ac servitutis acerbitate; statim enim additur, *et oppressi sunt valde ab eis*.

3. *Amalec*. Amalecitæ erant ex posteris Isaac, sed per Esau, Gen. 36, 12.

Cæterique orientalium nationum. Qui ad orientem terræ sanctæ habitabant.

4. *Usque ad introitum Gazæ*. Quæ est ultima ora regionis illius ad mare Mediterraneum, quod occidentale terræ sanctæ littus alluit.

8. *Virum prophetam*. Cujus nomen non exprimitur. Fuit autem vel quoad vocationem quasi perpetuam, propheta; vel ad breve istud tempus quo populum admonebat: primum videtur verius; quia hujusmodi prophetarum major est auctoritas. Hujus autem prophetæ oratio convenit cum ea quæ supra habetur, capit. 2, versu 1, 2, 3.

11. *Venit autem angelus Domini*. Fortasse ille idem, quem dicebamus cap. superiore, num. 23,

erat in Ephra et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian,

12. Apparuit ei angelus Domini, et ait: Dominus tecum virorum fortissime.

13. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian.

14. Respexitque ad eum Dominus, et ait: * Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian: scito quod miserim te. *1 Reg. 12, 11.

15. Qui respondens ait: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.

---

scilicet Michael israelitici populi præses et defensor.

Sub quercu. LXX, *sub terebintho*.

Quæ erat in Ephra. Duplex Ephra: altera in tribu Benjamin, Josue 18, 23; altera hæc, in Manasse. Nomen a pulvere ductum, quem Hebræi עפר dicunt.

Patrem familiæ Ezri. Caput familiæ Ezri.

Excuteret. LXX habent, *virga excuteret*.

In torculari. In loco torcularis; ubi erat torcular.

Ut fugeret Madian. Ut triticum illud Madianitarum manus effugeret qui non ita facile suspicarentur in torculari esse aliquid prædæ, cum nondum essent vindemiæ. Vel ut ipse cum tritico fugeret.

13. *Si Dominus nobiscum est etc*. Non sunt hæc verba negantis, aut repugnantis, aut de devina bonitate dubitantis, aut expostulantis, sed tantum de orationis ab angelo (quem viatorum sanctumque hominem putabat) veritate et intelligentia ambigentis.

14. *Respexit*. Non oculis tantum corporis quod assumserat, sed multo magis amicæ voluntatis et beneficæ potentiæ.

Dominus. Angelus Domini legatus, ac proinde Dominum referens, licet nondum agnosceretur a Gedeone.

Vade in hac fortitudine tua. Qua præditus es, et qua nunc auctus divino beneficio.

15. *In quo liberabo Israel*. Qualis ego sum, aut quæ in me facultas, ut possim liberare Israelem?

Familia mea infima est in Manasse. Aliarum familiarum comparatione, quæ in eadem tribu opulentiores sunt et florentiores divitiis et numero capitum.

Minimus in domo patris mei. Vel ætate, vel minime omnium iis facultatibus instructus, quæ ad tantum opus necessariæ sunt.

16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: et percuties Madian quasi unum virum.

17. Et ille: Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me.

18. Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit: Ego præstolabor adventum tuum.

19. Ingressus est itaque Gedeon, et coxit hædum, et de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei.

20. Cui dixit angelus Domini: Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam; et jus desuper funde. Cumque fecisset ita,

21. Extendit angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos: ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumsit: angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus.

---

16. *Quasi unum virum*. Ac si non cum exercitu prævalido, sed cum uno tantum homine decertandum esset.

17. *Da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me*. Oculis auribusque percipiebat Gedeon angelum loquentem; petit ergo ut signo aliquo monstret atque confirmet se talem esse, cui divinam opem victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi merito debeat.

18. *Portans sacrificium*. Heb. *portans munus*. Gedeon enim eo tantum animo fuit, ut hospiti cibum apponeret, et hoc consilio azymos panes coxit et hædum mactavit. Vocatur autem *sacrificium* 1°, Phrasi Scripturæ, in qua sacrificare interdum est idem quod simpliciter mactare; sic 1 Reg. 25, 11, ait Nabal: *Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis*: in græco est *sacrificavi* τέθυκα. Matth. etiam 22, 4, dicitur: *Tauri mei, et altilia occisa sunt*: græce τεθυμένα, *sacrificata*. 2°, Quia, quæ Gedeon tulit in cibum, angelus vertit in sacrificium, ut videbimus in sequentibus.

20. *Pone supra petram*. Petram delegit, ut sacrificii hujus esset altare, quod ex rudibus lapidibus confectum erat, Exod. 20, 25.

Jus desuper funde. Jus cum sit aquosæ materiæ, miraculum auget quod versiculo proximo patratum ab angelo narratur. Hæc etiam juris superfusio unctionis illius instar habuit, quo holocausti altare unctum est, Exod. 40, 10 et 11; et illud Jacob Gen. 28, 18. Vel, ut vult Arias, fuit instar libaminis in sacrificiis adhiberi soliti.

* 21. *Summitatem virgæ*. Baculi quem tanquam viator gestabat.

Ascenditque ignis de petra etc. Quo igne in holocaustorum

22. Vidensque Gedeon quod esset angelus Domini, ait: Heu, mi Domine Deus! quia vidi angelum Domini facie ad faciem.

23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.

24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri,

25. Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem; destruesque aram Baal, quæ est patris tui; et nemus quod circa aram est succide:

26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti: tollesque taurum se-

---

morem ea omnia absumta sunt, quæ extemporaneo illi altari erant imposita.

22. *Heu, mi Domine Deus etc.* Ita loquitur Gedeon, quia inter vulgares et idiotas eo tempore vigebat opinio, eum qui angelum vidisset, mox interire. Ita opinandi occasionem sumebant ex eo quod dicitur in Exod. cap. 33, 20: *Non enim videbit me homo, et vivet.* Falsa tamen erat opinio, quia frequenter visi multis angeli narrantur in Scriptura, et semper innoxie.

23. *Dixitque ei Dominus etc.* Trepidanti Gedeoni angelus qui paululum recesserat dixit, ita ut commode exaudire posset: *Pax tecum: ne timeas etc.*

24. *Ædificavit ergo ibi Gedeon altare.* Non est diversum hoc altare ab eo cujus mentio fit num. 26 sequenti. Sæpe enim in Scripturis breviter aliqua res tangitur, quæ postea uberius explicatur et magis diserte. Ita hic breviter attingitur erexisse Gedeonem aram; quo autem modo, potestate ac loco fecerit, subjungitur enucleatius, n. 25, 26, 27.

Vocavitque illud, Domini pax. Usitatum erat erectis hujusmodi aris aut titulis nomina quædam imponere, ut patet Genes. 28, 22; Exod. 17, 15.

Domini pax. Scilicet est, quasi dicat: Est auctor pacis seu salutis, * et pacem salutemque populo suo largietur.

Usque in præsentem diem. Scilicet stat altare illud.

* 25. *Taurum patris tui.* Qui patris tui proprius est, ejusque solius nomine destinatus sacrificio Baal.

* *Alterum taurum.* Publicum, et publico totius urbis nomine in sacrificium ei deo devotum, cujus ope jugum madianiticæ servitutis depelli contingeret.

Annorum septem. Qui ætate tantus sit, quanta erat madianitica servitus, quæ septem annos tenuerat.

Destruesque aram Baal, quæ est patris tui. Joas Gedeonis pater idolorum cultor erat. Gedeonem vero par est credere impietate maculatum non fuisse, a matre fortasse vel avia in vero unius Dei cultu educatum.

Nemus quod est circa aram. Nota veterum consuetudo, qui lucos diis suis sacrare solebant.

cundum, et offeres holocaustum super struem lignorum quæ de nemore succideris.

27. Assumtis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit.

28. Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare quod tunc ædificatum erat.

29. Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia.

30. Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, et succidit nemus.

31. Quibus ille respondit: Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat: si deus est, vindicet se de eo qui suffodit aram ejus.

32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal, eo quod dixisset Joas: Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus.

33. Igitur omnis Madian, et Amalec, et orientales populi congregati sunt simul; et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezrael.

34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se.

35. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum; et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephthali, qui occurrerunt ei.

---

26. *Offeres holocaustum*. Sacrificare sacerdotum erat: jussu tamen Dei Gedeon non sacerdos, extraordinarius sacrificii hujus minister constituitur.

31. *Numquid ultores estis Baal etc.* Quasi dicat: Ne sollicitisitis, sacrilegum non patietur ipse Baal in crastinam usque diem vivere, sed ab eo interficietur quisquis ille est. Magis etiam decet, ut Baal, qui a potentia ac dominatu nomen habet, se ipsum ulciscatur, suasque vindicet injurias.

32. *Vocatus est Gedeon, Jerobaal.* Quod idem est ac *impugnans Baal*, vel *judicans* aut *damnans Baal*.

33. *In valle Jezrael.* Fuit Jezrael Judææ tribus oppidum, Josue 15, 56, prope montem Gelboe, non procul a Jordane.

34. *Spiritus autem Domini.* Vide dicta cap. 3, num. 10.

Domum Abiezer. Familiam Ezri, de qua ipse erat.

35. *Occurrerunt ei.* Heb. *ascenderunt ad occurrendum ei*,

36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es,

37. Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.

38. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit.

39. Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens.

40. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat: et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

CAPUT VII.

Probatis ad aquas his qui ad bellum essent progressuri, Gedeon, audito unius e castris Madianitarum somnio, in eos irruit, tubis, lagenis ac lucernis armatus, quos cum Oreb et Zeb principibus eorum devicit.

1. Igitur Jerobaal, qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad; erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi.

2. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus,

---

conjunxerunt se cum copiis Gedeon.

36. *Si salvum facis etc.* Credebat Deum posse et velle salvum facere Israel, sed duplici signo postulat fidem suam augeri et alacritatem magis incitari.

37. *Vellus.* Lanam ab ovibus tonsam; hoc enim significat heb. גזה *ghizah*, quod a radics גז *guz* derivatur, quod tondere, excidere, succidere significat.

38. *Concham.* Heb. ספל *sephel*, quod concham, phialam, hydriamve significat. LXX habent λεκάνην, *pelvim.*

Caput VII. 1. *Ad fontem qui vocatur Harad.* Adricomius vult fontem hunc esse in australi latere montium Gelboe. In hebræo dicitur, *fontem Charod*, quasi dicas: *fontem terroris, sive pavoris;* sive a terrore Madianitarum quem non longe ab hoc fonte passi sunt, sive a timore formidolosorum qui post aquæ haustum domum remissi sunt, de quibus paulo post.

In valle. Jezrael, de qua superiori cap. num. 33.

Collis excelsi. Pars quædam montis Gelboe.

2. *Multus tecum est populus.* Triginta duo millia pugnatorum

nec tradetur Madian in manus ejus; ne glorietur contra me Israel, et dicat: Meis viribus liberatus sum.

* Deut. 20, 8. 1 Mac. 3, 56. 3. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica: *qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt.

4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos: et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat; quem ire prohibuero, revertatur.

5. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.

6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente

---

habebat in castris Gedeon, ut apparet ex versiculo sequenti. Numerus vero Madianitarum, ut colligitur ex cap. 8, num. 10, erat centum triginta quinque millium; ita ut Israelitarum singu lihaberent plusquam quatuor Madianitas oppositos, cum quibus pugnandum erat.

3. *Qui formidolosus et timidus etc.* Ut ita ante prælia proclamaretur jusserat Dominus, Deut. 20, 8; nisi Dominus monuisset, fortasse lex ista servata non fuisset, vel propter festinationem, vel quia omnes qui ad commune periculum tam cito, tam alacres concurrissent, viros esse fortes minimeque meticulosos credibile videbatur.

Recesseruntque de monte Galaad. Erant Gedeonis castra in monte Gelboe, cujus aliquam partem vel propter similitudinem cum monte Galaad, qui est ultra Jordanem, vel ob aliquam aliam causam nobis ignotam, montem Galaad dictum esse credibile est. Abulensis quæst. 6 in hoc cap. ait, montem Galaad, cujus hic est mentio, montem quemdam parvum esse ad occidentalem partem Jordanis circa urbem Jezrael. Cajetanus putat sermonem esse de monte Galaad, qui est ultra Jordanem, sed eum refert ad homines, hoc modo: Qui formidolosus est, etiam si sit ex tribu Manasse, quæ Gedeonis ipsius est, et ultra Jordanem in Galaad ex parte commoratur, etiamsi sit e monte Galaad, recedat.

Viginti duo millia virorum. Licet enim omnes vel plerique magno accessissent animo, cum tamen venerunt in conspectum hostilium castrorum expaverunt, et factam discedendi potestatem amplexi sunt.

5. *Qui lingua lambuerint aquas.* Qui cava manu aquam hausissent, eamque canum more lambuissent.

Curvatis genibus biberint. Qui corpore prono cernui ad fluentes aquas os applicuissent, more jumentorum cum bibunt.

lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.

7. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.

8. Sumtis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.

9. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, et descende in castra; quia tradidi eos in manu tua:

10. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.

11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et Phara puer ejus in partem castrorum ubi erant armatorum vigiliæ.

12. Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris.

13. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: et in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad taberna-

---

7. *In trecentis viris.* Trecentos hos viros retineri jussit Dominus; quia temperantes viri, et ad sensuum voluptatem minimum inclinati, bellicis laboribus magis idonei, et in periculis animo fortiori esse solent.

* 9. *Tradidi eos in manu tua.* Hoc est, ex iis quæ ibi audies, intelliges me tradidisse.

11. *Corfortabuntur manus tuæ.* Confirmatur a Deo Gedeon, ut auctior ipsius esset fortitudo et fiducia, utque milites erectiores fierent et fidentiores; si enim, cum triginta duo millia essent, tam multi trepidarunt, quid censendum de reliquis trecentis, nisi iis Dominus animos addidisset.

Ipse et Phara. Socium assumsit, quia ita a natura comparatum est, ut in terroribus omnibus magno vel solatio vel auxilio sit aliorum, si non plurium, duorum certe vel etiam unius tantum præsentia.

* Optime quadrat Homeri locus Illiad. 10, ℣ 22, ubi Diomedes castra hostium exploraturus socium expetit, aitque ... Εἴ τίς μοι ἀνὴρ ἅμ' ἕποιτο καὶ ἄλλος, μᾶλλον θαλπωρὴ καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται, *si quis me vir simul sequatur et alius, major spes rei bene gerendæ et audacia erit.*

13. *Ad tabernaculum.* Vel ducis exercitus; vel est synecdo-

culum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit.

14. Respondit is cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri israelitæ; tradidit enim Dominus in manus ejus Madian et omnia castra ejus.

15. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit; et reversus est ad castra Israel, et ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

16. Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum.

17. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, et quod fecero sectamini.

18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate: Domino et Gedeoni.

19. Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ; et

---

che, unius tabernaculi nomine, omnia exercitus tentoria significans.

14. *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis etc.* Bene conjectat; nam Gedeon ex minima familia, et minimus ipse inter suos, bene confertur cum pane hordeaceo, qui est inferioris notæ quam triticeus. Subitaria etiam et properata expeditio, panis illius celeri volutatione commode refertur. Tabernaculi dejectio bene eversionem rei madianiticæ cladenque designat.

15. *Adoravit.* Deum scilicet; gratias agens, precatusque, ut porro omnia bene succederent, ut ostenso omine Dominus ipse pollicebatur.

16. *Dedit tubas in manibus eorum.* Ex aliorum enim discessu tantus quantus nunc sufficeret tubarum numerus supertebat. Has *κερατίνας*, id est *corneas*, vocant LXX.

Lagenasque vacuas. Lagenas fictiles. LXX habent *hydrias*, ut etiam noster interpres hoc cap. num. 20.

Lampades. Faces, quales sunt ex cera, aut quales sunt tædæ ex picea, aut aliis hujusmodi resiniferis arboribus.

18. *Domino et Gedeoni.* Quid hoc significet, colligimus ex num. 20, ubi habemus *gladius Domini et Gedeonis*, et ex chaldæa paraphrasi, quæ est hujusmodi: *Gladius a facie Domini procedit, et victoria per Gedeonis manus est*, id est, Deus Madianitas ulciscitur, Gedeon vero hac in re illius minister est. Jubentur clamare milites, quia editæ vociferationes alacritatem aggredientium ostendunt, animosque hostium percellunt.

19. *Incipientibus vigiliis noctis mediæ.* Noctem in horas duodecim dividebant, cuique vero vigilæ tres horas tribuebant; quare

custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas.

20. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini et Gedeonis:

21. Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt:

22. Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. * Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant, *Psal. 82, 10.

23. Fugientes usque ad Bethsetta (1), et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthali, et Aser, et omni Manasse, persequebantur Madian.

24. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas atque Jordanem usque Bethbera.

25. * Apprehensosque duos viros Madian, Oreb et Zeb, in- *Psal. 82, 12. Isa. 10, 26.

(1) Bethsetta. *In edit. Sixt. legitur* Bethseca.

---

vigiliæ nocturnæ quatuor erant. Mediæ ergo noctis custodia ea est, quæ media nocte incipit, hoc est, tertia vigilia.

Custodibus suscitatis. Non quod custodes dormirent, nam tunc primum excubituri venerant; sed rei novitate perculsos significat.

* 21. *Stantes singuli in loco suo.* Ita factum ut hi lampades tenentes, qui loco non movebantur, crederentur a Madianitis tantummodo aliis pugnantibus facem accendere.

22. *Mutua se cæde truncabant.* Cæcitate ducti, et rabie acti, dum existimant se Israelitas cædere, quos in castris esse putabant.

* 23. *Usque ad Bethsetta etc.* Loca sunt ignota quorum alibi Scriptura non meminit.

Conclamantes autem viri Israel etc. Victoria enim fama percrebuerat; itaque statim tribus Nephthali, Aser, et Manasse, Madianitas persecutæ sunt.

24. *Occupate aquas etc.* Nam Madianitarum reliquiæ in patriam rediture, illac iter habituræ erant.

Bethbera. Arias putat esse eamdem cum Bethabara, quæ domum transitus significat, quæ ad ripam Jordanis erat, ubi fluvius transiri solebat. Serarius putat diversam; nam hæc dicitur *Bethbera*, et significat *domum frumenti*, illa vero *Bethapara*, significatque *domum transitus*, ut dixi.

25. *Oreb et Zeb.* Duces Madianitarum.

terfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.

CAPUT VIII.

Ephraim insurgit adversus Gedeon, qui, devictis Zebee et Samana, viros Soccoth et Phanuel perdidit, et ex inauribus aliisque populi donis fecit ephod, quod domui suæ et Israeli fuit in ruinam; postquam autem quadraginta annis præfuit, generatis septuaginta filiis ex uxoribus et uno ex concubina, mortuus est, rediitque Israel ad idololatriam.

1. Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, et prope vim inferentes.

2. Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer?

3. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb et Zeb: quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.

In petra Oreb. Cui a cæde Oreb nomen factum.

In torculari Zeb. Opinatur Arias *torcular* hic vocari locum aliquem inter vallem depressum, qui torcularis formam aliquam habuerit. Sed nihil vetat et petram et torcular proprie accipi.

Caput VIII. 1. *Quid est hoc quod facere voluisti etc.* Evocarat Gedeon, supra cap. 6, 35, ad belli hujus societatem et auxilium tribus quatuor; omiserat cum alias, tum vero tribum Ephraim. De hoc ista jam queritur et tumultuatur, quasi per contemtum fuisset præterita; aut quod illi invidisset gloriam, quam totam in suam tribum Manasse Gedeon derivare voluisset.

2. *Quid enim tale facere potui, quale vos fecitis.* In hebræo et græco est, *quid feci nunc sicut vos?* qui scilicet Oreb et Zeb Madianitarum principes cepistis.

Nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer. Adagialis locutio. Sensus est: vos, o tribus Ephraim, adeo præstantiores estis tribu Manasse, ut vestra racematio nostram superet vindemiam. Vos, post vindemiam cæsorum Madianitarum, cepistis eorum duces: at facinus hoc pluris est, quam quæ nos ex tribu Manasse (qui in cæteris etiam vobis concedimus) in hoc bello præstitisse videmur.

3. *Requievit spiritus eorum etc.* Ut enim ait sapiens, Prov. 15, 1: *Responsio mollis frangit iram.*

4. Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis viris qui secum erant: et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant.

5. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt; ut possimus persequi Zebee et Salmana, reges Madian.

6. Responderunt principes Soccoth: Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes?

7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.

8. Et inde conscendens, venit in Phanuel: locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth.

9. Dixit itaque et eis: Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc.

10. Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

---

5. *Soccoth*. Quæ vox *tabernacula* significat; quod scilicet Jacob ex Mesopotamia rediens, suique fratris gratiam exquirens, ibi tabernacula fixerit, Gen. 33, 17. Est hæc urbs in tribu Gad.

6. *Forsitan palmæ manuum etc.* Quasi dicerent: Inani spe tibi victoriam polliceris, atque ita loqueris quasi jam ceperis hos reges quos bellum instauraturos putamus, timemusque ne si vobis commeatum suppeditasse resciverint, victoriam adepti in nos sæviant.

7. *Conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.* Spinis ac durioribus sentibus carnes vestras ad mortem usque lacerabo. Meriti sane mortis pœnam, qui fatigatos milites in causa communi exiguo commeatu non modo juvare noluerunt, sed ultro etiam irriserunt, in milites fratres suos, in Gedeonem ducem, in rempublicam ac Deum peccantes.

8. *Venit in Phanuel*. Inde nomen habuit hæc urbs, quod Jacob ibi Dominum viderit, cum eoque luctatus sit, Genes. 32, 30. Phanuel Aquila vertit *faciem Dei;* LXX, *speciem Dei*. Est autem hæc urbs in eadem tribu Gad, contra torrentem Jaboc, in finibus Amorrhæorum.

9. *Destruam turrim hanc.* Quod propterea minatus est Gedeon, quia (ut ait Abulensis quæst. 11) minitanti Gedeoni responderint, se ipsius minas nihil facere; sibi adversus eas turrim illam suam stare.

11. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur, ad orientalem partem Nobe et Jegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant et nihil adversi suspicabantur.

* Osee 10, 14.

12. * Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum.

13. Revertensque de bello ante solis ortum,

14. Apprehendit puerum de viris Soccoth; interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth: et descripsit septuaginta septem viros.

15. Venitque ad Soccoth, et dixit eis: En Zebee et Salmana super quibus exprobrastis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes?

16. Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis atque comminuit viros Soccoth.

17. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis.

18. Dixitque ad Zebee et Salmana: Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis.

19. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ: vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem.

---

11. *Per viam eorum qui in tabernaculis morabantur.* Hi sunt Arabes, qui a tabernaculis *Scenitæ* appellati sunt.

Ad orientalem partem Nobe. Hujus urbis mentio fit, Num. 32, versu ultimo.

Jegbaa. Erat in tribu Gad, ejusque mentio fit, Num. 32, n. 35.

Securi erant et nihil adversi suspicabantur. Quia noctu fuerat commissum prælium, non putabant Madianitæ futurum, ut nullam suis quietem daret Gedeon, præsertim cum amnis esset etiam transmittendus.

14. *Apprehendit puerum de viris Soccoth etc.* Descripsit nomina primariorum civium Soccoth, qui scilicet participes fuerant criminis, ne cum sontibus insontes eodem exitio involveret.

18. *Viri quos occidistis in Thabor.* Cum Hebræi laterent in montibus et speluncis ob Madianitarum incursiones, de quibus supra c. 6, 2, Gedeonis fratres vel germani vel uterini secesserant in Thabor. Hos ergo reges isti in latebra illa Thaboris repertos interemerunt. De his interrogat Gedeon.

Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. Respondent cum laudatione, et tacita quadam adulatione Gedeonis, quod egregia esset forma et dignitate quæ principem deceret.

19. *Non vos occiderem.* Nam alioquin eos occidere non tenebatur illius præcepti vi, quod Num.

20. Dixitque Jether primogenito suo: Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.

21. Dixeruntque Zebee et Salmana: Tu surge, et irrue in nos: quia juxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, * et interfecit Zebee et Salmana: et tulit ornamenta ac bullas quibus colla regalium camelorum decorari solent. * Psal. 82, 12.

22. Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon: Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui; quia liberasti nos de manu Madian.

23. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur vobis Dominus.

24. Dixitque ad eos: Unam petitionem postulo a vobis: Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant.

31, 17 datum fuit. Hoc enim temporarium erat, quod in solum illud tempus valebat, ob vindictam sceleris quod admiserant, Num. 25, cum Israelitas ad scortandum cum puellis Madianitis provocarunt, et subinde ad idololatriam.

20. *Jether*. Quæ vox *præstantem* significat, sive *excellentem*.

Surge, et interfice eos. Volebat Gedeon ab eo reges illos perimi. 1°, Ut injustam patruorum suorum mortem ulcisceretur. 2°, Ut disceret in israelitici populi hostes gladium stringere. 3°, Ut majori cum cruciatu et dedecore mors illis inferretur; nam non nisi multis ictibus pueri manus invalida illos poterat conficere, et magnis viris permolestum est a tantulo puero neci dari. 4°, Ut victoriæ gloriæque suæ filium participem faceret.

* 21. *Quia juxta ætatem robur est hominis*. Quia vires et robur cum ætate crescunt, atque convenit nos a te potius qui virile robur habes interfici, quam ab imbelli puero.

22. *Omnes viri Israel*. Plurimum facit ad Gedeonis gloriam, quod Israel universus in hoc conspiravit, ut principem illum facerent.

Dominare nostri. Regio more.

Tu, et filius tuus, et filius filii tui. Putat Serarius oblatam regiam potestatem in tertium tantum gradum posteritatis. Crediderim tamen, hac phrasi offerri imperium in filios, ac deinceps in nepotes ac posteros, jure successionis perpetuo transmittendum.

23. *Non dominabor vestri etc*. Scilicet ut rex; princeps enim et rex vester est ipse Deus, qui populum hunc quasi peculium et hæreditatem suam gubernat, fovet ac tuetur.

24. *Date mihi inaures*. Aureas scilicet, quales Ismaelitæ appendere solebant auribus, ut hoc versiculo dicitur; nec tamen omnes inaures postulat, sed tantum petit ut unusquisque unam, ex præda quæ illi obtigit, inaurem dare velit; nam in heb. est, *date mihi vir inaurem prædæ vestræ*, id est, quilibet unam det. Eumdem sensum ex-

25. Qui responderunt: Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda:

26. Et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis et monilibus et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum.

27. Fecitque ex eo Gedeon ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra: fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam.

---

hibent LXX. * Mos erat ducibus aliquid eximium dare.

26. *Mille septingenti auri sicli.* Aureus siclus fere æquivalet quatuor nummis aureis nostratibus. Itaque mille et septingenti auri sicli efficiunt aureos nostros sex mille octingentos.

Absque ornamentis et monilibus etc. Non tantum aurum illud datum est, sed etiam hæc insuper addita.

Ornamentis. Vox hebraica שהרנים *saharonim*, ornamenta quædam significat, quæ lunularum figuram habent; quare LXX, μηνίσκους, id est, *lunulas*, vocant: iis ornabantur equi et cameli in suis frænis, oreis, ac phaleris etc.

Monilibus. Heb. נטפות *netiphoth*, quod a verbo נטפ *nataph, stillare*, derivatur, vel a nomine נטפ *nataph*, quod stacten, guttam, balsamum, seu opobalsamum significat: videtur indicari monilia hæc olfactoriola fuisse myrotheeia, pyxidulasve unguentarias, quibus orientales, his deliciis abundantes, delectabantur.

Torques aureas camelorum. Quibus scilicet eorum services et colla ornabant.

27. *Fecitque ex eo Gedeon ephod.* Ephod genus vestis est, quod humeros tegit et pectus ambit, illiusque usus sacer erat, quia semper ad divinum cultum referebatur.

Fornicatusque est omnis Israel in eo. Quod dicitur *in eo*, hebraicus textus habet *post eum*, ut etiam LXX, et sensus est: post mortem Gedeonis Israelitas in idololatriam lapsos. Vel sensus est, *in eo*, id est *ephode*, peccavit Israel, abutendo sacra illa veste (quam confecerat Gedeon ad divinum cultum, si forte aliquando contigisset tabernaculum divino jussu transferri in Ephra, * ad Deum consulendum per pontificem in publicis gravibusque negotiis), permittendo ut idolorum sacrificuli ea uterentur in prophanis eorum ceremoniis circa idola, qua explicatione retenta, adhuc dicendum est, id peccatum post Gedeonis mortem contigisse.

Et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. Licet enim Gedeon non peccaverit sacrum istud instrumentum parando, quia nulla lege in facere vetabatur, tamen ejus domus et cognatio, reliquos Israelitas secuta, peccavit postea; quod Gedeoni dicitur fuisse in ruinam, non quidem in se, sed in propinquis suis, cognatis ac pos-

28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare: sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.

29. Abiit itaque Jerobaal filius Joas, et habitavit in domo sua:

30. Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores.

31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.

32. Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus est in sepulchro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri.

33. Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum:

34. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum;

35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeon juxta omnia bona quæ fecerat Israeli.

---

teris, qui peccato Israelitarum consentientes, in magnas inciderunt ærumnas, ut aliqua ex parte cognoscetur cap. 9 sequenti.

30. *Septuaginta filios.* In iis numerando etiam Abimelech, de quo num. sequenti.

Egressi sunt de femore ejus. Vide dicta Genes. 46, 26.

31. *Concubina autem illius etc.* Uxor secundaria, legitima quoad matrimonii vinculum, sed familiæ Gedeonis gubernationis expers, nec materfamilias. Drumam eam vocat Josephus lib. 5, c. 9.

Quam habebat in Sichem. Habitabat quidem Gedeon in Ephra, ibique domum habebat et uxores suas; verum quia princeps et populi judex erat, frequenter adibat Sichem, ibique hæc illius concubina morabatur.

Nomine Abimelech. Quæ vox vel significat *patrem regem* vel *patrem regis*. Nominis hujus impositione vel spectavit Druma mariti sui dignitatem, quam in filio suo conspici voluit; vel ei nomen esse optavit omen regni, ad quod eum aliquando pervenire cupiebat.

32. *In senectute bona.* Heb. *in canitie bona*, bene senex, præterea *bona senectus* tranquillitatem significat, secundum famam, auctoritatem, conscientiam bonam et divinam amicitiam.

33. *Aversi sunt.* Defecerunt a Domino.

Percusseruntque cum Baal fœdus. Cum Baalberit ut significant hebræa, quæ habent: *Posuerunt sibi Baalberit in Deum.* Vide cap. 9 sequenti, numer. 4.

35. *Nec fecerunt misericordiam.* Misericordia hic accipitur pro omni pene virtute, quæ in alium ad ejus utilitatem, gloriam ac bonum emanat, ut est benevolentia, beneficentia, pietas, gratitudo, justitia etc.

Jerobaal Gedeon. Ponuntur hic simul duo Gedeonis nomina,

Abimelech, occisis septuaginta fratribus suis, imperium sibi tyrannice usurpat: qui post parabolam Joatham fratris ejus qui servatus erat, exercitum Gaal devicit, turrimque Sichem exussit, et a muliere tandem fragmine molæ oppressus est.

1. Abiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ, et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens:

2. Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? simulque considerate quod os vestrum et caro vestra sum.

3. Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est.

4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum.

5. Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum: re-

---

quod expositionis causa factum indicant LXX, qui vertunt, *cum domo Jerobaal, ipse est Gedeon.*

Caput IX. * 1. *Abimelech.* Filius Gedeonis ex concubina, de quo dictum cap. superiori, n. 31.

2. *Viros Sichem.* Viros primarios; hi enim viri in hebræo dicuntur בעלים *bahalim*, id est, Domini.

Dominetur unus vir. Melior monarchia reliquis reip. formis. Hinc argumentem petit Abimelech.

Os vestrum et caro vestra. Propinquus vester.

4. *Septuaginta pondo argenti.* In hebræo, chaldæo et græco tantummodo est, *dederunt ei septuaginta argenti e domo Baalberit,* et videtur subintelligendum talenta, quod vulgatus noster voce *pondo* expressit. Porro talentum tria siclorum millia continebat. Siclus vero unus argenteus, ut alibi diximus, quatuor argenteis regalibus hispanicis æquivalebat.

De fano Baalberit. Berit significat fœdus, pactum, testamentum. Vel ergo dicitur Baalberit. Quod fœderibus præesset, ut apud Græcos ζεὺς ὅρκιος; vel quod suo illi Baal certa aliqua ceremonia se devovissent; vel tandem, quod in eo fano populus Sichem cum Abimelech fœdus pepigisset.* Secunda explicatio est genuina. Vide hoc eodem cap. num. 46.

5. *Septuaginta viros.* Sexaginta octo; nam Joatham evasit, et ipse Abimelech e numero erat septuaginta. Ponitur ergo numerus rotundus, ut fere fieri solet, etiamsi

mansitque Joatham filius Jerobaal minimus, et absconditus est.
6. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universæ familiæ urbis Mello: abieruntque et constituerunt regem Abimelech juxta quercum quæ stabat in Sichem.
7. Quod cum nuntiatum esset Joatham, ivit, et stetit in vertice montis Garizim; elevataque voce, clamavit, et dixit: Audite me, viri Sichem; ita audiat vos Deus.
8. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis.
9. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem

---

unus aut alter desideretur aut supersit. Sic dicimus passim, LXX interpretes, cum tamen fuerint septuaginta duo.

Super lapidem unum. Id factum vult Abulensis, quia Abimelech non hostis, sed judicis personam sustinere voluit videri; atque ita tanquam facinorosos criminis alicujus compertos in loco supplicii mactari jussit. Arias Montanus putat lapidem hunc inani deo Baalberit quasi aram statutum ac dicatum, quia vero Baalis aram confregerat ac disturbarat Gedeon, cap. 6, 27, et super petra araque nova in Baalis contumeliam sacrificium obtulerat, voluisse Abimelech dæmonis illius injuriam ulcisci, populique voluntatem; quia Baali addictus erat, sibi adjungere.

6. *Familiæ urbis Mello.* Est urbs seu oppidum Sichimis proximum: est etiam alius locus eodem nomine appellatus, de quo 2 Reg. 5, 9, et alibi sermo est.

Constituerunt regem Abimelech. Non legitimo jure Abimelech regnavit, sed malis artibus principatum occupavit. Solet tamen inter populi judices censeri, quia facto rempublicam administravit, licet jure ad illius gubernationem non venerit.

Juxta quercum quæ stabat in Sichem. LXX etiam vocant *quercum stationis*, quæ scilicet tanto tempore stetit; asseritur enim fuisse illa eadem sub qua olim Abraham, Jacob et Josue constiterunt, Genes. cap. 12, 7, et cap. 35, 4; et Josue 24, 26; * quod non facile crediderim: vel enim dicitur quercus stationis, quia non ipsa tantum stabat, sed et collocatam olim inibi statuam stantem, de qua Josue loco citato, adhuc habebat. Vide quæ ibi dicta sunt.

7. *In vertice montis Garizim.* Non longe aberat a Sichem mons hic, sicut et alter ei oppositus Hebal; ambo benedictionum execrationumque ceremonia celebres. Deut. 27, et Josue 8.

Ita audiat vos Deus. Id est, si a Deo preces vestras calamitate aliqua aut ærumna pressi admitti cupitis, et me calamitosum secundis auribus audite.

8. *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem.* Apologus: sic Ezechielis cap. 17, 24, lignis traditur scientia.

9. *Quæ respondit etc.* Oliva, ficus et vitis regnum deprecantur, et bono proprio carere se posse

meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear?

10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, et super nos regnum accipe.

11. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear?

12. Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis.

13. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri?

14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, et impera super nos.

15. Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.

---

negant; quod tamen bonum, etiamsi privatæ maneant, aliis prosit, imo plus prosit quam si ad regnum promoveantur.

Qua et dii utuntur et homines. Heb. *honorantur dii et homines.* Oleo honoratur Deus, dum ad sacrificia, Exod. 29, 23; Levit. 2, 6 et 7, et alibi: ad luminaria item sacra, Exod. 25, 6, 28, 35; Num. 4: ad altarium, sacerdotum, et pontificum consecrationem, adhibetur. Homines vero honorantur oleo, quia illud ad regum unctiones adhibetur: quare etiam num. 8, dictum est, *ierunt ligna ut ungerent super se regem.* Alii usus olei inter homines quotidiani sunt, nec illos opus est recensere.

11. *Fructusque suavissimos.* Heb. *reditum optimum*, quo significatur et ficus fertilitas, et lucrum quod ex ficetis existit.

13. *Lætificat Deum et homines.* Deus vino lætificatur, quia in sacrificiis et libaminibus adhibebatur; homines, quia in conviviis et communibus mensis ad potum illo utuntur.

14. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum etc.* D. Hieronymus in Aggæi cap. 2: *Rhamnus*, inquit, *spinosus frutex, et arbuscula sentibus uncinisque contexta, qua teneat quidquid attigerit, et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur.*

Veni, et impera super nos. Cum fructuosarum arborum optimæ principatum non admitterent, ad infructuosarum pessimam et nocentissimam venitur, rhamnum scilicet.

15. *Sub umbra mea requiescite.* Licet rhamni umbra quietem, protectionem, securitatemque polliceri videatur, tamen sub ea latentibus vix caput erigere, brachium porrigere licet, aut corpus commovere, quin sentibus ac spinarum aculeis compungaris, quod tyrannorum ingenium est.

Egrediatur ignis etc. Hoc etiam

16. Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal et cum domo ejus, et reddidistis vicem beneficiis ejus qui pugnavit pro vobis

17. Et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian,

18. Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit;

19. Si ergo recte et absque vitio egistis cum Jerobaal et domo ejus, hodie lætamini (1) in Abimelech, et ille lætetur in vobis:

20. Sin autem perverse, egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello; egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech.

21. Quæ cum dixisset, fugit, et abiit in Bera; habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui.

22. Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis.

23. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem; qui cœperunt eum detestari,

(1) Lætamini. *In edit. Sixt. legitur* lætemini.

---

tyrannicum est, si non fiant omnia promte quæ præcipiuntur, exardescunt, et iram, non in vulgares tantum homines, sed in primores etiam qui per cedros Libani significantur, expromunt.

16. *Nunc igitur, si recte etc.* Est apologi apodosis; circa quam notandum tribus arboribus quæ imperium recusant significari omnes viros bonos qui, si ad regnum israeliticum vocati fuissent, illud non admisissent, quod id contra divinam voluntatem esse non ignorarent. Rhamnus ambitiosos, impios divinique timoris expertes, ac nominatim Abimelech tyrannum notat. Hoc posito, sententia est: si regem eligendo, fratres meos occidendo, patri meo defuncto tanta mala inferendo, bene fecistis, bene sit vobis et regi vestro, lætamini vos cum illo, et vicissim ipse vobiscum. Sin vero male fecistis, ut certe male et pessime fecistis, ipse rex vos perdat et vos illum: mutua vos ira et odio conficiatis; mutuis vos ignibus in cinerem redigatis.

* 21. *In Bera.* Quem locum D. Hieronymus distare ait, octo millibus ab Eleutheropoli ad aquilonem. Hujus loci non est mentio in Scriptura; eum Bonfrerius constituit in tribu Juda.

23. *Spiritum pessimum.* D. August. et alii diabolum interpretantur. Is postea discordiarum malorumque omnium auctor et incentor fuit. Sic Psalm. 77, 49, dicitur: *Misit* Dominus *in eos iram*

24. Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum et in cæteros Sichimorum principes qui eum adjuverant.

25. Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium: et dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque est Abimelech.

26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem,

27. Egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvasque calcantes; et factis cantantium choris, ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech,

28. Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est filius Jerobaal,

---

indignationis suæ:... immissiones per angelos malos. Quod autem dicitur misisse Dominus spiritum hunc, cum S. August. intelligendum est, *permissive*, ut scilicet spiritum malignum ire inter eos volentem permiserit Deus ire, et pacem perturbare etc.

Habitatores Sichem. Plebem intelligit, quæ scelus ab Abimelech patratum, ipsi Abimelech et primoribus Sichem civibus adscribebat, ac propterea eos oderat et aversabatur.

25. *Posueruntque insidias.* Sichimitæ, qui cum Gaal conspiraverant, ut Abimelech everterent.

Dum illius præstolabantur adventum. Scilicet Abimelech.

Agentes prædas de prætereuntibus. Latrocinia in eos potissimum exercentes qui pro Abimelech stabant.

26. *Gaal filius Obed.* Vir cognatione magna, opibus, viribusque potens, popularis et gratiosus: ex qua tribu aut urbe fuerit, non exprimitur in sacro textu.

27. *Vastantes vineas.* In hebræo et apud LXX est, *vindemiantes vineas.* Adventu Gaalis alacres facti Sichimitæ, quod prius facere non audebant, colligendis uvis insistunt, vinum exprimunt, et inter vulgarem vindemiatorum lasciviam Abimelechum carpunt et lacerant dictis.

Ingressi sunt fanum dei sui. Ut eum laudarent, ei de excusso Abimelechi jugo gratias agerent, hostiasque immolarent.

* 28. *Clamante Gaal.* Palam hæc jactante.

Quis est Abimelech. Quam vilis, quam improbus.

Quæ est Sichem, ut serviamus ei. E contrario quæ et quanta est civitas Sichem?

Numquid non est filius Jerobaal. A patris persona vocat Abimelech in invidiam. Gedeonem etiam invidiose Jerobaal vocat, ut patratam ab illo eversionem aræ Baal, cui Sichimitæ erant addicti, revocet in memoriam.

et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei?

29. Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech! Dictumque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, et veni.

30. Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde,

31. Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem.

32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, et latita in agro;

33. Et primo mane, oriente sole, irrue super civitatem: illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris.

34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, et tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis.

35. Egressusque est Gaal filius Obed, et stetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus cum eo, de insidiarum loco.

36. Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis.

Constituit principem Zebul servum suum. Præfectum constituit Zebul clientem suum.

Super viros Emor. Inducitur mentio Emor patris Sichem, ut civitatis hujus antiqua nobilitas libertasque in memoriam revocetur, ex Genes. 34.

* 29. *Dictumque est Abimelech.* A quopiam monitus est, fortasse a Zebul, seu ab eo quem Zebul ablegarat, ut faceret id quod sequitur.

* 31. *Oppugnat.* Munit, armat.

* 32. *Latita in agro.* Quasi in insidiis, et opportunitatem invadendi exspectans.

* 33. *Illo autem egrediente etc.* Supponit non ausurum illum aliter facere, utpote qui sese ita jactarat, et Abimelecho insultarat.

* 34. *In quatuor locis.* Diviso exercitu in quatuor ordines, sub quatuor ducibus.

* 35. *Egressus.* Processit, progressus est: vel domo est egressus.

36. *Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul.* Simulabat Zebul amicitiam cum Gaal, at clam cum illo, ut enim dicitur n. 31, Abimelech monuerat, ut cum suis veniret in Sichem.

Umbras montium vides. Conatur Zebul Gaalem a suspicione adventantis exercitus removere, ne imminenti malo occurreret.

37. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit, et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum.

38. Cui dixit Zebul: Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris? Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nonne hic populus est quem despiciebas? Egredere, et pugna contra eum.

39. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech,

40. Qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit: cecideruntque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis.

41. Et Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal, et socios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari.

42. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech,

43. Tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Vidensque quod egrederetur populus de civitate, surrexit, et irruit in eos

44. Cum cuneo suo, oppugnans et obsidens civitatem; duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur.

45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem; quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret.

---

* 37. *Rursumque Gaal ait.* Nimirum postquam aciem rursum intendisset, et attentius rem considerasset.

De umbilico terræ. Umbilicus terræ vocatur, non ut aliquando id quod est medium, sed quod editius est et fortius, ut sunt montes. Alii putant vocari umbilicum, quod locus esset in terræ illius medio, collisque bonus et ferax.

Per viam quæ respicit quercum. Illam credo quercum intelligit, de qua supra num. 6.

38. *Ubi est nunc os tuum etc.* Jam Zebul larvam deponit, et amarulenta eorum exprobratione, quæ Gaal dixerat n. 28, eum ad manus cum Abimelech conferendas impellit.

40. *In urbem compulit.* Duæ erant in Sichem factiones; altera Zebul, altera Gaal sequebatur: quamvis ergo victus Gaal fususque fuisset ab Abimelech, tamen eum Zebul urbe excludere non potuit, sed cum primum potuit expulit, ut narratur n. 41.

* 41. *In Ruma.* Quæ, ut tradit D. Hieronym. de locis hebraicis, est in finibus Diospoleos, et a plerisque Arimathæa dicitur.

* 42. *Egressus est populus in campum.* Ad redintegrandum bellum.

43. *Quod egrederetur populus de civitate.* Non ut agrestibus vacaret operibus, ut putavit Sabellicus lib. 8 exemplorum, cap. 3., sed ut pugnaret.

45. *Ita ut sal in ea dispergeret.* In perpetuæ detestationis no-

46. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde.

47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos,

48. Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo; et arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite.

49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt; atque ita factum est, ut fumo et igne mille homines necarentur, viri pariter et mulieres, habitatorum turris Sichem.

50. Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu.

51. Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres et omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, et super turris tectum stantes per propugnacula.

52. Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter; et appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur:

53. * Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus. *2 Reg. 11, 21.

54. * Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Eva- *1 Reg. 31, 4. 1 Par. 10, 4.

---

tam ac signum: sal enim, ex quo nullus fructus nascitur, sterilitatem significat.

46. *Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum.* Aliqui putant turrim hanc intra civitatem sitam fuisse. Serarius existimat in loco non admodum dissito, sed non intra urbem; alioqui non diceretur, *quod cum audissent etc.* sed potius, *quod cum viderent.* Putat idem Serarius turrim hanc fuisse Mello, de qua dictum est supra num. 6.

Ingressi sunt fanum dei sui Berith. Ut scilicet loci munitione ac religione se tuerentur.

48. *In montem Selmon.* Mons hic est in eadem tribu Ephraim non procul a turri Sichem, orientem ac Jordanem versus. Densæ ibi arbores, et nix quæ vix tandem liquefiebat. Psal. 67, 16: *Nive dealbabuntur in Selmon.*

50. *Venit ad oppidum Thebes.* Urbs est in tribu Manasse, ut ait Adricomius num. 59.

53. *Fragmen molæ.* LXX indicant fuisse fragmentum superioris molæ; habent enim κλάσμα ἐπιμύλιον. * Similis fere Pyrrho finis, tegula a muliere jacta, quæ caput ejus confregit, ut auctor est Plutarchus in ejus vita. Joab vir bello egregius ex hoc casu Abimelechi documentum dedit regibus ne oppugnationibus interessent, 2 Reg. 11, 21.

gina gladium tuum, et percute me: ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum.

55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel reversi sunt in sedes suas;

56. Et reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.

57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.

CAPUT X.

Thola vita functo, Jair dux succedit; Israelitæ vero in idololatriam lapsi traduntur Philisthæis et Ammonitis; quibus pœnitentibus, Dominus ingratitudinem improperat, tandemque eorum miseretur.

1. Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim;

2. Et judicavit Israelem viginti et tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir.

3. Huic successit Jair Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti et duos annos,

---

54. *Ne forte dicatur quod a femina interfectus sim.* Imo dicitur, et porro semper dicetur: *Quis percussit Abimelech filium Jerobaal?* dicebat Joab, 2 Reg. 11, 21, *nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes?*

Caput X. 1. *Surrexit dux in Israel.* * Solemni populi electione. In hebræo, chaldæo et græco textu dicitur, surrexit ut salvaret Israelem. Salvavit autem abducendo ab idololatria, et a malis liberando, in quæ ob tyrannidem Abimelech populus incurrerat.

Filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar. Gedeon fuit e tribu Manasse; quomodo ergo Phua frater Gedeonis potuit esse de tribu Issachar? *Potuerant*, inquit D. Aug. quæst. 47, *Gedeon et Phua unam habere matrem, ex qua diversis patribus nascerentur, et fratres esssent unius matris filii, non unius patris.*

In Samir montis Ephraim. Urbe in confinio Ephraim, licet ad tribum Issachar pertineret. Additur illud, *montis Ephraim;* est enim alia Samir in tribu Juda, Josue 15, 48.

3. *Jair.* Quod nomen *illuminans* significat; sic ille etiam vocabatur Jairus, Marci 5, 22; et Luc. 8, 41. * Non est hic ille de quo agitur Num. 32, 41, sed alius Secubi filius, cujus mentio 1 Paral. 2, 22.

4. Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth Jair, id est, oppida Jair, usque in præsentem diem, in terra Galaad.

5. Mortuusque est Jair; ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon.

6. Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis Baalim et Astaroth, et diis Syriæ ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philisthiim: dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum.

7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim et filiorum Ammon.

8. Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad;

9. In tantum, ut filii Ammon, Jordane transmisso, vastarent Judam et Benjamin et Ephraim: afflictusque est Israel nimis.

10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi,

Galaadites. Quia ex ea parte tribus Manasse quæ trans Jordanem habitabat. Tota vero illa regio aliquando dicitur terra Galaad in sacris litteris.

4. *Sedentes super triginta pullos asinarum*. Asinis inequitabant eosque habebant in deliciis antiqui Hebræi, vel quia eorum mollissimus est incessus, vel quia (quod D. Hieron. placet) equi Hebræis vetiti erant, quod tamen non est omnino verum, ut docui in Hieropoliticis lib. 3, cap. 13, § 2.

* *Principes*. Præfectos, gubernatores.

* *Ex nomine ejus etc*. Jair filius Manasse, occupatis vicis Galaaditis, eos appellavit *villas Jair*, ut habemus, Num. 32, 41: secundus hic Jair eosdem fortasse muris cinxit, frequentiores reddidit, in oppida erexit; ita ut firmius hæc illis adhæserit nomenclatura, nec primi tantum respectu, sed hujus etiam secundi.

6. *Baalim*. Diis.

Astaroth. Deabus.

Sidonis. Astarthe scilicet: vide 3 Reg. 11, 5 et 33.

Moab. Chamos: vide 3 Reg. 11, 7 et 33; Num. 21, 29; et Jerem. cap. 48, n. 7, 13, 46.

Filiorum Ammon. Scilicet Moloch, 3 Reg. 11, n. 5, 7, 33; Jer. 49; Amos 1, 13. Chamos etiam: vide cap. seq. hujus libri Judic. n. 24.

7. *Philisthiim*. Dagon: vide infra cap. 16, 23; et 1 Reg. 5, 2 et sequentibus.

8. *Afflictique sunt, et vehementer oppressi*. Heb. valde significanter: *Isti confregerunt et conquassarunt Israelitas*.

quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim.

11. Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philisthiim,

12. Sidonii quoque et Amalec et Chanaan oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum?

13. Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos: idcirco non addam ut ultra vos liberem:

14. Ite, et invocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.

15. Dixeruntque filii Israel ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos.

16. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino Deo; qui doluit super miseriis eorum.

17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filii Israel, in Maspha castrametati sunt.

18. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

---

* 13. *Non addam etc.* Intellige, nisi resipueritis.

14. *Ite, et invocate deos quos elegistis.* Non est præceptum, sed ironia vel sarcasmus. Respondisse videtur hæc Dominus, vel per angelum, ut cap. 2, n. 1, vel potius per prophetam aliquem, ut cap. 6, num. 8.

15. *Redde tu nobis.* Non reddas obsecramus, per istos alienigenas nimirum; quia, ut postea dixit David 2 Reg. 24, 14, melius est in Dei quam hominum manus incidere.

Tantum nunc libera nos. Promissio est quædam constantiæ in divino cultu et obsequio, quasi dicant: Perseverabimus deinceps in te colendo: si secus faciamus, non refugimus quo minus nos acerrime punias.

16. *Doluit super miseriis eorum.* Hebr., *angustata est anima ejus in labore Israelis.* Loquitur Scriptura de Deo more humano: sic Genes. cap. 6, 6, dicitur: *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus etc.*

17. *In Maspha.* Maspha significat *speculam*, ideoque pluribus in locis Masphæ inveniuntur. Hæc nostra est in Galaaditide, ut Abulensi videtur et Ariæ qui in tabula terræ Chanaan eam ultra Jordanem collocat, ad littus orientale Phanuelis, de qua supra cap. 8, num. 8.

18. *Qui primus ex nobis etc.* Sententia est: is noster dux sit et populi judex, qui primus ausus

Jephte judex factus, Dei spiritu accensus, primum ratione agit cum rege Ammonitarum; deinde ubi eos vicisset, ob votum temere factum, filiam suam sacrificavit.

1. Fuit illo tempore Jephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad.

2. Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios; qui, postquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.

3. Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob: congregatique sunt ad eum viri inopes, et latrocinantes, et quasi principem sequebantur.

4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel.

---

fuerit contra Ammonitas arma movere. Verum quia periculosum hoc videbatur, et fieri forte poterat, ut qui audax et manu promtus esset, consilio tamen destitutus, nec tanto muneri par esset, mutato consilio, Jephte deligunt, et missa legatione, de qua cap. seq. num. 5, rogant ut dux exercitus et populi judex esse velit.

Caput XI. 1. *Jephte*. Jephte significat *apertitionem* ac *januam*, ut Judææ tribus oppidum Jephtha, Jos. 15, 43.

Galaadites. De tribu Manasse, ut cum Pererio sentit Serarius: sunt tamen qui putent fuisse de tribu Gad: sic Abulensis et Cajetanus.

Filius mulieris meretricis. LXX πόρνην vocant Jephte matrem, cum nostro textu consentientes. Itaque spurius erat Jephte, non ante patris nuptias per simplicem fornicationem natus, sed per adulterium, ut colligitur ex textu num. 2, et colligit Serarius quæst. 1.

2. *Postquam creverant*. Defuncto tamen patre; nam probabile non est facinus quod sequitur ausuros illo superstite.

Ejecerunt Jephte. Non vi manuque privata, sed publica: hoc enim ipsemet significat cum num. 7, missis e communi gentis concilio ad se legatis, ait: *Nonne vos estis qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei?*

Quia de altera matre natus es. Quia nothus es. LXX habent, γυναικὸς ἑταίρας, *mulieris meretricis*.

3. *Habitavit in terra Tob*. Quæ secundum Abulensem, et Joseph. lib. 5, cap. 9, est Galaaditidis pars.

Latrocinantes. Qui soliti erant prius latrocinari, licet duce Jephte jam non latrocinarentur; vel certe in Israelitarum regione latrocinia non exercerent, sed vicinorum infidelium, qui Judæis erant infesti. Adde apud priscos Latinos latronis nomine milites intelligi, ut idem sit latrocinari quod militare. Exempla suppetunt ex Plauto in milite glorioso.

5. Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte de terra Tob:

6. Dixeruntque ad eum: Veni, et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon.

* Gen. 26, 27. 7. Quibus ille respondit: * Nonne vos estis qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi?

8. Dixeruntque principes Galaad ad Jephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad.

9. Jephte quoque dixit eis: Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps?

10. Qui responderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est quod nostra promissa faciemus.

11. Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum

---

* 5. *Quibus*. Ammonitis.

* *Instantibus*. Contra Israelitas pugnantibus.

6. *Esto princeps noster*. Non fuit initio Jephte Israelitarum omnium creatus princeps, sed Galaaditarum tantummodo, ut patet ex cap. 10, num. ultim. et hoc loco, ut etiam num. 8 sequenti. Galaaditæ vero hic vocantur omnes Judæi qui trans Jordanem habitabant.

7. *Et ejecistis de domo patris mei etc*. In quo passus sit injuriam, non constat ex sacro textu. Fieri tamen potuit ut aliqua re donatus a patre Galaad, quam retinere jure posset, spoliatus esset; vel quod ætate adhuc junior sit ejectus, cum necdum ad vitam idonee agendam satis esset instructus; vel quod per calumniam et falsas criminationes domo exturbatus sit.

8. *Ob hanc igitur causam*. Vel quia penuria ducis laboramus; vel quia illatam tibi injuriam compensare studemus.

* *Qui habitant in Galaad*. Fuit initio princeps et judex tribuum trans Jordanem habitantium; postea vero, re bene gesta, totius Israelis.

9. *Ego ero vester princeps*. Constituetisne me principem vestrum, si rem prospere gessero contra Ammonitas? Honesta oratio, et modesta postulatio fuit. Petit enim id tantum quod et ipsi dare poterant et in concilio suo se daturos ante definierant, et nunc quoque ultro ac sponte detulerunt.

10. *Nostra promissa faciemus*. LXX, *secundum verbum tuum sic faciemus*, hoc est, omnino te principem constituemus.

11. *Omnis populus*. Galaaditarum: nec victoriam exspectavit, ut scilicet benevolentiam in Jephte demonstrarent, et ille se plane fidere ostenderent, eumque alacriorem ad bellum redderent. * Ita-

omnis populus principem sui. Locutusque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.

12. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi et tibi est, quia venistis contra me ut vestares terram meam?

13. Quibus ille respondit: * Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Jaboc atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. * Num. 21, 24.

14. Per quos rursum mandavit Jephte, et imperavit eis ut dicerent regi Ammon;

15. Hæc dicit Jephte: Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon:

16. Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare rubrum, et venit in Cades.

17. * Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contemsit. Mansit itaque in Cades, * Num. 20, 14.

18. Et circuivit ex latere terram Edom, et terram Moab: venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon; nec voluit intrare terminos Moab: * Arnon quippe confinium est terræ Moab. * Num. 21, 13.

19. Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum,

---

que dispensatum est in lege Deut. 23, ut quamvis spurius ad jura populi israelitici admitteretur.

Omnes sermones suos. Consilia sua de bello contra Ammonitas, exponendo etiam summam legationis ad se missæ, ut quæ acta essent confirmarentur, et quid porro agendum esset statueretur.

Coram Domino in Maspha. Dicitur *coram Domino*, vel quia testis ac mediator adhibebatur Dominus; vel quia in israeliticorum conventuum medio adesse censebatur Dominus. Deut. 6, 3, et 20, 4.

12. *Misit nuntios etc*. Qui peterent a rege Ammonitarum ut desisteret a bello, quod illius nullam justam causam haberet.

13. *Quia tulit Israel terram meam etc*. Mentitur rex Ammon cum ait, Israelitas partem aliquam regni Ammonitarum occupasse; nam terra illa a finibus Arnon usque ad Jaboc, Amorrhæorum erat cum illam Israel invasit, et antequam esset Amorrhæorum, Moabitarum fuerat, non autem Ammonitarum; quare nullum jus in tractum illum rex Ammon habebat. Vide Deut. 2, 19 et 37.

16. *Quando de Ægypto conscenderunt etc*. Tota hæc narratio perspicua est ex cap. 21 Num. et Deut. 1 et 3.

qui habitabat in Hesebon, et dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium.

20. Qui et ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos; sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, et fortiter resistebat.

21. Traditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius,

22. Et universos fines ejus de Arnon usque Jaboc, et de solitudine usque ad Jordanem.

23. Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel: et tu nunc vis possidere terram ejus?

24. Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem:

* Num. 22, 2. 25. * Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab; aut docere potes quod jurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum,

26. Quando habitavit in Hesebon et viculis ejus, et in Aroer et villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?

---

* 23. *Tu nunc vis possidere etc.* Quasi dicat: Dei fuit hæc victoria, qui Amorrhæum deleri voluit, et nos ejus fines possidere: cur ergo tu nunc vis possidere terram ejus, quam Deus rerum omnium dominus nobis tradidit, et quam jure belli nostram fecimus.

24. *Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus etc.* Sententia est, quemadmodum censetis vos jure possidere quæ vobis tradidit Chamos deus vester, ita nos jure possidemus quæ a Deo nostro tradita nobis sunt. In hebræo est: *Nonne quod hæreditate obtinere te fecit Chamos deus tuus, hoc hæreditate obtinebis?*

Chamos. Aliqui eumdem putant cum Baccho, quia Græcis *κῶμος* est et commessatio et compotatio: alii quia מוש *musc*, removere et depellere significat, Deum malorum aversorem et depulsorem vocatum, ut a Latinis olim *averruncum*, et a Græcis *διὰ ἀποτρόπαιον*: alii tandem, quia eadem radix מוש palpare significat, ita deum illum effictum suspicantur, ut oblatas victimas quasi palpaturus et contrectaturus exprimeretur.

25. *Nisi forte melior es Balac etc.* Quemadmodum Balac Moabitarum rex tractum illum numquam repetiit tanquam ad se pertinentem; ita multo minus tu, tanto post tempore, repetere jure potes aut debes.

26. *Quare tanto tempore nihil*

27. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israel et inter filios Ammon.

28. Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuntios mandaverat.

29. Factus est ergo super Jephte spiritus Domini; et circuiens Galaad, et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon,

30. Votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas,

31. Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.

---

super hac repetitione tentastis. Cum trecentis annis hæc loca tenuerimus pacifice, æquum non est ut tanto post tempore possessionem nostram turbare velitis. Sic postea præscriptionis lex civili jure inducta est, quæ naturali innititur æquitate. Porro quod dicitur, *trecentis annis etc.* ita intelligendum est, ut, sive ab exitu ex Ægypto, sive a devicto Amorrhæo eos computemus, semper intelligamus rotundum numerum poni; alioqui subtilius computanti, aut aliquid deerit aut aliquid redundabit. Emanuel Sa nodum solvit dicendo Scripturam non affirmare trecentos annos illos fuisse, sed eam referre tantum quid dixerit Jephte.

27. *Dominus arbiter hujus diei.* In hebræo est, *judicet Dominus judex diei:* qui scilicet hodie judicat, et rerum omnium arbiter est. Judicat autem Deus, cum sontibus pœnam infligit, facitque per cædes et calamitates, ut omnes intelligant se damnasse eam partem cujus causa erat injusta.

29. *Factus est ergo super Jephte spiritus Domini.* Vide dicta supra cap. 3, num. 10.

Maspha quoque Galaad. Vide dicta supra cap. 10, num. 17.

31. *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ etc.* Sunt qui putent intentionem voventis fuisse rem quæ occurreret consecrare Domino, aut in holocaustum offerre pro conditione scilicet rei quæ occurrisset, ideoque filiam immolatam negant, sed perpetuæ virginitati addictam. Alii censent divino spiritu incitatum, votum concepisse de offerendo in holocaustum eo qui primum sibi occurrisset, nihil in particulari statuens, ut docet mox secuta admiratio et gemitus in occursu filiæ. Votum ergo hoc Jephte in mitiorem partem interpretandum, ut scilicet vel non peccaverit vel non graviter illud concipiendo, cum nec damnetur in Scriptura, et spiritu afflatus in illud erupisse videatur, sitque Deus vitæ ac necis dominus, et votum etiam videatur fuisse causa victoriæ: * ita Serarius et Salianus. Quod si Jephte hac ratione excusari non posse putemus, quod humanis victimis Deus non delecte-

32. Transivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus.

33. Percussitque, ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis: humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel.

34. Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris: non enim habebat alios liberos.

35. Qua visa, scidit vestimenta sua, et ait: Heu me! filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero.

36. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.

37. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.

38. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus.

---

tur; certe poterit excusari quod ignorantia et conscientiæ errore ductus, se voti reum esse crediderit. Itaque aut omnino non peccavit, aut certe non graviter.

33. *Usque dum venias in Mennith.* Quæ est urbs in finibus Ammonitarum, non procul a Rabba versus meridiem.

Usque ad Abel, quæ est vineis consita. Abel planitiem significat: dicitur *vineis consita*, ut ab aliis urbibus ejusdem nominis distinguatur; nam est Abel Meolach, de qua 3 Reg. 4, 12; et Abel quæ Schittim sive Nachal Haschittim dicitur. Vide Joelis ultimo, n. 10.

34. *Filia sua cum tympanis et choris.* Solebant enim puellæ epicinia canere, ut colligitur ex cap. 15 Exod. num. 20; et 1 Reg. 18, 5, et aliis locis.

35. *Decepisti.* Quasi dicat: Magno errore mihi obviam venisti, magnoque meo incommodo. Heb. *depressisti,* seu *humiliasti me.* Vulgati interpretis sententia est: *decepisti,* quia cum ex te gaudium mihi pollicerer, mœroris occasionem nactus sum: *decepta es,* quia cum credideris te patri honorem choris æqualium virginum allaturam, ex meo voto mortis victima facta es.

37. *Plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Plangam scilicet et lamenter sterilitatem, prolisque orbitatem.

38. *Cui ille respondit: Vade.* Tantulam immolationis dilationem recte et absque omni peccato concessit filiæ pater.

39. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbruit in Israel, et consuetudo servata est,

40. Ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, et plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.

CAPUT XII.

Ephrathæi adversus Jephte insurgentes ad vada Jordanis occiduntur, cum vocem Scibboleth proferre non possent; quo vita functo, succedunt duces Abesan, Ahialon, et Abdon.

1. Ecce autem in Ephraim orta est seditio: nam transeuntes contra aquilonem, dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.

2. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, et facere noluistis.

---

39. *Et fecit ei sicut voverat.* Offerendo scilicet eam in holocaustum, quod veteres fere omnes sentiunt, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus, et alii a Serario longo ordine citati, quæst. 16 in hoc caput.

Quæ ignorabat virum. Cui minus molesta fuit mors, quam sobolis orbitas. Tunc enim habebatur maledicta sterilis, Exod. 23, 26; Deut. 7, 14; Sapient. 3, 13; Gen. 30, 1; 1 Reg. 1.

40. *Plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.* Anniversarius hic luctus statutus est 1°, In filiæ Jephte honorem, quia se post concessum bimestre spatium tanta constantia sacrificio stitit. 2°, Ut ostenderetur etiam difficilia quæ vovimus facienda. 3°, Ut incitarentur omnes Israelis filiæ ad Dei cultum, parentum obedientiam, patriæ charitatem. 4°, Ut monerentur in posterum a tristibus hujusmodi votis abstinendum. 5°, Ut ostenderetur charorum memoriam lamentari nefas non esse.

Caput XII. 1. *Orta est seditio.* Seditionis causa prorsus eadem fuit, quæ iisdem tumultus fuerat, supra cap. 8, contra Gedeonem; nimia scilicet gloriæ cupiditas, et rerum bene a Galaaditis gestarum invidia.

Transeuntes contra aquilonem. Jordanem in aquilonari parte transmittentes.

Vocare nos noluisti. Mentiuntur; nam ut patet ex versu sequenti invitati belli participes esse noluerunt.

Incendemus domum tuam. Et te cum ea; nam in hebræo additur *tecum*, vel *super te*, quod etiam habent LXX.

3. Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui ut adversum me consurgatis in prælium?

4. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse.

5. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis; dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? Quo dicente: Non sum;

6. Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat: Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

7. Judicavit itaque Jephte Galaadites Israel sex annis: et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad.

---

3. *Posui animam meam in manibus meis*. Vitam meam mortis periculo exposui. Hebræa phrasis quæ etiam occurrit, 1 Reg. 19, 5, et alibi.

4. *Fugitivus est Galaad de Ephraim*. Quasi dicat: Vilis respectu Ephraim. * Nullius animi aut roboris, quales esse solent qui fugiunt. Vel sensus est: Galaad fugitivus est, id est, apostata et desertor, qui nos olim reliquit manens ultra Jordanem.

Et habitat in medio Ephraim et Manasse. Quasi dicat: Quid superbitis vos Galaaditæ, qui inter fraternas tribus duas, Ephraim scilicet et Manasse, habitatis? Nonne ab utraque tribu concludi et deleri nullo negotio potestis?

6. *Dic ergo Scibboleth*. Non poterant hanc vocem *Scibboleth*, Ephraimitæ pronuntiare per *s* etc, id est, per ש *scin*, sed pronuntiabant tantum per *s*, id est, per ס *samech*, dicentes *Sibboleth*, ex quo agnoscebantur. Hoc passim accidit, ut nationes aliquæ aliquas voces per aliquas litteras afferre non possint, aut ægre possint.

Quod interpretatur Spica. Id additum ab interprete. Alii aquarum decursum, seu alveum interpretantur, et quidem utrumque significat.

7. *Judicavit . . . Israel*. Universum Israel; nam licet initio Galaaditarum tantum princeps esset, postea tamen etiam reliquæ tribus illi paruisse videntur. Ita sentit D. August. quæst. 49.

Mortuus est etc. In beatorum numero recenset Jephtem S. Paulus ad Heb. 11, 32.

* *In civitate sua Galaad*. In Maspha quæ erat in regione galaaditide.

8. Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem:

9. Qui habuit triginta filios, et totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, et ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israel;

10. Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem.

11. Cui successit Ahialon Zabulonites: et judicavit Israel decem annis;

12. Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.

13. Post hunc judicavit Israel Abdon, filius Illel Pharathonites:

14. Qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum: et judicavit Israel octo annis;

15. Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

CAPUT XIII.

Israelitæ rursum in idololatriam lapsi, Philisthæis traduntur; Samson nasciturus ab angelo prædicitur matri, et deinde patri, natusque a Domino benedicitur.

1. Rursumque * filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis. * Sup. 10, 6.

2. Erat autem quidam vir de Saara, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem.

---

8. *Abesan de Bethlehem*. Quæ in tribu Juda, et ita passim sentiunt omnes. Maldonatus tamen in Matth. cap. 2, num. 1, putat hic agi de Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, cujus mentio, Josue 19, 15.

9. *Introducens in domum suam*. Suæ familiæ aggregans, cum nurus illius essent, licet fortasse sub eodem tecto non habitaverint propter multitudinem.

13. *Pharathonites*. Ex urbe Pharathon in tribu Ephraim, ut dicitur num. 15 sequenti.

15. *In monte Amalec*. Quia cum ex parte adhuc incolebant Amalecitæ in orientali tractu Ephraim; unde tandem a Saule, 1 Reg. 15, deleti fuerunt. * Vel certe dicitur mons Amalec, quod illum aliquando Amalecitæ possedissent.

Caput XIII. 2. *De Saraa*. Urbs hæc Josue 15, 33, et 19, 42; Esdræ etiam lib. 2, cap. 11, num. 29, recensetur inter urbes terminales tribuum Juda et Dan, * ad quam etiam tribum pertinuit. Existimant plerique Samsonem non ex ipsamet urbe Saraa, sed ex saraano agro ortum, ut colligi videtur ex cap. 16, num. 31, et ex capite isto 13, num. 25. Nam utroque loco videtur paterna Samsonis

3. Cui apparuit angelus Domini, et dixit ad eam : Sterilis es
* Gen. et absque liberis ; * sed concipies et paries filium :
16, 11. 1 Reg. 4. * Cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum
1, 20. quidquam comedas;
Luc. 1, 5. Quia concipies, et paries filium, cujus non tanget caput
31. * Num. novacula : erit enim nazaræus Dei ab infantia sua et ex matris
6, 3 et 4. utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.
6. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei : Vir Dei
venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem

---

domus ac sepulchrum collocari inter Saraam urbem et Esthaol. * Vide hoc cap. infra numero ultimo, ubi satis indicatur locum habitationis Samsonis appellatum fuisse castra Dan, vide etiam capite 18, 12.

Manue. Virum bonum fuisse Manue, ex his quæ in hac historia dicuntur colligitur; ut ex subito ad Deum cursu et precatione, cum de filii conceptu audiit, infra num. 8 : ex omnibus etiam quæ postea cum angelo locutus est et egit : et ex iis quæ cum Samsone filio illi acciderunt, infra cap. 14.

4. *Cave ergo ne bibas vinum ac siceram.* * Jubet eum nazaræorum agere vitam ad tempus, ac propterea juxta leges nazaræatus vino abstinere ac sicera, hoc est, omni potu inebriandi vim habente; hoc enim sicera significat, quam LXX propterea vocant μέθυσμα.

Nec immundum quidquam comedas. Hoc alioqui vi legis hebraicæ tenebatur facere, sed non est supervacanea monitio : quam multi enim leges violant, quas servare debuissent!

5. *Quia concipies, et paries filium.* Voluit Dominus ut magnæ miræque prolis magna miraque esset conceptio, in utero gestatio et nativitas. Ideo mittitur angelus, nazaræatusque imperatur ceremonia, quam Abulensis quæst. 10, putat matri indictam usque ad pueri ablactationem, ut scilicet Samson futurus nazaræus, nec in utero, nec post partum editus in lucem, lacte nutriretur quod ex vino aut sicera haberet originem. Tandem tamen concludit, certius esse nazaræatum matris ad partum usque tenuisse.

Cujus non tanget caput novacula. Quæ nazaræorum nota erat, Num. cap. 6, 5.

* *Ex matris utero.* Usque ad diem mortis suæ, ut dicitur hoc cap. num. 7.

Incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. Cœpit, sed non perfecit; quia in hostium manibus mortuus est, infra cap. 16, 30; et magis magisque postea liberatio hæc perfecta est, 1 Reg. 7, 13.

6. *Vir Dei venit ad me.* Apparuerat angelus specie humana ac veneranda, quæ gravem, sanctum, propheticumque hominem referret. Prophetæ autem vocantur viri Dei.

Habens vultum angelicum. Formosissimam et elegantissimam faciem.

Terribilis nimis. Reverendus

cum interrogassem, quis esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere:

7. Sed hoc respondit: Ecce concipies et paries filium: cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ.

8. Oravit itaque Manue Dominum, et ait: Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos quid debeamus facere de puero qui nasciturus est.

9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset angelum,

10. Festinavit, et cucurrit ad virum suum: nuntiavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir quem ante videram.

11. Qui surrexit, et secutus est uxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum.

12. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit?

13. Dixitque angelus Domini ad Manue: Ab omnibus quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se:

14. Et quidquid ex vinea nascitur non comedat; vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo; et quod ei præcepi, impleat atque custodiat.

15. Dixitque Manue ad angelum Domini: Obsecro te ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hædum de capris.

16. Cui respondit angelus: Si me cogis, non comedam panes

---

et venerabilis admodum.

8. *Veniat iterum*. In heb. et LXX additur *ad me*.

9. *Apparuit rursum angelus Dei uxori ejus*. Si primo apparuisset Manue, scire non potuisset an esset ille idem qui uxori primo apparuerat: sed cur prima vice uxori potius visus est quam ipsi Manue? Quia cum hanc potius quam Manue sterilitas angeret, pro ea tollenda diutius et ardentius oraverat, ut etiam pro salute populi: *Quia mulier ista viro præstantior, ideo primo ei visio obtigit*, inquit Procop.

* 13. *Abstineat se*. Scilicet uxor: patet ex hebræo textu in quo hæc omnia verba *abstineat*, *comedat*, *bibat*, *vescatur*, *custodiat*, sunt feminini generis.

15. *Faciamus tibi hædum de capris*. Coquamus tibi in cibum hædum parvum ac lactentem, ac propterea adhuc matri adhærentem.

16. *Non comedam panes tuos*. Non enim humanis cibis vescuntur angeli, Tob. 12, 19. Panum vero

tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod angelus Domini esset.

17. Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?

* Gen. 32, 29. 18. Cui ille respondit: * Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?

19. Tulit itaque Manue hædum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipse autem et uxor ejus intuebantur.

20. Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram,

21. Et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Manue angelum Domini esse,

22. Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

23. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset,

---

nomine, cibi generatim significantur ex consuetudine linguæ hebraicæ.

18. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile.* Alii vertunt, *quod est occultum.* Sane τὸ *mirabile* non est nomen angeli, alioqui dicere debuisset *mirabilis*, sed est adjectivum substantivi *nomen,* quod præcesserat. Fortassis angelus hic Michael fuit, quia rem nuntiavit quæ ad populi israelitici commodum et salutem pertinebat, ipseque synagogæ protector erat, ut nunc est ecclesiæ.

19. *Libamenta.* Erant oblationes accessoriæ et secundariæ, cum quibus hostiæ Domino offerebantur, ut simila etc.

Posuit super petram. Quæ extemporarii altaris vicem implevit, quæ etiam propterea altare dicitur num. 20 sequenti.

Offerens Domino. Per angelum; angelus vero proprie et immediate Deo sacrificavit.

20. *Cumque ascenderet flamma.* Quam videtur angelus e petra elicuisse, ut fecerat angelus qui Gedeoni apparuit, supra c. 6, 21.

Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quo facto significare voluit gratissimum esse sacrificium illud Deo, seque illud in cœlum quasi deferre, et seipsum una cum holocausto isto dicare ac quodammodo sacrificare Deo.

Proni ceciderunt in terram. Vel Deum adorantes, ejusque ministrum angelum cultu aliquo afficientes; vel etiam metu perculsi et conturbati.

22. *Morte moriemur etc.* Vide dicta supra cap. 6, num. 22.

23. *Si Dominus etc.* Conjectura mariti timorem lenit, quod probabile non sit Deum illis mortem in-

nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset.

24. Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus.

25. Cœpitque spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol.

CAPUT XIV.

Samson uxorem ducit philisthæam; quam cum viseret, leonem laceravit, in cujus ore postmodum reperto melle, sumsit ab eo parabolam, qua sodalibus proposita, interpretationem per Samsonis uxorem intellexerunt.

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha. Vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim,

2. Ascendit, et nuntiavit patri suo et matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum, quam quæso ut mihi accipiatis uxorem.

3. Cui dixerunt pater et mater sua: Numquid non est mulier

---

ferre velle, quibus adeo faverit, ut holocaustum de manu eorum acceperit, signis exhibitis quod sacrificium illud probaret, addita etiam promissione prolis suscipiendæ.

24. *Vocavit.* Mater scilicet, ut patet ex hebræo textu, in quo verbum hoc est feminini generis.

Samson. Quod nomen Josephus *fortem* interpretatur. S. Hieronym. *solem*, seu *solem ejus.* Alii *parvum solem*, * quæ verior esse videtur hujus nominis etymologia: alii tamen aliter.

Benedixit ei Dominus. Benedictio Domini semper copiam et abundantiam rei alicujus bonæ significat. Benedictus ergo est Samson: et quoad corporis vires, et quoad animi dotes, divinamque gratiam.

25. *Cœpitque spiritus Domini esse cum eo.* Vide dicta cap. 3, num. 10.

Inter Saraa et Esthaol. Vide dicta hoc cap. num. 2.

Caput XIV. 1. *In Thamnatha* Quæ oppidum fuit in tribuum Juda, Dan et Ephraim confinio, versus mare Mediterraneum, in via inter Ptolemaidem et Gazam, cujus mentio Gen. 38, 13; Jos. 15, 10; 2 Paral. 28, 18; 1 Machab. 9, 50.

2. *Quam quæso ut mihi accipiatis uxorem.* Communior sententia Samsonem a peccato liberat; vel quia nolebat uxorem illam ducere, nisi fieret proselyta judaicis sacris susceptis: vel quia divina inspiratione agente, illius nuptias affectabat, quæ ratio solidior est, et significatur in textu, num. 4 sequenti.

3. *Numquid non est mulier etc.* Postulatum Samsonis parentes ejus rejiciunt, quia Deut. cap. 7,

in filiabus fratrum tuorum et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.

4. Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, et quæreret occasionem contra Philisthiim. Eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli.

5. Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus et rugiens, et occurrit ei.

6. Irruit autem spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu: et hoc patri et matri noluit indicare.

7. Descenditque et locutus est mulieri quæ placuerat oculis ejus.

8. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.

9. Quem cum sumsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem; qui et ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumserat.

3; et Exod. 34, 10, lex erat qua vetabantur omnia Israelitarum connubia cum Chananæis.

4. *Quæreret occasionem*. LXX habent, ἐκδίκησιν, *vindictam*.

5. *Cum patre suo et matre, etc.* qui nesciebant quidem initio Dei consilium et voluntatem, postea tamen vel interiore affatu, vel externo aliquo indicio facti illius certiores, filii postulatis annuerunt.

Apparuit catulus leonis etc. Samsoni tantum occurrit leo: quamvis enim iter simul cum parentibus esset ingressus, tamen vel solus præcessit, vel substitit, tuncque leonem obvium habuit, quod textus indicat cum ait, *occurrit ei*, non *eis*, et quæ secuta sunt ostendunt.

6. *Spiritus Domini*. audaciam et fortitudinem augens.

Et hoc patri et matri noluit indicare. viri enim fortes minime sunt jactabundi, nec quæ patrant facinora prædicare solent.

7. *Locutus est mulieri*. LXX in plurali, ἐλάλησαν, *locuti sunt*, Samson scilicet et parentes ejus.

8. *Examen apum in ore leonis erat*. Apes illæ fortasse ex eodem putri leonis cadavere natæ sunt, quemadmodum ex bove nasci certum est: et quamquam apes munditiæ studiosæ sunt, et tetrum odorem refugiunt, tamen cum ex eo ebulliissent, minus mirum si in ejus ore mellificarunt, præsertim si aridum jam erat cranium et carnibus nudatum.

10. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim juvenes facere consueverant.

11. Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo (1).

12. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas:

13. Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones et ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus.

(1) Ut essent cum eo. *In edit. Sixt. legitur* qui essent cum eo.

---

10. *Descendit itaque pater ejus ad mulierem etc.* Cur solus ad sponsam descendisse dicatur pater, putat Arias causam fuisse quod ante convivium paratum, viri sponsarum domos frequentare non solerent. Abulensis putat patrem tanquam præcipuum nominari, sed cum eo etiam Samsonis matrem descendisse.

Sic enim juvenes facere consueverant. Pater convivium instruxerat: hic tamen quasi illius auctor exprimitur Samson, quia illius causa et nomine a patre paratum est.

11. *Dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo.* Hi socii in Scripturis vocantur aliquando *amici*, vel etiam *filii sponsi*, Matth. 9, 15; Marci 2, 19; Joan. 3, 29. Interpres noster hoc cap. num. 20, vocat *pronubos*, quos Josephus dixit νυμφοστόλους et ἑταίρους. Hi ergo socii sponsis jungebantur, ut nuptiarum lætitiam excitarent, illisque adessent honoris causa.

12. *Problema.* Ænigma, gryphum. *Mos vetus virorum excellentium de ingenio inter se certandi propositis ænigmatibus, de quo vide Josephum lib. 1 contra Appionem; et Plutarchum in convivio septem sapientum. Sic et regina Saba venit tentare sapientiam Salomonis in ænigmatibus, 3 Reg. 10, 1.

Intra septem dies convivii. Septem enim diebus, hoc est, hebdomada una nuptiæ celebrabantur, hæc est hebdomas illa dierum qua Liæ nuptiæ celebratæ sunt, Gen. 29, 27.

Triginta sindones. Singulis nimirum unam.

Totidem tunicas. In hebræo est, *mutationes vestium;* sive per hypallagen, *vestes mutationum,* sive *mutatorias.* De vestibus mutatoriis dixi in Œconomicis lib. 2, cap. 17, num. 2, eas esse quas apud se habere solent nobiles viri et elegantioris cultus studiosi, quas subinde mutant cum aliis communioribus, ne sordes contrahant.* Vel etiam vestes mutatoriæ sunt nova vestimenta, quæ cum veteribus usu attritis mutantur.

13. *Propone problema etc.* quasi dicant: Accipimus conditionem, propone ænigma.

14. Dixitque eis: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere.

15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, et suade ei ut indicet tibi quid significet problema. Quod si facere nolueris, incendemus te et domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis?

16. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, et querebatur dicens: Odisti me, et non diligis: idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo et matri nolui dicere: et tibi indicare potero?

17. Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis.

18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: Quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.

19. Irruit itaque in eum spiritus Domini: descenditque Asca-

---

15. *Cumque adesset dies septimus.* Tres dies nodi solutionem quæsierant, quomodo ergo dicitur cum adesset dies septimus? Respondeo, diem septimum hic appellari diem sabbati, ita Liranus, Abulensis, Vatablus, et alii; vel τὸ *adesset*, significat *appropinquaret*, ita idem Abulensis et Arias. Serarius ait hebræa sic verti posse: *et fuit in diebus septem*, seu *intra dies illos septem.* Fortasse tribus diebus solutione quæsita et non inventa desperarunt; sed cum adesset dies septimus, subiit consilium de arcano per Samsonis uxorem cognoscendo.

17. *Septem igitur diebus convivii flebat ante eum.* Omnibus qui post tertium illum nuptialis convivii diem residui erant, quarto scilicet, quinto, sexto et septimo. Sic etiam explicat Lyranus, cum ait: *septem diebus, id est, majore septem dierum parte.* * Dici etiam potest mandatum illi inde a principio septem dierum ut solutionem expiscaretur, idque illam fecisse, sed frigidius ac languidius; post tertium vero diem, ac demum septimo ardentius illis instantibus, et minas intentantibus.

18. *Si non arassetis in vitula mea.* Locutio adagialis. Illi dicuntur aliena vitula arare, qui rebus alienis ad suum commodum utuntur. Vide Serar. hic, et Martin. Delrio, adagial. 162.

19. *Descenditque Ascalonem.* Est urbs Philisthæorum, cujus mentio non infrequens in sacris litteris.

Percussit ibi triginta viros. Videtur in urbe potius ipsa palam et aperte occidisse, quam in agro aut in via more latronum insidiantium: nec diversis vicibus singulos aut pauculos, sed simul omnes; nam roboris adeo magni specimen non fuisset singulos interimere.

lonem, et percussit ibi triginta viros; quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui:

20. Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus et pronubis.

CAPUT XV.

Per vulpium multitudinem Samson Philisthæorum segetes incendit; et fractis funibus quibus ligatus erat, mille Philisthæos asini maxilla prostravit; e cujus dente molari aquæ sitienti fluxerunt.

1. Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens:

2. Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ junior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor.

---

* Non peccavit Samson hac triginta virorum cæde, quia spiritu Domini impellente ab eo patrata, quem Deus judicem populi constituerat, ut Philisthæorum injurias Israelitis illatas ulcisceretur.

Ablatas vestes dedit iis. Sindones et tunicæ propositum fuerat victoribus præmium, sed jam tantum tunicas dedisse videtur Samson, quod etiam clarius habetur ex textu hebraico: *et accepit*, inquit, *Samson spolia*, seu *exuvias, et dedit mutationes iis qui explicarant ænigma*. Resp. per tunicas intelligi etiam sindones per synecdochen; vel certe Samsonem detraxisse iis alterum, quia non suo marte et ingenio ænigma evolverant.

20. *Unum de amicis ejus et pronubis*. Vide dicta hoc cap. num. 11.

Caput XV. 1. *Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare.* Jam Samsonis deferbuerat ira, pristinusque effervescebat amor.

2. *Tradidi illam amico tuo.* Pronubo illi, de quo extremo cap. superiore. Nulla erat soceri Samsonis excusatio, quia licet eo tempore repudium permitteretur, non tamen fas erat uxoribus libellum repudii viris dare, sed e contra. Quamvis autem Samson iratus uxorem reliquerat, adhuc tamen quærendum ab eo fuerat, eamne repudiare vellet, faceretque potestatem ad alias nuptias transeundi.

Sed habet sororem etc. Videbat socer Samsonis se generum suum injuria affecisse, ac propterea sollicite illum placatum sibi reddere studet alterius filiæ nuptiis oblatis.

3. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos; faciam enim vobis mala.

4. Perrexitque, et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio:

5. Quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret.

6. Dixeruntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus.

7. Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam.

8. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram fe-

---

3. *Ab hac die etc.* Non accipit conditionem Samson, cum suam uxorem ei quæ offerebatur posthabere neque vellet, neque posset, Levit. 18, 18: vide ibi notata.

4. *Cepit trecentas vulpes.* Abundat vulpibus Judæa et Palestina, ut colligitur ex illo Cantic. 2, 15, *capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas;* et Thren. 5, 18, *propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Nec solus cepit Samson, sed in iis capiendis aliorum fortasse opera usus est, et Dominus etiam in ejus casses vulpium multitudinem impulit, ut quod mente agitabat, posset efficere.

Caudasque earum junxit ad caudas. Binas et binas simul emittebat; itaque fuerunt paria centum quinquaginta.

Et faces ligavit in medio. Ad caudas, seu in medio funium qui e caudis propendebant, ac trahebantur longius, faces alligabantur. Faces sive tædæ aut titiones ex lignis fortasse resiniferis fuerunt, quæ in vulpium cursu ardere, ignemque tueri possent.

5. *Quas igne succendens.* Postquam scilicet alligaverat.

Dimisit. Non omnes simul, nec ex eodem loco.

6. *Dixeruntque Philisthiim etc.* Quia dicitur generatim Philisthiim hæc interrogasse, et pro nomine proprio soceri Samsonis Tamnathæus dicitur; videtur incendium late fusum, et non tantum Thamnatham, sed alias etiam circumjectas regiones populatum esse.

* 7. *Expetam ultionem.* Ex quo patet Samsonem privatarum injuriarum specie publicas fuisse persecutum.

8. *Ita ut stupentes suram femori imponerent.* Solent enim homines meditabundi et lassi suram unius cruris alteri femori su-

mori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam.

9. Igitur ascendentes Philisthiim in terram Juda, castrametati sunt in loco qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus.

10. Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt: Ut ligemus Samson venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est.

11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.

12. Ligare, inquiunt, te venimus, et tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson: Jurate, ait, et spondete mihi quod non occidatis me.

13. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum tradennus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam.

14. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini in eum: et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta.

---

dentes imponere, qui habitus est præ mœrore stupentium. Plures hujus loci ex hebræo versiones et explicationes vide apud Serar. hic quæst. 10, et apud Martin. Delrio, adag. 164.

In spelunca petræ Etam. Etam vel nomen est loci, vel viri, cujus mentio est 1 Paral. 4, 32, a quo petra illa sic dicta sit. Eam aliqui collocant in tribu Simeon ad torrentem Sorec: alii, ut Josephus, in tribu Juda. Sed hæ sententiæ fortasse non discordant; nam ex cap. 19 Josue constat tribum Simeonis in Judææ tribus partem admissam fuisse. Vide ibi dicta.

* 11. *Quare hoc facere voluisti.* Ut scilicet Philisthæos in nos exasperares.

* *Sicut fecerunt etc.* Id est, illatas mihi injurias vindicavi.

13. *Ligaveruntque eum duobus novis funibus.* Vox hebraica עבות hanoth, non qualescumque funes significat, sed bene complicatos, quos italice dicimus *fune rinforzata.* LXX appellant *κα-λώδια*, *rudentes*, qui sunt nautici funes valde crassi.

* 14. *Vociferantes.* Festivo clamore, ob rem prospere gestam.

Irruit Spiritus Domini in eum. Vires illius augens, et eum excitans ut funibus disruptis in Philisthæos insiliret.

Ad odorem ignis. Quæ loquendi formula statim lina illa flam-

15. Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros,

16. Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos, et percussi mille viros.

17. Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius Ramatlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ.

18. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.

19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem.

20. Judicavitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis.

---

mam concipere significat, et igne solvi. Sic non absimili loquendi schemate dicimus cibum aliquem facilis esse coctionis, ut satis sit si semel ignem aspiciat.

15. *Mandibulam asini.* Satis proceri sunt asini in Palæstina: itaque non incommode mandibula hæc in teli usum converti potuit; mirum tamen tam multos illa percuti et occidi potuisse.

16. *In maxilla asini etc.* Canticum hoc fuit sive illius particula aut exordium; hæc enim cantando dixisse Samsonem patet ex num. 17 sequenti.

17. *Elevatio maxillæ.* Sic dictus locus, vel quod e terra in Philisthæos maxillam elevasset eos percussurus; vel quod illis jam stratis, eam elevarit Deo pro accepto beneficio gratias acturus.

18. *En siti morior etc.* Ex vehementi motu, calore, sudore nasci potuit sitis: Josephus, et illum secutus S. Ambr. epist. 76, causam sitis faciunt divinam ultionem, quod edita illa strage superbiisset Samson, et plusquam par erat sibi irrogasset: * quod minus probabile videtur, cum hoc eodem versiculo victoriam referat in Deum.

* 19. *Egressæ sunt ex eo aquæ.* Fluebant e terra aquæ, sed per loculamentum seu mortariolum dentis moralis.

Nomen loci illius. Totus locus dictus est, *elevatio maxillæ*, num. 17; peculiaris, in quo eruperant aquæ ex dente illo molari, *fons invocantis de maxilla*, est appellatus.

Usque in præsentem diem. Quo scilicet hæc libri auctor scribebat.

Samson, observantibus eum custodibus, portas Gazæ urbis in montem detulit: a Dalila autem cui sæpius illuserat, cognita causa fortitudinis, detonsus, excæcatur ab hostibus, quos tandem una secum interemit.

1. Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.

2. Quod cum audissent Philisthiim, et percrebruisset apud eos intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent.

3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: et inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis qui respicit Hebron.

4. Post hæc amavit mulierem quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila.

5. Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et disce ab illo in quo habeat tantam fortitudi-

---

Caput XVI. 1. *Gazam*. Urbs est ad mare Mediterraneum ampla, munita, portuosa et celebris. Venit Gazam, vel negotii alicujus gratia, vel ut panegyrim aliquam spectaret, ut conjectat Serarius. Josephus venisse ait ex Philisthæorum contemtu, viribus suis confidentem. Abulensis ex juvenili petulantia, et amore formosarum mulierum philisthæarum.

Ingressusque est ad eam. S. Aug. serm. 107 de tempore, negat cum meretrice illa concubuisse, sed phrasis Scripturæ passim occurrens concubitum significat, ut Gen. 16, 2: *Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios;* et 2 Reg. 3, 8, et alibi. Ergo a culpa Samson excusari non potest.

3. *Ad verticem montis qui respicit Hebron*. Montem hunc Gaza distare septem miliaribus germanicis, affirmat Serar. quæst. 3.

4. *In valle Sorec*. Quæ dicitur etiam *vallis botri;* sunt enim ibi vites multæ ac generosæ. Itaque Isaiæ 5, 2, dicitur: *plantavit eam* (vineam scilicet) *Sorec*, ut est in hebræo, quod vulgatus vertit, *electam*.

Dalila. Gente philisthæa, uxor Samsonis, ut aliqui graves auctores sentiunt; sed juxta alios conditione meretrix, quæ opinio verior videtur, et graves patronos et assertores habet: דלל *Dalal*, Hebræis attenuari, arescere, pauperem esse, significat. Hinc nomen Dalilæ meretricis huic apposite convenit, quæ debilitavit ac infirmavit Samsonis robur, cor et opera.

5. *Principes Philisthinorum*. Philisthæorum gens ac ditio in

nem, et quo modo eum superare valeamus, et vinctum affligere; quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos.

6. Locuta est ergo Dalila ad Samson : Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas?

7. Cui respondit Samson : Si septem nerviceis funibus necdum siccis et adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ut cæteri homines.

8. Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat : quibus vinxit eum,

9. Latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei exspectantibus; clamavitque ad eum : Philisthiim super te, Samson! Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus.

10. Dixitque ad eum Dalila : Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas.

11. Cui ille respondit : Si ligatus fuero novis funibus qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero et aliorum hominum similis.

12. Quibus rursum Dalila vinxit eum, et clamavit : Philisthiim super te, Samson! in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.

13. Dixitque Dalila rursum ad eum, Usquequo decipis me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit

---

quinque satrapias seu principatus distributa erat, quibus singulis a præcipua urbe sua nomen, Gaza, Geth, Accaron, Azotus, Ascalon. Hi ergo quinque principes ad Dalilam venerunt.

Singuli mille et centum argenteos. Existimat Arias mille singularum provinciarum nomine oblatos argenteos siclos; à principibus vero adjectos suo ipsorum nomine centum alios, auctarii et honorarii causa.

7. *Nerviceis funibus.* Qui ex nervis bubulis, vaccinis etc. in funes contortis et plexis fiunt.

9. *De stupæ tortum putamine.* *Putamen*, ut ait Nonius, *est omne quod non a nucibus modo, sed ab aliis etiam excutitur ac projicitur.* Significatur ergo filum vilissimum, minimeque compactum ac firmum.

Cum odorem ignis acceperit. Vide dicta supra cap. 15, num. 14.

10. *Ligari debeas.* Ligari possis.

12. *Quasi fila telarum.* Quasi filum tenue quo tela contexitur. LXX habent σπαρτίον, quasi dicant : *Filulum.*

Samson : Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum : Philisthijm super te, Samson ! Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus et licio.

15. Dixitque ad eum Dalila : Quo modo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum ? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua.

16. Cumque molesta esset ei, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est.

17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ : si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut cæteri homines.

18. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum ac mandavit : Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumta pecunia quam promiserant.

19. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo

---

13. *Septem crines capitis mei.* Paulatim ad caput venit Samson *lapsuro propior,* ait S. Ambros. epist. 70. Crines septem hic vocantur septem omnium totius capitis crinium discrimina, seu flocci, tricæ et cincinni. Italice dicimus *le treccie.*

Cum licio. Licitatorio ligno, seu textorio jugo.

* 15. *Cum animus tuus non sit mecum.* Cum facto ostendas te me non amare ex animo.

16. *Defecit anima ejus etc.* In hebræo est *imminuta,* vel *incisa est anima ejus ad moriendum.* * Quia nimirum nec tutum putaret rei veritatem ei aperire, nec amplius ejus preces importunas ferre posset. Itaque fatigatus, supra modum in hac lucta tristis factus est.

17. *Aperiens veritatem rei.* In hebræo et græco est, *omne cor suum.* * A Deo ita permissum in libidinis ejus ultionem.

Si rasum fuerit caput meum. Erat enim in Samsonis capillo robur, tanquam in signo gratiæ hujus gratis datæ, seu in simbolo mutui cujusdam fœderis inter ipsum et Deum ; ut scilicet Samson nazaræus esset, et prolixa coma nazaræatum profiteretur : Deus vero ei adesset et vires daret ingentes, quæ tamdiu permanerent, quamdiu coma illa permansisset intonsa.

19. *Dormire eum fecit etc.* Propinata fortassis soporifera aliqua potione, quæ rationis sensum auferret ; quod etiam in aliis expe-

reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus; et cœpit abigere eum, et a se repellere; statim enim ab eo fortitudo discessit:

20. Dixitque: Philisthiim super te, Samson! Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, et me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus.

21. Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt.

22. Jamque capilli ejus renasci cœperant,

23. Et principes Philisthinorum convenerunt in unum ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur, dicentes: Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.

24. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit Deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos.

---

rimentis a Dalila captis, factum fuisse probabile est.

Septem crines ejus. Septem illos crinium cincinnos, de quibus dictum num. 13, totum scilicet caput, abrasis capillis omnibus.

* *Abigere eum, et a se repellere.* Ut eum a somno excitaret, illud fortasse pronuntiando: *Philisthiim super te, Samson!*

20. *Nesciens quod recessisset ab eo Dominus.* Quoad gratiæ gratis datæ effectum, robur scilicet ac fortitudinem.

21. *Molere fecerunt.* Molam versare trusatilem ac manuariam. * Oculorum tamen lumen prius ademerunt, ne vertigo labori obstaret; qua de causa et servis lac versantibus et vas in quo lac erat circumcursantibus, ademtos oculos narrat Herodotus in Melpomene.

22. *Jamque capilli ejus renasci cœperant.* In hebræo est, *et cœpit capillus capitis ejus germinare sicut cum tondebatur,* vel *sicut cum tonsus est.* Per aliquot ergo menses, tres nimirum aut quatuor, fuit in carcere; neque enim citius ita renasci potuerunt capilli, ut diffusioris et prolixioris nazaræorum comæ speciem præ se ferrent. Porro interim dum carcere clauderetur Samson, oculis orbatus, pœnitentia culpas suas eluit, ut passim tradunt interpretes.

23. *Dagon deo suo.* Putant aliqui dictum esse deum hunc a דגן *dagan.* Quod frumentum significat; quare illum Eusebius lib. 1 Evang. præparationis, appellat Δία ἀρότριον, *Jovem aratrium,* sive *aratorium.* Alii deducunt a דג *dag,* quæ vox piscem significat, quod piscis forma effingeretur, * quæ vera est hujus vocis originatio.

Tradidit Deus noster etc. Ex quo patet sacrificium et epulum

25. Lætantesque per convivia, sumtis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos: feceruntque eum stare inter duas columnas.

26. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam.

27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson.

28. At ille invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.

29. Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera et alteram læva tenens,

30. Ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Concussisque

---

eucharisticum fuisse pro Samsone capto.

25. *Ante eos luderet.* Arias putat saltasse eum ridicule et turpiter. Lyranus ait, eum cæcorum more illic impegisse in parietes et columnas, interdumque cecidisse, sicque risum excitasse. Serarius putat Philisthæos Samsonem ludum suum fecisse, eum variis modis vexando et percutiendo, quod indicant LXX, qui licet dicant, ut in vulgata nostra, *ludebat ante eos*, addunt tamen, καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτὸν, *colaphis cædebant, alapas ei dabant.*

26. *Columnas quibus omnis imminet domus.* Ipsum scilicet Dagonis templum. Solebant enim idololatræ illi in ipsis templis epulas instruere. Sic in fano dei Berith inter epulas et pocula maledicebant Abimelech Sichimitæ, supra cap. 9, num. 27.

27. *De tecto et solario circiter tria millia.* Amplum admodum oportet fuisse templum hoc, e cujus tecto tria spectatorum millia ludum Samsonis spectare potuerunt, quanto plures caperet reliqua tecti planities, ex qua in inferiorem aream prospectus non erat? Quot in inferioribus contignationibus, quot in subjecta area erant Philisthæi? Porro tecta in Palæstina plana erant, ut in illis commode consistere et ambulare liceret. Vide dicta lib. Josue cap. 2, num. 4.

30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Non peccavit Samson se communi illi ruinæ exponendo, sibique modo illo mortem consciscendo; peculiari enim Dei afflatu ut ita faceret excitatus est. Nec Samson directe, primario, ac per se, suam ipsius mortem spectavit, sed hostium suorum et populi israelitici: itaque mortem suam indirecte tantum voluit, qua ratione eum excusant Cajetan. Abulensis quæst. 54; Serar. quæst. 31, et alii.

fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et cæteram multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.

31. Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulchro patris sui Manue. Judicavitque Israel viginti annis.

CAPUT XVII.

Mater Michæ conflavit ipsa de servato argento idolum; cui ille primo filium suum, deinde levitem bethlehemitem præfecit sacerdotem.

1. Fuit eo tempore (1) vir quidam de monte Ephraim nomine Michas,

2. Qui dixit matri suæ: Mille et centum argenteos quos separaveras tibi, et super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino.

3. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi

(1) Fuit eo tempore. *In edit. Sixt. legitur* fuitque eo tempore.

---

31. *Fratres ejus.* * Et fratres proprie dicti, et ejus cognati et propinqui.

Caput XVII. * 1. *Eo tempore.* Vide infra hoc cap. num. 6.

De monte Ephraim. Mons dicitur pro montosa regione, seu pro parte illa tribus Ephraim quæ montibus pluribus constabat. Adricomius in Ephraim num. 39, montana hæc novem millia passuum circiter tenuisse affirmat.

2. *Qui dixit matri suæ.* Nullus hic mulieris hujus maritus proditur; itaque vidua fuisse videtur, et etiam anus, quippe quæ ex filio nepotes habuit, quorum unus sacerdos domesticus constitui potuit.

Mille et centum argenteos. Siclos scilicet, qui fere quingentos efficiunt coronatos, ut notat Salianus.

Quos separaveras tibi. Seposueras, vel in usum incertum si quis casus incideret; vel certum et definitum, idolorum scilicet fabricam.

Me audiente juraveras. Illos numini addicens, addita jurisjurandi religione.

Ecce ego habeo. Apud me depositi sunt. Tu quid ex illis fieri velis statue.

Benedictus filius meus Domino. Propterea filio benedicit, quod pecuniam repræsentet fideliter: quod vero dicitur in vulgata *Domino*, in hebræo est *Jehovah*, quæ vox licet sit veri Dei nomen, ea tamen superstitiosa mulier abutebatur ad falsos deos honorandos, quibus erat addicta.

et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile: et nunc trado illud tibi.

4. Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

5. Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, et fecit ephod, et theraphim, id est, vestem sacerdotalem, et idola: implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.

6. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus: eratque ipse levites, et habitabat ibi.

---

3. *Faciat sculptile atque conflatile.* Duplex idolum, alterum sculptum ex marmore, ex argento alterum arte fusoria.

Et nunc trado illud tibi. Volunt aliqui esse verba filii restituentis matri nummos, quia sequitur: *reddidit igitur eos matri suæ.* Alii malunt esse verba matris, ut sensus sit: Trado tibi, dono tibi, retine, si eos haberem jam tibi redderem; vel eos tamen tibi reddam, et sic LXX, qui habent ἀποδώσω, *restituam.*

4. *Quæ tulit ducentos argenteos.* Reliqua pecuniæ summa in ædicula construenda, ephod, reliquoque idoli sacro instrumento videtur insumta.

5. *Ephod.* Vide dicta supra cap. 8, num. 27.

Theraphim. Idola: LXX vocem hebraicam modo vertunt εἴδωλα, idola: modo γλυπτὰ, *sculptilia.* * Rabbini passim explicant teraphim esse imagines futura prænuntiantes.

Implevitque unius filiorum suorum manum. Implere manum, est sacerdotio initiare: Implentur autem vel oleo quo consecrantur; vel victima aut re oblata, quam dum manu apprehendebant Deoque offerebant, sacerdotes fiebant.

Factus est ei sacerdos. Ut superstitiosus erat iste cultus et idololatricus, sic sacerdos male et non legitime promotus.

6. *In diebus illis non erat rex in Israel etc.* Hæc accidisse putat Scrarius, quæst. 14 in hoc caput, post Samsonis mortem, antequam Heli ad reipublicæ gubernationem esset admotus. Salianus vero hæc refert in tempus quod Josue mortem consecutum est: quæ opinio est etiam Lyrani, Abulensis, Masii et Riberæ, quos citat Serarius loco indicato.

Unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quod propterea dicitur, ut intelligatur mirum non fuisse, si anarchiæ tempore inventi sint qui talia impune auderent.

7. *Alter adolescens.* Dicitur *alter,* propter adolescentem Michæ filium sacerdotem, cujus paulo ante facta est mentio, num. scilicet 5. Is vero de quo hic agitur, non hoc tantum loco, sed etiam cap. sequenti, num. 3 et 15, ado-

8. Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Michæ,

9. Interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit: Levita sum de Bethlehem Juda, et vado ut habitem ubi potuero, et utile mihi esse perspexero.

10. Dixitque Michas: Mane apud me, et esto mihi parens ac sacerdos: daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, et quæ ad victum sunt necessaria.

11. Acquievit, et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis.

12. Implevitque Michas manum ejus, et habuit puerum sacerdotem apud se:

13. Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti levitici generis sacerdotem.

---

lescens dicitur, et a LXX, hoc quidem loco, νεανίας, sequenti vero νεανίσκος, quæ voces juvenem significant. Videtur fuisse cælebs, quia cum de stipendio ipsius agitur, num 10, ejus tantum sustentationis ac vestitus mentio fit, non autem uxoris aut filiorum. Postea vero apud Danitas uxorem duxit; filiosque procreavit, cap. 18, n. 30.

De Bethlehem Juda, ex cognatione ejus. In hebræo est, *de Bethlehem, de cognatione*, seu *familia Juda*. De ea nimirum Bethlehem, quæ est in cognatione, familia, seu tribu Juda. Alia enim Bethlehem est in tribu Zabulon, Josue 19, 15.

Eratque ipse levites. Immo Mosis ipsius nepos, quippe filius Gersan filii Mosis, ut patet ex cap. 18 sequenti, num. 30; nomenque illi erat Jonathan.

8. *Peregrinari voluit.* Pauper erat, quia cum Levitis nulli essent agri, et populi pietas ac religio in Deum refrixisset, pauci etiam erant reditus quibus sustentarentur Levitæ, qui alioqui vigente pietate non sufficientes tantum erant, sed abundantes. Ingenio levi et inconstanti, et quod deterius est, a suorum pietate ac religione degenerans levites hic fuit.

10. *Esto mihi parens ac sacerdos.* Levita isto senior erat Michas, eum tamen parentem vocat honoris causa: sic religiosi sacerdotes *patres* appellantur.

Decem argenteos. Siclos nimirum. Non semel dixi siclum unum argenteum quatuor argenteis regalibus hispanicis æquivalere.

Vestem duplicem. Quarum altera hiemali tempori, altera æstivo conveniens sit, vel quarum altera domi utaris, altera cum domo est prodeundum, præsertim diebus festivis; ac proinde elegantior et pretiosior.

13. *Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus etc.* Contrarium potius timendum, peccata sua si saperet reputanti; nam erat idololatra: sacerdotem filium nullo jure, imo contra leges constitue-

Missis primum exploratoribus, secuti postea sunt sexcenti viri de tribu Dan, quærentes sibi possessionem, et ablato Michæ idolo cum sacerdote, urbem Lais vi capientes inhabitaverunt.

1. In diebus illis non erat rex in Israel, et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea: usque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat.

2. Miserunt ergo filii Dan stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et Esthaol, ut explorarent terram, et diligenter inspicerent: dixeruntque eis: Ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michæ, requieverunt ibi:

3. Et agnoscentes vocem adolescentis levitæ, utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti?

4. Qui respondit eis: Hæc et hæc præstitit mihi Michas, et me mercede conduxit ut sim ei sacerdos.

5. Rogaverunt autem eum ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum.

6. Qui respondit eis: Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis.

7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque po-

---

rat: levitam invitaverat ut sibi esset sacerdos, quod fas non erat, cum non esset de filiis Aaron, sed Mosis: tandem levitam hunc ad idola colenda dato pretio traduxerat, quæ omnia gravissima erant crimina, et quæ divinam vindictam provocarent.

Caput XVIII. 1. *Non erat rex in Israel.* Vide dicta cap. superiori, nnm. 6.

Sortem non acceperat. Hoc est, non satis amplam, tantæque multitudini capiendæ parem * obtinuerunt, nondum plane ejectis Chananæis, qui terras sortis illorum occupabant. Vel certe non existimabant Danitæ eam satis amplam et idoneam esse.

2. *De Saraa et Esthaol.* Vide dicta cap. 13, num. 2.

* *Ut explorarent terram.* Num qua sedes, veteribus colonis expulsis, commoda sese offerret.

3. *Agnoscentes vocem adolescentis.* Peregrinitatem quamdam in pronuntiatione adolescentis agnoscentes: fit enim passim, ut intra eamdem provinciam, quæ eadem lingua utitur, diversa tamen sit vicinarum etiam civitatum pronuntiatio.

6. *Ite in pace: Dominus respicit viam vestram etc.* Vel idolum locutum est, aut alia ratione dæmonis arte respondit; vel levita, quod illis gratum sciebat, ut illis gratificaretur, locutus est.

7. *Venerunt Lais.* Urbs est

pulum habitantem in ea absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum.

8. Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et quid egissent sciscitantibus responderunt:

9. Surgite, ascendamus ad eos; vidimus enim terram valde opulentam et uberem: nolite negligere, nolite cessare; eamus, et possideamus eam, nullus erit labor.

10. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam; tradetque nobis Dominus locum in quo nullius rei est penuria eorum quæ gignuntur in terra.

11. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa et Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis:

12. Ascendentesque manserunt in Cariathiarim Judæ; qui locus ex eo tempore castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim.

13. Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ,

14. Dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit ephod, et theraphim, et sculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat.

15. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum ado-

---

septentrionem versus, in extrema promissæ terræ parte ad Libanum montem, quæ etiam appellata est *Lesem*, Josue 19, 47; et *Dan*, postquam a Danitis occupata fuit, hic num. 29; et Josue loco citato.

Juxta consuetudinem Sidoniorum. Vel quia hi Sidoniorum moribus ac institutis utebantur; vel quia illis erant alta pace ac securitate similes.

Nullo ei penitus resistente. Hebraice est, *et non erat pudefaciens verbo in terra*, id est, non erat, qui illa de re pudorem ruboremve ullum injiceret, solo etiam verbo; adeo erat nemo qui ei obsisteret. Sunt tamen qui ad magistratus ignaviam morumque licentiam id referant, quasi diceretur: Nullus erat magistratus qui peccantes castigare, aut objurgando pudefacere, sicque pravis moribus resistere auderet aut vellet.

14. *Fratribus suis*. Reliquis Danitis commilitonibus et contribulibus suis.

* *Videte quid vobis placeat*. Considerate quid vobis faciendum sit, an expediat tentare, hæc omnia etiam vi tollere et nobiscum auferre, an vero expediat nihil tentari.

* 15 *Cum paululum declinas-*

lescentis levitæ, qui erat in domo Michæ: salutaveruntque eum verbis pacificis.

16. Sexcenti autem viri, ita ut erant armati, stabant ante ostium:

17. At illi qui ingressi fuerant domum juvenis, sculptile, et ephod, et theraphim, atque conflatile, tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul exspectantibus.

18. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis?

19. Cui responderunt: Tace, et pone digitum super os tuum: venique nobiscum, ut habeamus te patrem ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israel?

20. Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod, et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis.

21. Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos ac jumenta, et omne quod erat pretiosum,

22. Et jam a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt,

23. Et post tergum clamare cœperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas?

24. Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem, et omnia quæ habeo; et dicitis: Quid tibi est?

25. Dixeruntque ei filii Dan: Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas.

26. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reversus est in domum suam.

27. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quæ supra diximus; veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt,

---

sent. Scilicet a via, jam capto consilio, ut in domum venirent.

* *Domum adolescentis levitæ.* Partem domus in qua habitabat levita.

* 17 *Stabat ante ostium.* Sed mox in domum reversus reperit quinque viros idola et apparatum sacram convasantes.

19. *Quid tibi melius est etc.* argumentis ab lucro et dignitate majore petitis persuadent.

24. *Omnia quæ habeo.* Heb. *et quid mihi adhuc*, vel *ultra*. Videtur cætera præ idolis suis contemnere.

28. Nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob: quam rursum exstruentes habitaverunt in ea,

29. Vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur.

30. Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam filii Moysi ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ.

31. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex (1) in Israel.

CAPUT XIX.

Cum levita suam uxorem a parentum domo reduceret, ipsa a Gabaonitis qui tribus erant Benjamin prodigiosa libidine exstincta, et a marito in duodecim partes corpore secto, ad singulas tribus singulæ portiones missæ sunt.

1. Fuit quidam vir levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda;

2. Quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus.

(1) Non erat rex. *In edit. Sixt. legitur* nec erat rex.

---

28. *Procul habitarent a Sidone.* Cui fortasse Lais subdita erat.

In regione Rohob. Quæ erat pars Syriæ Trachonitidis, ut patet ex lib. 2 Reg. cap. 10, n. 6 et 8.

29. *Juxta vocabulum patris sui.* Erant enim Danitæ omnes et filii Dan.

30. *Usque ad diem captivitatis suæ.* Hoc aliqui explicant de captivitate Israelitarum sub Salmanasar, cujus mentio 4 Reg. 17: ita Lyranus. Alii de captivitate arcæ, cum capta est a Philisthæis, magna edita Israelitarum strage, 1 Reg. 4. Alii putant sermonem esse de peculiari quadam captivitate urbis Dan, quæ alibi scripta non sit. Serarius quæst. 7, secundæ explicationi subscribit, quam etiam plures alii secuti sunt: * Bonfrerius vero primæ.

31. *Omni tempore quo fuit domus Dei in Silo.* Quousque scilicet capta est a Philisthæis, ut dicebamus num. præcedenti.

Caput. XIX. 1. *Montis Ephraim.* Vide dicta cap. 17, n. 1.

2. *Quæ reliquit eum.* Abulensis quæst. 5, putat significari eam matrimonii fidem fallendo maritum reliquisse. Lyranus aut ejectam a marito flagitii compertam, aut ip-

3. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, et secum reducere, habens in comitatu puerum et duos asinos: quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus,

4. Et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter.

5. Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit: Quem tenuit socer, et ait ad eum: Gusta prius pauxillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris.

6. Sederuntque simul, ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæso te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur.

7. At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere.

8. Mane autem facto, parabat levites iter. Cui socer rursum: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumtis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul.

---

sam cum adultero, marito interim totius rei ignaro, profugisse. Arias non censet mœchatam, sed discessisse ut suo viveret arbitratu. Josephus ait eam a viro ob pulchritudinem eximiam adamatam adeo, ut in eam semper esset intentus, vicissim vero illam parum virum suum dilexisse; inde ortas utrimque suspiciones et offensiones, quæ discessui causam dederunt. Serarius putat illam alteri nubere voluisse marito offensam: adulterium commisisse, non facile concedendum existimat.

3. *Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei.* In hebræo est, *ivit post eam ut loqueretur ad cor illius*, quæ dicendi formula blande alloqui significat, aut blandiri, ut noster vertit interpres. Si mulieris adulterium intercessisset, eaque alteri viro nupsisset, juxta Deut. legem cap. 24, 3, 4, non fuisset fas levitæ iterum illam revocare, sive vivus esset posterior maritus sive mortuus.

Suscepit eum etc. Bene ac sapienter fecit levitæ uxor, quæ offensionum oblita, marito suo reconciliata est. Aliæ arrogantes et iracundæ, quo se quæri magis et ad reconciliationem invitari vident, eo difficiliores et asperiores sunt.

5. *De nocte consurgens.* Primo scilicet diluculo, quod *manicare* Scriptura dicit aliquando, Lucæ 21, 38.

7. *Obnixe eum socer tenuit.* Heb. et græce est, *coegit eum*, ἐβιάσατο αὐτὸν. Pulchrum humanitatis amicæque hospitalitatis exemplum, quale discipulorum euntium in Emaus, qui *coegerunt eum*, ut dicitur Lucæ 24, 29, Christum scilicet.

8. *Donec increscat dies.* Heb. *inclinet dies*, se scilicet æstus frangat, et ad iter paulo sit aura commodior.

9. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer: Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris ut vadas in domum tuam.

10. Noluit gener acquiescere sermonibus ejus; sed statim perrexit, et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, et concubinam.

11. Jamque erant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem; dixitque puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum, et maneamus in ea.

12. Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa:

13. Et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama.

14. Transierunt ergo Jebus, et cœptum carpebant iter: occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin;

15. Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere voluit hospitio.

16. Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem regionis illius erant filii Jemini.

17. Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis: et dixit ad eum. Unde venis? et quo vadis?

---

* 10. *Contra Jebus.* Scilicet Jerusalem, quæ sic appellata est a Jebusæis habitatoribus; et prius Salem dicebatur, Melchisedech ibi regnante.

12. *Gabaa.* Gabaa urbs in tribu Benjamin, ut dicitur num. 14 sequenti. Sunt tamen qui duplicem in Benjamin Gabaam constituant, unam montanam, campestrem aliam; nam sequenti cap. 20 num. 31, in hebræo dicitur, *Gabaa in agro*, ut scilicet distinguatur a montana quæ illi propinqua est, ad quam divertisse levitam sentit Serarius quæst. 6.

* 13. *Rama.* Urbs est priori vicina in eadem tribu Benjamin.

* 16. *Peregrinus.* Quia scilicet non habitabat inter contribules suos Ephraimitas, sed inter Benjamitas.

Erant filii Jemini. Filii Benjamin; qui enim dictus fuit *Benjamin*, Genes. 35, 18, idem quandoque vocatur *Jemini*, ut supra cap. 3, 15; et 1 Reg. 9, 1, et alibi sæpe.

18. Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere.

19. Habentes paleas et fœnum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus, et pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio.

20. Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneas.

21. Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.

22. Illis epulantibus, et, post laborem itineris, cibo et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial (id est, absque jugo), et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: * Educ virum qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. * Gen. 19, 5.

23. Egressusque est ad eos senex, et ait: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia:

24. Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam;

---

18. *Domum Dei.* Silo enim, ubi tabernaculum et arca, in tribu Ephraim erat, quo pergebant. LXX habent, *domum meam.* Chald. *domum sanctuarii Dei.*

21. *Postquam laverunt pedes suos etc.* Sunt mores hospitalitatis, quales in Abraham et Lot quondam fuerunt, Gen. 18, 4, et 19, 2.

22. *Filii Belial.* Id est, ut interpretatur noster, *absque jugo.* LXX vocant *υἱοὶ παρανόμων*, *filii transgressorum legum*, hoc est, transgressores et legis jugum excutientes. Alibi vocantur iidem *filii diaboli*, aut *diabolici*, 3 Reg. 21, 13; *apostatæ*, Prov. 6, 12.

23. *Cessate ab hac stultitia.* Ab hoc scelere, ab hoc flagitio; quemadmodum in sacris litteris stultum frequenter peccatorem significat, ita stultitia ipsum peccatum.

24. *Habeo filiam virginem etc.* Non peccasse senem et levitam, dum uxorem et filiam illorum obtulere cupiditati, communis est opinio: in modo tamen et causa istius rei explicanda discordiæ aliquid est. Expeditissima videtur ratio eos a culpa eximendi, si dicamus excusari ignorantia quæ in sene illo viro agricola, ut apparet ex num. 16 hujus capitis, est valde probabilis, ut etiam fortasse in juvene isto levita. Alioqui enim nullo jure poterat filiam et hospitam, de quibus Gabaitæ non cogitabant, illorum libidini exponere, etiamsi id eo faceret consilio, ut majus pec-

educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.

Osee 9, 9. 25. Nolebant acquiescere sermonibus illius: quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane.

26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus ubi manebat dominus suus, et ibi corruit.

27. Mane facto, surrexit homo, et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam: et ecce concubina ejus jacebat ante ostium, sparsis in limine manibus.

28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge, et ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam.

29. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel.

---

catum vitaretur. Adde fieri potuisse, ut utrique notum esset simile Loti factum, ex quo erroris occasionem acceperint. Vide Lessium de justitia et jure, lib. 2, cap. 13, dub. 3, num. 19; et Sanchez de matrimonio lib. 7, disp. 11, a num. 14 et deinceps, et potissimum num. 24 et 28.

Ut humilietis eas. Humiliare aliquam, phrasi hebraica est rem cum illa habere, exemplum habes Deut. 21, 14, et alibi.

26. *Recedentibus tenebris.* In hebræo est, *ad respicere mane*, id est, cum appareret matutinum tempus.

Ubi manebat dominus suus. Mos vetus, ut scilicet uxores, maritos dominos appellent, quem non obscure laudat S. Petrus, 1 epist. cap. 3, num. 6: *Sara, inquit, obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.*

Et ibi corruit. Duplicem mortis causam affert Josephus, unam summum eorum quæ passa esset dolorem, alteram summum pudorem atque verecundiam, ob quam in viri sui conspectum venire non auderet. In sacro textu ea causa maxime innuitur, quod labore et vexatione nocturna fatigata, deficientibus jam viribus, collapsa sit et exstincta.

29. *In duodecim partes etc.* Ut scilicet unicuique tribui pars mitteretur, spectaculumque illud acrius animos ad vindictam incitaret. Arias putat frusta illa sublimi aliquo loco statuta, ut ab omnibus cunspici possent, ad eum modum quo corpora eorum qui sententiam sunt passi, ad terrorem loco edito suspenduntur, aut illorum partes. Aliqui putant ad tribum Benjamin corporis illius sectionem missam non fuisse, quod scilicet ea tribus nocens esset. Sed nihil vetat quominus mitti potuerit,

30. Quod cum vidissent singuli, conclamabant: Nunquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus: ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

CAPUT XX.

Ob hoc scelus pugnantes reliquæ tribus adversus Benjamin, semel atque iterum bello inferiores, tertioque committentes jussu Domini prælium, tribum illam, præter sexcentos qui in solitudinem fugerant, penitus deleverunt.

1. Egressi itaque sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Bersabee, et terra Galaad, ad Dominum in Maspha:

2. Omnesque anguli populorum et cunctæ tribus Israel in ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum.

3. (Nec latuit filios Benjamin quod ascendissent filii Israel in Maspha.) Interrogatusque levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset,

---

quia viri tantum Gabaa scelus admiserant, non tribus universa.

Caput XX. 1. *Quasi vir unus. Eadem* scilicet *mente, unoque consilio*, ut dicitur num. 11.

De Dan usque Bersabee. Quæ duæ civitates sunt extremi terræ sanctæ termini, a septentrione et a meridie per ejus longitudinem.

Terra Galaad. Tribus scilicet quæ ultra Jordanem erant.

Ad Dominum in Maspha. Masphæ plures, ut dixi supra cap. 10, num. 17. Putat Masius in cap. 18 Josue, per Maspham intelligi posse Silo, quæ erat sita in edito loco, cum Maspha speculam significet. Alii putant Maspham, cujus hic sermo, eam esse quæ in tribu erat Benjamin, quæ non longe aberat a Silo, et ex qua fortasse ipsum tabernaculum quod erat in Silo, conspici poterat; itaque illic congregati Israelitæ, coram Domino esse censebantur. * Vel certe censebantur esse coram Domino, quia olim *locus orationis erat in Maspha*, ut dicitur 1 Machab. 3, 46. Porro in Maspha frequenter comitia habita legimus, 1 Reg. 7, 5, et 10, 17; Jerem. 40, 8. 41, 3; 1 Mac. 3, 46.

2. *Anguli populorum*. Principes populi, quia nimirum principes angulorum, id est tribuum, aut angularium lapidum idstar, populum continere ac sustentare solent.

In ecclesiam. Congregationem, convocationem, comitia.

3. *Interrogatusque levita*. Id enim ad certiorem rei cognitionem

4. Respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti:

5. Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes; denique mortua est.

6. Quam arreptam in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ, quia nunquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in Israel.

7. Adestis omnes, filii Israel; decernite quid facere debeatis.

8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum;

9. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus:

10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei, pro scelere, quod meretur.

11. Convenitque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem mente, unoque consilio:

12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est?

13. Tradite homines de Gabaa qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum;

14. Sed ex cunctis urbibus, quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent.

15. Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa,

16. Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra

---

justioremque sententiam valebat plurimum.

10. *Decem viri eligantur etc.* E qualibet Israelitarum congregatorum decade unus eligitur, id est, quadraginta millia e quadringentis millibus.

12. *Miserunt nuntios.* Nam in privatis publicisque negotiis, antequam tribunalia summa adeantur, aut arma expediantur, omnis tentanda satisfactionis pacisque moderata et placida ratio.

16. *Fortissimi.* Robustissimi corpore.

Ita sinistra ut dextra prœliantes. Ambidextri, læva in præliis non secus quam dextra præliantes. Vide supra cap. 3, n. 15.

Ut capillum quoque possent percutere. Hyperbolica locutio, si præsertim de omnibus Gabaen-

prælantes, et sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis (1) deferretur.

17. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam.

18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester.

19. Statimque filii Israel surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa:

20. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt.

21. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.

22. Rursum filii Israel et fortitudine et numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt;

(1) Ictus lapidis. *In edit. Sixt. legitur* jactus lapidis.

---

sibus accipiatur.

* 17. *Quadringenta millia.* At in censu habito in deserto, Num. cap. 1, 2 et 26, sexcenta pugnatorum millia reperta sunt. Responderi potest, aut contractum postea fuisse militandi tempus, aut certe in bellis post mortem Josue cum vicinis nationibus gestis, plurimos desideratos fuisse, propterea quod ulciscente Deo Israelitarum peccata, ac præsertim idololatriam, sæpe infeliciter pugnatum esset.

18. *Consulueruntque Deum.* Per pontificem Phinees, qui tunc aderat in Silo, ut habetur infra num. 28.

Judas sit dux vester. Non vir aliquis, qui Judas diceretur, sed tribus ipsa Juda, ut sensus sit: ipsa tribus Judæ bellum inchoet contra Benjamitas. Vide in simili, quæ diximus supra cap. 1, n. 2.

21. *Occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.* Mirum videtur in tali causa Israelitas tanta clade affectos, sed 1°, Etiam viri innocentes magnis malis divinæ providentiæ consilio atteruntur. 2°, Fit nonnunquam ut nobis videamur justi ac innocentes, cum tamen non simus. 3°, Aliquando etiam aliquid recte suscipitur, quod postea non bene et ad Dei legis normam administratur. 4°, Sæpe in hostibus boni est aliquid, quod temporanea aliqua felicitate Deus velit munerari. 5°, Israelitarum aliqui idololatriæ crimine erant infecti. 6°, Sibi viribusque suis nimium confidebant, quod expresse dicitur in sacro textu num. 22, aliaque ejusmodi peccabant; quare prius illos Dominus per geminam illam cladem expiare voluit, ut ad Dominum reversi,

23. Ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum, et dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, et inite certamen.

24. Cumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad prælium processissent,

25. Eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa; et occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent.

26. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino; jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta atque pacificas victimas,

27. Et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei,

28. Et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros; an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras.

29. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa;

30. Et tertia vice, sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum produxerunt.

31. Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros:

---

ultionem Domini contra Benjamitas exercerent.

23. *Ascendite ad eos, et inite certamen*. Nulla hic victoriæ promissio, ut infra num. 28, cum illis dictum est: *Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras*.

26. *Sedentes flebant coram Domino*. Sessio habitus est flentium. Sic in sacris litteris opponuntur sessio et resurrectio, Psal. 138, 2; et Thren. 3, 63; et de lugente Jerusalem ait Jer. Thren. 1, 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo etc*. Significatur etiam illa voce *sedentes*, diu admodum illos coram Domino permansisse.

Holocausta atque pacificas victimas. Ut Domini pacem exposcerent, et sese illi totos darent et submitterent.

28. *Præpositus domus*. Summus sacerdos, pontifex.

* 31. *Et altera in Gabaa*. Licet Israelitæ fugientes et Benjami-

32. Putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent.

33. Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, retenderunt aciem in loco qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt,

34. Et ab occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin: et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus.

35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium.

36. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant.

37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii.

38. Signum autem dederant filii Israel his quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, ignem accenderent; ut, ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent.

39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi

---

tæ eos persequentes a Gabaa recederent, non tamen male dicitur semita ducere in Gabaa.

* 33. *Omnes itaque filii Israel.* Major exercitus pars; nam copiæ trifariam erant divisæ: pars una in insidiis latuit; pars altera decem millibus constans ad urbem propius accessit, ut Benjamitas provocaret ad pugnam et foras proliceret; pars tertia in Baalthamar aciem instruxit.

Baalthamar. Chald. *in planitiebus Jericho.*

34. *Ab occidentali urbis parte.* LXX habent, *a Maraagabe,* quæ sunt duæ voces hebraice coagmentatæ, quæ significant, *ab arundineto Gabaa,* vel *ab occidente Gabaa*, quod vulgatus noster secutus est.

* *Habitatores.* Quicumque Benjamitæ erant in urbe.

* 36. *Filii autem Benjamin.* Ea Benjamitarum pars, quæ in majorem Israelitarum partem inciderat. Italice diceremus, *il grosso dell' esercito.*

* 38. *Signum autem dederant.* Constituerant.

* *Ignem accenderent.* Urbis excitato incendio.

* 39. *In ipso certamine positi.*

(putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris),

40. Et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere; Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammas in sublime ferri:

41. Qui prius simulaverant fugam, versa facie, fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt,

42. Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus. Sed et hi, qui urbem succenderant, occurrerunt eis.

43. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa.

44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores.

45. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem, et pergebant ad petram cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia.

46. Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promtissimi.

47. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor.

Ii qui simulata fuga Benjamitas longius abstraxerant.

43. *Nec erat ulla requies morientium.* LXX habent, *a Nua juxta pedem ejus etc.* Sed vox hebraica נוחה et certum locum significare potest, ut putaverunt LXX; et requiem, ut illam vulgatus interpretatus est.

47. *Sexcenti viri.* Hi relicti, ne una tribus ex Israel aboleretur, ut dicitur infra cap. 21, num. 3 et 6. Deinde ut daretur aliquid misericordiæ, quando justitiæ per cladem illam multum tributum videbatur. Tertiam rationem addit S. Hieron. in epitaphio Paulæ his verbis: *In Gabaa urbe usque ad solum diruta, paululum substitit Paula, recordata peccati ejus, et concubinæ in frusta divisæ: et tribus Benjamin sexcentos viros, propter Paulum apostolum reservatos.*

In petra Remmon. Remmon, seu *Rimmon*, malum punicum, seu granatum significat; quare illam Josephus vocat, πέτραν ῥοιάς; nam ῥοιὰ, sive ῥοὰ, Græcis malum granatum significat. * Urbs erat in

48. Regressi autem filii Israel omnes reliquias civitatis, a viris usque ad jumenta, gladio percusserunt; cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumsit.

CAPUT XXI.

Instauratur tribus Benjamin ex quadringentis virginibus in cæde habitatorum Jabes Galaad reservatis, et ex raptis ducentium choros in Silo virginibus.

1. JURAVERUNT quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.

2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo; et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes:

3. Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis?

4. Altera autem die diluculo consurgentes, exstruxerunt altare; obtuleruntque ibi holocausta et pacificas victimas, et dixerunt:

---

præerupta petra, distans Jerosolymis 15 milliaribus, non longe a Gabaa Saulis patria inter septentrionem et orientem. Erat et altera Remmon in tribu Simeonis, Jos. 19, 7, quæ limes erat tribus Judæ ad austrum, sicut altera limes erat ad aquilonem.

Mensibus quatuor. Quo loco asperrime eos vixisse necesse est, cum ibi obsiderentur, nec secum ut in fuga ad victum necessaria ferre potuissent.

CAPUT XXI. * 1. *Juraverunt.* Juraverant ante inchoatum bellum. Nihil peccatum ab Israelitis, cum ita jurarunt; potuit enim sententia totius populi, penes quem summa erat potestas, hac ratione puniri scelus Benjamitarum.

2. *In conspectu ejus sedentes.* Vide dicta superiori cap. num. 26.

4. *Exstruxerunt altare.* Unicum apud Israelitas oportebat esse altare, in quo sacrificia fierent, hocque erat in atrio tabernaculi in Silo. Verum propter hostiarum a populo oblatarum multitudinem, aliud in necessitatis supplementum excitari poterat, ut tot sacrificiis locus esset. Idem enim Salomonis tempore factum est, 3 Reg. 8, 64: ita aliqui. Alii censent ordinarie unum tantum esse potuisse altare, extraordinarie vero nihil obstitisse quominus alterum excitaretur, si idololatriæ periculum abesset, ut cum viri prophetia et sanctitate spectatissimi sacrificarunt, ut Samuel qui in Ramatha et Masphath sacrificia obtulit, 1 Reg. 7: in Galgala, 1 Reg. 11, 15: in Bethlehem, 1 Reg. 16, 5: ut David in area Ornan Jebusæi, 2 Reg. 24, 25; 1 Paral. 21, 26: ut Elias in

5. Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim juramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.

6. Ductique pœnitentia filii Israel super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus una de Israel:

7. Unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus, non daturos nos his filias nostras.

8. Idcirco dixerunt: Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse.

9. (Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.)

10. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis: Ite, et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum.

* Num. 31, 17, 18.

11. Et hoc erit quod observare debebitis: * Omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros, interficite; virgines autem reservate.

12. Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines

Carmelo monte, 3 Reg. 18, 32. Alii existimant unum tantum locum altari destinari, sed intra illum locum plura altaria erigi potuisse. Tandem non desunt, qui existiment unum altare eo tantum tempore præceptum fuisse, quando populus per desertum peregrinabatur, postea vero cum Israelitæ quietam sedem adepti erant, plura excitari potuisse. Vide Serarium hic, quæst. 1.

*6. *Ductique pœnitentia*. Non damnabant factum contra Benjamitas, cujus Deum auctorem habuerant; sed dolebant tribum unam deleri ex universo populo.

Super fratre suo Benjamin. Omnis tribus et singuli Hebræi quasi fratres erant, quia communem patrem habebant Jacob, a quo Israelitæ dicti sunt.

7. *Omnes enim in commune juravimus*. Pro *in commune*, hebræus habet *in Domino*, seu *per Deum*, ut etiam LXX. Juramento addita fuit imprecatio, seu, ut noster ait interpres, maledictio, num. 18: *Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin*.

8. *Habitatores Jabes Galaad*. Urbs est ultra Jordanem percelebris in tribu Manasse, cujus frequens postea mentio in Scripturis.

11. *Interficite*. Hebraica et græca significant, *anathemati subjicite;* quod anathema quale esse deberet explicatur, ut scilicet interficerentur viri omnes et infantes, non autem virgines, pecora et jumenta, nec urbs incenderetur aut everteretur.

12. *Quadringentæ virgines*. Sermo est de virginibus adultis,

quæ nescierunt viri torum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan.

13. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin qui erant in petra Remmon, et præceperunt eis ut eos susciperent in pace.

14. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.

15. Universusque Israel valde doluit, et egit pœnitentiam super interfectione unius tribus ex Israel.

16. Dixeruntque majores natu: Quid faciemus reliquis qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminæ conciderunt,

17. Et magna nobis cura, ingentique studio providendum est ne una tribus deleatur ex Israel.

18. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.

19. Ceperuntque consilium, atque dixerunt: Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel, et ad orientalem plagam viæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona.

20. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, et latitate in vineis.

21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more

---

non de puellulis aut infantibus.

13. *Præceperunt eis ut eos susciperent in pace.* Jussit populus Israel ut Benjamitæ legatos illos in pace susciperent, quia jam admittebant ad pacem reliquias illas Benjamitarum.* In hebræo est, *vocaverunt eis pacem,* seu *denuntiaverunt,* aut *promulgaverunt iis pacem,* vel potius *vocaverunt eos in pace,* ut etiam habent LXX.

* 14. *Datæ sunt eis uxores.* Nihil peccarunt contra juramentum, quo se tantum obstrinxerant ne filias suas darent: jam vero dant filias eorum qui non interfuerant conventui cum juramentum est.

18. *Filias enim nostras eis dare non possumus.* * Prohibiti religione juramenti.

21. *Ad ducendos choros ex more procedere.* Non ex puellari lascivia ducebantur hi chori, ut vult hæreticus quidam interpres, sed ex religione patriaque ceremonia, chaldæus innuit fuisse calendas, quas græco vocabulo neomeniam vocant. Aliqui pascha fuisse putaverunt. Communior sententia fuisse scenopegiam, quod hujus festi tempore frondeant vites, et illarum umbraculis tegi insidiæ Benjamitarum facile potuerint.

procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in terram Benjamin.

22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri cœperint atque jurgari, dicemus eis: Misereminí eorum: non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum; sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est.

23. Feceruntque filii Benjamin ut sibi fuerat imperatum; et juxta numerum suum rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas: abieruntque in possessionem suam, ædificantes urbes, et habitantes in eis.

24. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel: sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.

Rapite ex eis singuli uxores. * Non violant juramentum, quo se tantum obligarant ne sponte traderent.

* 22. *Jure bellantium.* Quo licet captivas tractare asperius.

* *Peccatum est.* Non quod revera peccassent, cum religione juramenti tenerentur; sed quod res ipsa secundum se spectata, secluso juramento, speciem quamdam haberet inhumanitatis et immisericordiæ.

23. *Feceruntque filii Benjamin ut sibi fuerat imperatum.* Nihil peccarunt Benjamitæ in hoc raptu. 1°, Quia bono israelitico-rum optimatum paruerunt consilio. 2°, Quia nullo ipsi quod obstaret jurejurando tenebantur. 3°, Quia isto modo præstabat israelitidas sibi matrimonio adjungere, quam aut vagam exercere libidinem, aut ethnicas ducere.

24. *In diebus illis non erat rex in Israel etc.* Quando ista contigerint. Variæ sunt opiniones: verior ea esse videtur, quam sequitur Abulensis, Genebrardus, Lyranus, Serarius et alii, eo tempore accidisse, quod post Josue mortem, ante primum judicem fuit. Vide Serar. quæst. 6.

LIBER RUTH.

CAPUT PRIMUM.

Elimelech bethlehemita præ nimia fame cum uxore Noemi ac filiis in Moab concedit; quo una cum filiis mortuo, Noemi cum Ruth nuru sua in Bethlehem revertens, non vult vocari Noemi, sed Mara.

1. In diebus unius judicis, quando judices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione moabitide, cum uxore sua ac duobus liberis:
2. Ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi; et duo filii, alter Mahalon, et alter Chelion: Ephrathæi de Bethlehem Juda. Ingressique regionem moabitidem, morabantur ibi.

Caput I. 1. *In diebus unius judicis*. Quis fuerit judex hic, non exprimit sacer textus. Interpretes in varias abeunt sententias: alii Eli pontificem, alii Abesanem, alii Gedeonem, alii Barac et Debboram, alii Aod aut Abimelechum statuunt; certi nihil. Vide Serar. in cap. 4 Ruth, quæst. 18.

Facta est fames in terra. Chaldæus, *in terra Israel*. Tenuit autem fames hæc annos decem, ut ex num. 4 sequenti colligunt auctores, nec ex causis naturalibus orta, sed ad plectenda Israelitarum peccata, qui judicum tempore frequenter in idololatriam labebantur. Ita censent passim loci hujus interpretes.

In regione moabitide. Quæ est terræ sanctæ ad orientem, transito Jordane.

2. *Ipse vocabatur Elimelech*. Quæ vox *Deus rex*, vel *Dei rex*, vel *Dei mei rex*, significat. Aiunt rabbini fuisse Elimelech fratrem Salomonis illius qui cum Josue promissam terram ingressus est, ideoque et Nahassonis, de quo infra cap. 4, num. 20, filium.

Uxor ejus Noemi. Quod nomen significat pulchram, suavem et amœnam. Rabbini docent fuisse eam Nahassonis in Judæ tribu principis neptem, filiamque fratris Salomonis, de quo infra cap. 4.

Mahalon. Quæ vox significat ægrum, infirmum, aut qui chorum agitat et fistulam inflat.

Chelion. Aut consummatum et perfectum significat, aut eum qui totus columbinus est.

Ephrathæi de Bethlehem Juda. Non una tantum erat Bethlehem, ut supra etiam dixi, Judic. 17, 7: ut ergo intelligatur sermonem esse de Bethlehem tribus Judæ, additur vox *Ephrathæi* et vox *Juda*; nam hæc Bethlehem etiam Ephrata dicebatur, ut patet ex Gen. 35, 19, et 48, 7; 1 Paral. 2 et 4; Michææ 5; et hoc libro Ruth cap 4, num. 2.

3. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi; remansitque ipsa cum filiis,

4. Qui acceperunt uxores moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis:

5. Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet et Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito.

6. Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione moabitide: audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas.

7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ cum utraque nuru: et jam in via revertendi posita in terram Juda,

8. Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ: faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum;

9. Det vobis invenire requiem in domibus virorum quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ, elevata voce, flere cœperunt,

---

4. *Una vocabatur Orpha, altera vero Ruth.* Orpha Chelion uxor fuit, Ruth vero Mahalon, ut patet ex cap. 4, num. 10, cum ait Booz: *Ruth moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumserim.* Orpha potest exponi *cervicosa*, vel *ore nudata* et *excitata:* Ruth, *madefacta*, vel *irrigata*, metaphorice vero *inebriata*, vel *saturata.* Aliqui peccasse putant par hoc fratrum gentiles uxores ducendo, patriis erroribus non abjuratis, ut colligitur ex n. 15 sequenti, et docet Serar. hic quæst. 11. Idem tamen Serarius eos excusat necessitate, quod israelitidas sibi ducere non possent. Idem docet Rupertus, lib. 1 in Matth.

5. *Ambo mortui sunt.* Nullis relictis liberis, quod licet Scriptura non expresserit, tamen ex tota narratione colligitur, Vide Serar. quæst. 14.

7. *Egressa est . . . cum utraque nuru.* Ad aliquam itineris partem abeuntes amicos prosequi humanitatis semper fuit, Gen. 18,16, cap. 31, 27; Act. 20, 38; Rom. 15, 24. At istæ duæ nurus, socrus suæ prudentia et suavitate ductæ, Bethlehem usque comitari et apud illam esse perpetuo volebant.

8. *Ite in domum matris vestræ.* Ita loquitur, vel quia patre carebant, vel quia filiæ cum matribus et frequentius et suavius versantur, vel quia feminæ in gynecæo seorsim a viris habitabant, filiæ cum matribus et sororibus etc.

Misericordiam, sicut fecistis cum mortuis. Misericordiam facere, est bene facere. Fecerant misericordiam duæ istæ moabitides cum viris suis. 1°, Illis peregrinis nubendo, et cum illis placide et officiose convivendo. 2°, Post mortem justa funeris curando, eorum memoriam retinendo et celebrando, et illorum etiam amore cum Noemi perpetuum vivere statuendo

9. *Invenire requiem in domibus virorum etc.* Ut scilicet immunes sint a molestiis, litibus, querelis, laboribus, lacrymis, quæ

10. Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.
11. Quibus illa respondit: Revertimini, filiæ meæ: cur venitis mecum? num ultra habeo (1) filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?
12. Revertimini, filiæ meæ, et abite: jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali; etiamsi possem hac nocte concipere, et parere filios,
13. Si eos exspectare velitis donec crescant et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, et egressa est manus Domini contra me.
14. Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est. Ruth adhæsit socrui suæ:
15. Cui dixit Noemi: En reversa est cognata tua ad populum suum et ad deos suos, vade cum ea.
16. Quæ respondit: Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam: quocumque enim perrexeris, pergam; et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus.

(1) Habeo. *In edit. Sixt. legitur* habebo.

---

conjugia comitari solent; propter quam causam S. Paulus, *tribulationem carnis* habere conjugatos affirmat, 1 Corint. 7, 28. Habent etiam requiem uxores, viris rem familiarem curantibus, et negotia tractantibus quæ ad tuendam familiam pertinent, quo præsidio destitutæ viduæ magnis curarum et molestiarum fluctibus agitantur.

11. *Num ultra habeo filios in utero meo etc.* Sumitur ratio hæc ex ea lege, quæ ante Mosen fuit, Gen. 38, 11 et 14, et quæ per Mosen postea sancita est, Deuter. 25, 5: ut scilicet fratres fratrum, qui absque liberis decessissent, uxores ducerent, fratribusque mortuis semen suscitarent.

* 13. *Si eos exspectare velitis etc.* Non quod Deuteronomii lege, quæ habetur cap. 25, 5, obligandi essent, sed quod hoc quoque meritæ viderentur.

Vestra angustia magis me premit. Valde angor, quod discessum hunc meum adeo ægre feratis, ac propterea a me divelli nolitis; dolor vester, quia impense vos amo, me valde cruciat.

Egressa est manus Domini contra me. Ad alias molestias, quibus me Dominus exercuit, hæc etiam addita est, ut a vobis discedere et vestra carere consuetudine cogar.

15. *Ad populum suum et ad deos suos.* Ex quo patet idololatriæ deditam Orpham judaica sacra nunquam suscepisse.

16. *Deus tuus Deus meus.* Patriæ superstitioni valefaciam, tibique adhærebo.

17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar; ibique locum accipiam sepulturæ: hæc mihi faciat Dominus (1), et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit.

18. Videns ergo Noemi, quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere.

19. Profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit; dicebantque mulieres: Hæc est illa Noemi.

20. Quibus ait: Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram), sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me omnipotens.

21. Egressa sum plena; et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit omnipotens?

22. Venit ergo Noemi cum Ruth moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ, ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

(1) Dominus. *Editio Sixt. habet* Deus.

---

* 17. *Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat.* Mala ipsa jurans expressit, quæ sibi est imprecata si fidem falleret, puta famem, pestem, mortem, quæ exprimere sacer scriptor necesse non habuit.

18. *Obstinato animo.* In bonam partem sumitur, pro constanti voluntate.

Nec ad suos ultra reditum persuadere. Suaserat ut manerent urbanitatis causa, ne sineret eas patriam, propinquos, amicos et notos sua causa relinquere. Et si forte ipsæ significaverantse judaica sacra suscepturas, voluit earum experiri constantiam, verita ne postea cum suo mœrore et dedecore a recta religione deficerent. Cognita ergo Ruth voluntate constanti non amplius suadet ut redeat.

19. *Venerunt in Bethlehem.* Si ex Petra Moabitidis urbe, quam multi et graves auctores Ruth patriam fuisse volunt, venerunt, iter ferme erat quatridui; plures posuisse credibile est imbecilles feminas, cum præsertim Noemi jam esset anus.

Velox apud cunctos fama percrebruit. In hebræo est, *resonuit tota urbs.*

Hæc est illa Noemi. Dicebant hoc, vel cum gaudio et gratulatione, vel cum admiratione et contemtu, quod ad paupertatem esset redacta.

21. *Egressa sum plena; et vacuam reduxit me Dominus.* Vacuam se appellat, quia mortuus maritus, extincti filii, ipsa ad paupertatem redacta.

22. *Quando primum hordea metebantur.* Quæ messis in Palæstina fieri solet mense nisan, qui respondet partim martio nostro partim aprili.

Ruth spicas in agro Booz affinis colligens, gratiam apud eum invenit, et læta vesperi ad socrum reversa, multum frumenti et de ciborum reliquiis ei affert.

1. Erat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens et magnarum opum, nomine Booz.

2. Dixitque Ruth moabitis ad socrum suam: Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade, filia mea,

3. Abiit itaque, et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.

4. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

5. Dixitque Booz juveni qui messoribus præerat: Cujus est hæc puella?

6. Cui respondit: Hæc est moabitis quæ venit cum Noemi de regione moabitide,

---

Caput. II. 1. *Elimelech consanguineus.* Quomodo Booz fuerit ejus consanguineus non expressit Scriptura. Rabbi Josue citatus a Serario quæst. 1, ait, Elimelech, Salmon et Job fratres fuisse; Booz autem filium fuisse Salmon fratris Elimelech; hic ergo patruus: Booz vero ex fratre nepos. Quod rabbinus hic docet, ait Serarius, falsi convinci non posse; nec aliud certius ab auctoribus affertur.

Nomine Booz. Quæ vox vel significat *in fortitudine*, vel *in eo fortitudo*.

2. *Colligam spicas.* Apud Hebræos enim concessum non erat spicilegium ipsis agrorum dominis, sed tantum pauperibus tam indigenis quam advenis. Præceptumque erat in lege veteri ut dum segetes demeterent, earum domini spicarum aliquid relinquerent, Levitici 19, 9, et cap. 23, 22; Deuteronom. 24, 19. Ruth ergo ut pauper ad colligendas spicas egreditur.

4. *Ipse veniebat de Bethlehem.* Servabat Booz id quod Cato de re rustica, lib. 1, cap. 1, præcipit cum ait: *Ne opera parcas visere.*

Dominus vobiscum. Dominus vobis adsit: Fausta precatio; quid enim deesse possit iis qui sub divino præsidio latent? Merito ergo ecclesia et in missæ sacro, et in horariis precibus hanc salutationem frequenter usurpat. * Mos erat bene precari opus facientibus. Vide Psalm. 128, 8.

5. *Juveni qui messoribus præerat.* In hebræo est נער *nahar*, quæ vox puerum aut ministrum significat: in græco est, παιδάριον, quia et ætate et viribus erat bonis et integris. Eum Josephus ἀγροκόμον vocat, vel ut alii legunt ἀγρονόμον, eadem tamen significatione, hoc est, agri curatorem.

7. Et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia; et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.

8. Et ait Booz ad Ruth: Audi, filia: ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco; sed jungere puellis meis,

9. Et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi; sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas de quibus et pueri bibunt.

10. Quæ cadens in faciem suam, et adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem?

11. Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui; et quod reliqueris parentes tuos et terram in qua nata es, et veneris ad populum quem antea nesciebas.

12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti et sub cujus confugisti alas.

13. Quæ ait: Inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.

---

8. *Jungere puellis meis*. Apparet Boozi prudentia, gravitas et castimonia, quæ puellæ suadet ut puellis adhæreat, quod honestius erat et pudori tutius, quam si cum viris versata esset.

9. *Bibe aquas etc.* magna in orientalibus calidisque locis aquarum penuria est, ut ex Gen. 26 et 28; Exod. 2; Num. 20: Deut. 2, aliisque locis patet; et messis erat tempus, quod torridum et siticulosum est; itaque aquæ haustus inter beneficia merito annumeratur.

10. *Adorans super terram*. Frequens mentio in sacris litteris harum adorationum viris exhibitarum in reverentiæ argumentum aut gratiarum actionem, exempla habes, Gen. 23, 7, 12. 27, 29. 33, 3, 7. 42, 6. 43, 26. 49, 8. 50, 18; Exod. 18, 7.

11. *Veneris ad populum quem antea nesciebas*. Ejusdem etiam populi religione suscepta.

12. *Sub cujus confugisti alas*. Chald. *venisti ut proselyta fieres, et te ipsam abderes sub umbra majestatis gloriæ ipsius*.

13. *Locutus es ad cor ancillæ tuæ*. Loqui ad cor, hebraica phrasi est loqui verba consolatoria. Exempla passim occurrunt, 2 Paral. 30, 22. 32, 6; Isa. 40, 2; Osee 2, 14.

Quæ non sum similis etc. quæ vilior sum.

14. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi, comeditque et saturata est, et tulit reliquias.

15. Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam:

16. Et de vestris quoque manipulis projicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubore colligat; et colligentem nemo corripiat.

17. Collegit ergo in agro usque ad vesperam; et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.

18. Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ: insuper protulit, et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.

---

14. *Comede panem.* Potum ipsi Ruth ante concesserat, nunc addit et cibum; gradatim enim ascendit virtus. Pro pane, phrasi hebraica intelligitur quilibet cibus.

Intinge buccellam tuam in aceto. Videtur sermo esse de acetariis quibus qui æstu laborant valde recreantur. Alioqui etiam usus rusticorum est, ut in messem utantur oxycrato, hoc est, aceto aqua diluto, quod genus potionis refrigerandi vim habet, ut universim acetum, de quo Plinius lib. 23, cap. 1: *Vini etiam vitium,* inquit, *transit in remedia; aceto summa vis est in refrigerando etc.*

Ad messorum latus Non e regione, ne in ejus faciem oculos conjicere possent.

Et congessit polentam sibi. Polenta est far tostum et contusum et in farinam redactum. Hæc materia erat parabilis eduliorum, addito aliquo genere condimenti, jure, caseo etc. Quod dicitur Ruth *sibi congessisse*, significat affatim et largiter illi ex cibis tributum, quos cum ipsa omnes non absumeret, quasi eorum cumulum ante se habebat.

Et saturata est. Disce, inquit Seneca epistola 110, *parvo esse contentus, et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam. Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus.*

Tulit reliquias. LXX habent, κατέλιπε, reliquit; vulgatus noster significat collegisse eam reliquias et asservasse, quod ita fuisse patet ex num. 18, ubi dicitur eam dedisse socrui Noemi de ciborum suorum reliquiis.

17. *Quasi ephi mensuram.* Ephi continens tres modios continebat uncias nongentas sexaginta, ut probat Alcazar libro de mensuris, et ex eo Cornelius a Lapide in opusculo ejusdem argumenti addito ad Pentateuchum.

19. Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem fuisset operata; et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.

20. Cui respondit Noemi: Benedictus sit a Domino: quoniam eamdem gratiam quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo.

21. Et Ruth: Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur.

22. Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.

23. Juncta est itaque puellis Booz: et tamdiu cum eis messuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur.

CAPUT III.

Ruth socrus consilio ad pedes Booz dormientis recumbens, accepto læto responso, multas hordei mensuras ad socrum defert.

1. Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi.

2. Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat.

---

20. *Gratiam quam præbuerat vivis, servavit et mortuis.* Benevolentia complexus est Elimelech maritum meum, et filios meos dum essent in vivis; nunc pergit nobis benefacere eorum respectu, sibi semper similis.

Propinquus noster est homo. Additur in hebræo, *e redemtoribus nostris ipse est*, seu *e vindicibus*, id est, ex iis ad quos pertinet jus liberandi nos ab orbitate, et vindicandi nomen filiorum meorum, maritique tui ab interitu et oblivione, semen iis ac posteritatem dando, juxta legem Levitici 25, 25; Deuteronomii 25, 5.

22. *Ad metendum.* Ad spicilegium, quod parva quædam messis est, sicut racematio parva vindemia.

Ne in alieno agro quispiam resistat tibi. Booz benevolum experta es, in ejus agro nullus tibi resistit, favent omnes, perge igitur eo ire, non enim meliorem alibi conditionem invenies.

Caput III. 1. *Quæram tibi requiem.* A laboribus et erumnis, quas egestas et peregrinitas attulit, et ab orbitate liberorum, quæ animum tuum cruciat nec quiescere sinit. Vide dicta cap. 1, num. 9.

2. *Propinquus noster est.* Vide dicta cap. 2, num. 20.

Aream hordei ventilat. Id est, ventilare parat.

3. Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et descende in aream: non te videat homo, donec esum potumque finierit.

4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat; veniesque et discooperies pallium quo operitur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas.

5. Quæ respondit: Quidquid præceperis faciam.

6. Descenditque in aream, et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus.

7. Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto pallio a pedibus ejus, se projecit.

8. Et ecce, nocte jam media expavit homo, et conturbatus est: viditque mulierem jacentem ad pedes suos,

9. Et ait illi: Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua; expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.

---

3. *Lavare*. Suggerit Noemi nurui suæ, quæ ad corporis munditiem, honestumque cultum pertinent; in hoc enim magnum feminis telum, ideoque et a Judith adversus Holophernem adhibitum, Judith 10, 3.

Ungere. Unctionibus utebantur frequentibus orientales mulieres. Sic Judith *unxit se myro optimo*, Judith 10, 3.

Non te videat homo. Non te videat Booz.

4. *Nota locum in quo dormiat*. Moris tum fuit ut patresfamilias etiam divites, urgentibus præsertim negotiis rusticanis, in areis etiam ipsis quietem caperent, ut usurpari possit illud Ovidian. Fast. 1:

> Non pudor in stipula placidam cepisse quietem,
> Nec fœnum capiti supposuisse suo.

Ipse autem dicet tibi quid agere debeas. Sperat Noemi Ruthæ nuptias, easque tunc transigi posse confidit, sed legitime, modo bono, et a divinis præceptis non abhorrente.

7. *Factus esset hilarior*. Citra temulentiam tamen, ut quæ secuta sunt satis ostendunt.

9. *Expande pallium tuum super famulam*. Chaldæus, *vocetur nomen tuum super ancillam tuam ad accipiendum me in uxorem*. Pro pallio est in heb. et LXX, *extende alam tuam super ancillam tuam*. Est adagialis formula loquendi, qua exponitur auxilii, tutelæ ac defensionis petitio. Hic tamen non qualiscumque tutelæ petitio est, sed ejus quæ uxori a viro debita est. Itaque est modesta et verecunda matrimonii petitio, * et sensus est: extende stragulum tuum ut me tegas, et intra eumdem torum tecum recipias.

10. Et ille: Benedicta, inquit, es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta juvenes pauperes sive divites.

11. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis.

12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.

13. Quiesce hac nocte; et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est; sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus: dormi usque mane.

14. Dormivit itaque ad pedes ejus, usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz: Cave ne quis noverit quod huc veneris.

15. Et rursum: Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente et tenente, mensus est

---

10. *Priorem misericordiam.* Quam in maritum et socrum hactenus contulisti.

Posteriore superasti. Quam nunc studes in maritum conferre, filios ei excitando, nomenque illius ad posteros propagando.

Quia non es secuta juvenes pauperes sive divites. Laudat Rutham, quod femina juvenis non virum aliquem, defuncto Mahalone marito suo, quæsiverit in patria juvenem, sive divitem sive pauperem; sed relictis omnibus in Judæam venerit, ibidemque non cuilibet se matrimonio jungere voluerit, sed ei a quo restitui posset in familia extinctum defuncti illius nomen.

11. *Mulierum te esse virtutis.* Eadem hebraica phrasis quæ hic habetur, Proverb. 31, 10 vertitur *mulier fortis*. Itaque mulier fortis sive virtutis, illa est quam italice dicimus, *donna de valore*.

13. *Vivit Dominus.* Juramenti formula frequens in Scrupturis sacris. Chaldæus habet: *juratus coram Domino, dico me quidquid tibi dixi facturum.*

14. *Antequam homines se cognoscerent mutuo.* Summo mane, antequam dilucesceret.

Cave ne quis noverit quod huc veneris. Oportet enim, ut monet apostolus, 1 Thess. 5, 22, ut ab *omni specie mala* abstineamus, etiamsi ab omni peccato alioqui integri simus: sic Booz suæ et Ruth famæ consuluit.

15. *Expande, inquit, pallium tuum.* Succinctorium seu semicinctum linteum, quo sub pectore præcinctæ mulieres domi præsertim utuntur. LXX vocant περίζωμα, alii ὑπόζωμα. Itali vocant *grembiale*.

sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem,

16. Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti, filia? Narravitque ei omnia quæ sibi fecisset homo.

17. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam.

18. Dixitque Noemi: Exspecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat: neque enim cessabit homo nisi compleverit quod locutus est.

CAPUT IV.

Booz coram senioribus civitatis accipit possessionem Elimelech, et Ruth nurum defuncti in uxorem, cedente alio propinquiore juri propinquitatis; ex qua genuit Obed avum David regis.

1. Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, et sede hic: vocans eum nomine suo. Qui divertit, et sedit.

2. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic.

Quæ portans ingressa est civitatem. Mirum videtur quibusdam rabbinis mulierem tantum pondus ferre potuisse, ideoque ad allegoricas interpretationes confugiunt: sex modii juxta ea quæ dixi cap. superiori, num. 17, libras conficiunt centum sexaginta, quod pondus grave non diffiteor, puto tamen illi gestando mulierem parem esse potuisse. Vidi sæpius mulieres capite aut hydrias aut alia vasa aut pondera gestantes tantæ molis et gravitatis, ut obstupescerem.

Caput IV. *Ascendit ergo Booz ad portam.* In judaicarum enim urbium portis celebrioribus exerceri solebant judicia, magnique et publici contractus.

Sedit ibi. Quod ibi aliqua de re tractantibus, sedere moris esset.

Vocans eum nomine suo. In hebræo est פלני אלמני *peloni almoni*, quod in Bibliis Pagnini ab Aria recognitis vertitur, *o quidam singularis*. Respondet phrasi italicæ nostræ, *o tale*: Hispani dicunt, *fulano*, quod cum prima voce *peloni*, affinitatem videtur habere.

2. *Decem viros de senioribus.* Qui agendorum testes essent vel arbitri, ut colligitur etiam num. 9 et 11.

3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quæ reversa est de regione moabitide;

4. Quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis, eme, et posside; sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam: nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es, et me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam.

5. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.

6. Qui respondit: Cedo juri propinquitatis; neque enim pos-

---

3. *Fratris nostri.* Propinqui, cognati nostri.

Vendet Noemi. Poterant agri uxoribus superstitibus relinqui a maritis morientibus, ex quorum fructibus dum viverent alerentur. Hoc jus suum jam vendere volebat Noemi, ut sentit Lyranus. Abulensis putat hunc usumfructum iis tantum legari potuisse, quæ nubere vellent propinquo demortui, et illi semen suscitare, qualis erat Ruth, non Noemi. Hujus tamen fit mentio, ne proximo illi suboleret matrimonii necessitas, et quia Ruth junior Noemi senioris, et socrus suæ consiliis regebatur.

5. *Ruth quoque ..... debes accipere.* Viduæ, quæ marito suscitare semen volebant, de quibus dixi, statim post viri mortem hæreditatem capiebant. Deinde, qui eas uxores duxissent, ea hæreditate fruebantur, donec ad primogenitum ex hac natum tandem perveniret, sicque ad illud tantummodo temporis vendi vel ab uxore vel a posteriori marito poterat, dum eam adire posset iste primogenitus. Generalis enim lex erat, ut si bonorum immobilium quid a quoquam judæo venditum esset, id vel ab ejus propinquis, vel ab ipsomet vendente postea redimi posset. Porro ipsam Ruth in uxorem propinquus ille accipere debebat, si agrum habere volebat, quia hæreditas, si vidua nuberet alicui, eam debebat comitari, et ad maritum ejus pervenire. Vide Serar. in hoc c. quæst. 6, et Abulensem a quæst. 30, usque ad 61.

Ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. Gignas filium qui legis vi et auctoritate mortui illius filius censeatur, et legalis illius parentis sui hæreditatem accipiat.

6. *Posteritatem familiæ meæ delere.* In hebræo est, *ne forte corrumpam hæreditatem meam:* quod accideret, si plures ex Ruth filios gignerem; quamvis enim primogenitus Mahalonis filius censeretur et illius hæreditatem adiret, alii tamen mei essent, et cum filiis quos jam habeo hæreditatem partirentur.

teritatem familiæ meæ delere debeo: tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.

7. * Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, *Deut.
ut si quando alter alteri suo juri cedebat; ut esset firma conces- 25, 9.
sio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo: hoc erat testimonium cessionis in Israel.

8. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.

9. At ille majoribus natu et universo populo: Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech et Chelion et Mahalon, tradente Noemi;

10. Et Ruth moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumserim, ut suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis.

11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu: Non testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel; ut sit exemplum virtutis in Ephratha, et habeat celebre nomen in Bethlehem:

12. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, * quem Tha- * Gen.
mar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac 38, 29.
puella.

13. Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem; ingressusque est ad eam: et dedit illi Dominus ut conciperet, et pareret filium.

---

7. *Solvebat homo calceamentum suum.* Is scilicet qui jure suo cedebat, quamquam sunt qui sentiant eum calceamentum solvisse cui fiebat cessio, sed quod dixi verius est.

9. *Omnia quæ fuerunt Elimelech et Chelion et Mahalon.* Quia, Chelione mortuo absque liberis, et Orpha ad suos reversa, nec curante suscitare semen Chelioni, omnia ad Mahalonem seu Mahalonis hæredem devolvebantur.

10. *Vocabulum ejus.* Nomen ejus.

11. *Sicut Rachel et Liam.* Nominantur hæ, 1°, Quia etiam ipsæ, patria relicta, Jacob secutæ sunt. 2°, Quia et ipsæ a marito suo Jacob prolem petierunt, Gen. 30, 1 et 16.

In Ephratha. In Bethlehem.

12. *Sicut domus Phares.* Ex quinque familiis quæ ex Juda præseminatæ sunt, familia Phares, ex qua erant Bethlehemitæ, præcipua censebatur. Optant ergo Booz parem gloriam ex matrimonio quod nunc init.

14. Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel.

15. Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem; de nuru enim tua natus est, quæ te diligit: et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios.

16. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, et dicentes: Natus est filius Noemi, vocaverunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.

* 1 Par. 2, 5. 4, 1. Matt. 1, 3.

18. Hæ sunt generationes * Phares: Phares genuit Esron,

19. Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab,

20. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon,

21. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed,

22. Obed genuit Isai, Isai genuit David.

---

17. *Vocaverunt nomen ejus Obed.* Noemi hoc illi nomen imposuit, ut censet Serar. quæst. 14, aliis mulieribus vicinis suadentibus; parentum enim est filiis nomina imponere. Obed significat *serviens*, cujus nominis causas alii alias assignant: ea verissima esse videtur, quod anui Noemi omne obsequium ac servitutem exhibiturus esset, et senectutem illius curaturus, idque dicere et ominari videntur vicinæ mulieres, dum dicunt num. 15: *Qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem.*

EXPLICIT TOMUS SECUNDUS.

ALOSTI, TYPIS SPITAELS ET VAN RYCKEGEM.